




1
2
3
311













9. 3. 311





DVBIORVM EVANGELICORVM

Pars Prima:

IN QVA

XXXIV. DVBIA *partim* ἐξηγητικά, *partim* ἐλεγκτικά *discussa & vindicata à cavillis & corruptelis Atheorum, Paganorum, Judæorum, Samosatenianorum, Anabaptistarum, Pontificiorum, & Sectariorum aliorum*

OPERA
FRIDERICI SPANHEMII
Pastoris & S. Theologiæ Professoris in Ecclesiâ & Academiâ Genevensi.


CVM INDICIBVS NECESSARIIS.





GENEVÆ,
Sumptibus Iacobi Chouët.

Anno CIↃ IↃ CXXXIX.





Sereniſsimo Principi

CAROLO LVDOVICO

COMITI PALATINO RHENI,
DVCI BAVARIÆ, ARCHIPALATINATVS
& Dignitatis Septemviralis Hæredi.

NEC NON

Illuſtriſsimo Celſiſsimoq; Principi

FRIDERICO

COMITI PALATINO RHENI,
DVCI BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ,
MONTIVM, &c.

Sereniſsimi Principis JOANNIS *Ducis Bipontini, &c. filio primogenito,*

Iuventutis Principibus, Dominis ſuis Clementiſſimis, omnia Heroicarum virtutum incrementa à Deo Patre per Chriſtum Servatorem precatur

FRIDERICVS SPANHEMIVS.



MACROBIVS *in* Saturnalibus *ſuis refert,* Auguſtum *Cæſarem, quum ei quidam libellum trepidabundus offerret, & modò protenderet manum, modò retraheret, lepidè ex eo quæſiuiſſe,*

an putaret se assem Elephanto dare? *Scilicet parum decorum, imò iniurium iudicabat Imperator, ad Principem accedere, vt ad feram, aut ad empusam aliquam, & vel causæ suæ diffidere, vel eius bonitati. Maiori ego ad vos firmitate accedo,* Principes Inclyti, *non mei fiduciâ, sed vestri, quam mihi gentilitia Serenissimæ familiæ vestræ humanitas facit. Quin & pietas vtriusq; Vestrûm, multis mihi documentis comperta, quæ & argumento, quod vobis offertur, & instituto meo aduocationem parat. Quod enim de* Iosiâ *Spiritus S. perpetuis tabulis consignatum voluit, illum adhuc* adolescentem cœpisse quærere Deum Dauidis Patris sui, *hoc inter præcipua vtriusq; Vestrûm decora est, cuius virtutis compendio alias omnes vobis comparatis. Hæc à Serenissimis Parentibus vestris vobis transmissa hæreditas, quam illis viuis adiistis, maior est summis Dignitatibus, quæ genti vestræ debentur, & quas vel habetis, vel expectatis. Et sanè vbi suus pietati locus est, summus autem esse debet, ibi bonorum omnium abundus est prouentus, quæ & nomen hoc semper retinent, & sola merentur. Vt enim virtus illa non sine satellitio est, sic nec sine dote, quippe quæ nunquam versuram facit, & cuius merces semper in tuto est. Nihil verius ipsius Dei voce,* Honorantes me honorabo, contemnentes me contemnentur. *Quod si verò vllibi, certè in Principibus, quos Deus in loco sublimi collocauit, id eminere debet, quod illos Deo proximos, hominibus admirabiles, & vbiq; felices facit. Quæ equidem*

sine

sine pietatis studio nec reperiri possunt, nec expectari debent. Et vt Principes plus à Deo accepêre, sic arctiori sacramento in cultum eius adiguntur, quod acceptorum ratio quotidie magis adstringit. Quin & inde non Principum solùm, sed & populorum felicitas pendet. Ut enim syderum vis non intra agellum, aut prædium priuati alicuius coercetur, sed ad vastos terrarum tractus se exporrigit: Sic Principum vitia, aut virtutes ad plures pertinent. Et vt integræ Provinciæ, integra Regna bonorum virtute fouentur, sic eadem illa magnis peccandi exemplis, ceu pestilenti quodam afflatu, velut siderantur. Unde sacra pagina, non sine gravi causâ, non populis, sed Regibus & Ducibus toties acceptum fert, quod illorum auspiciis vel Deo Israëlis fuerit litatum, vel idolis gentilium.

Meritò ergo, Principes Inclyti, *primæ huic Virtuti, quæ agmen vbiq; ducit, adsuevistis, meritò eandem fovetis, & ei soli adolescentiæ vestræ florem consecratum itis, qui nec cultum suum comperendinari vult, nec id in seram ætatem differri, quod omnem ætatem decet, & ab omni debetur. Quum ergo vobis non capax tantùm pietatis sit animus, sed et subactus in S. literarum cognitione, quibus ab Ephoris Clarißimis innutriti estis, non vereor, ne officium meum Vestræ pietati non probem, dum argumentum vobis domesticum & familiare offero, & tale, quod suâ se iucunditate, vel neceßitate etiam commendare poteſt. Nec verò titulus, quem præscripsi Operi huic in limine, Vos offendere*

debet, quasi vel dubia *statuatur* Veritas Evangelica, *vel de eâ ambigendum censeam. Absit ab homine Christiano, quem aliquis pietatis sensus tangit, tam nefaria cogitatio. Certè persuasissimum habeo, vos impietatem illorum, qui Deum in verbo suo loquentem vel non agnoscunt, vel non reuerentur, non auersari solùm, sed & toto pectore detestari. Proinde in eam spem erigor, fore, vt probetur vobis Scriptum, in quo id vnum agitur, vt* Dubia *eiusmodi à radice reuellantur,*

-----cum stirpibus imis,

quæ vel profanorum furor, vel infirmorum imbecillitas non inuenit in Scripturâ, sed in Scripturam inuexit. Absque quibus esset, nec scriptis eiusmodi locus foret, nec eorum argumento. Quia verò non Sectariorum *solùm, sed &* Pyrrhoniorum *ac* Atheorum *feralia & funesta agmina passim obuia sunt, quæ Veritatem Euangelicam vel impetunt apertè, vel actis per scelus cuniculis labefactant, inde fit vt hoc scribendi genus non amplius vtile solùm, sed & necessarium esse incipiat, nec captatum dici debeat, sed extortum, & tale, quod sine crimine negligi non potest. In hoc genere quum & ego aliquid commentari cœpissem, causâ sonticâ ad hoc argumentum adductus, & eius specimen Viri aliquot graues à me efflagitassent, diu cum verecundiâ meâ & illorum precibus colluctatus, tandem cessi, vt qui eruditionem non possum, obsequium saltem amicis, studium verò tuendæ veritatis omnibus probarem.*

Non

DEDICATORIA.

Non verò diu mihi deliberandum fuit, quorum nomina huic Scripto, primâ fœturâ apud me nato, præscribenda forent. Vos primi illicò mihi occurristis, Principes Magni, *quorum vtrique cum me non vno nomine obnoxium esse videam, debitum, quod dispungere non possum, ingenuè saltem profiteri debui, ne malum nomen censerer. Utrumque verò Vestrûm coniunctim mihi compellandum duxi, quia Vos et sanguis idem, & amor mutuus, & amica in easdem virtutes conspiratio iam pridem coniunxêre.*

Ad te quidem, CAROLE LVDOVICE, Princeps Serenissime, *me conuerto, quia, ex quo hæreditas Electoralis, Patre et Fratre optimis Principibus extinctis, in te translata est, quicquid à colonis tuis exit, id totum tuum est, nec iuris alieni fieri sine fraude potest. Quanuis enim ante quatuordecim amplius annos è ditione tuâ excesserim, antequam illa ferro flammisq; vastaretur, & præda fieret non vni hosti, tuus tamen sum, nec è censu vel obsequio tuo me proripui, sed Palatinos natales, Palatinum nomen, Palatina in me meosq; merita L. M. Q. profiteor. Et tametsi diuina prouidentia me maturè sæuæ illi tempestati subduxerit, quæ felicissimas quondam prouincias tuas, & Serenissimam domum graviter concussit, non potui tamen non acerbè ferre non tantùm priuata meorum pericula & dispendia, sed vel inprimis Principum magnorum clades, Patriæ vastitatem, Ecclesiarum florentissimarum funera, & quicquid in panicâ strage vel sentitur,*

vel metuitur. Hîc ego, quanuis in tuto constitutus singulari Dei bonitate, non destiti, pro officio, vota, preces et suspiria miscere cum omnibus iis, qui pars magna harum calamitatum fuêre, vt felicia illa tempora, exactâ diuinorum iudiciorum periodo, redirent, quæ, per Dei gratiam, attigimus, vbi Inuictissimi *GVSTAVI, Principis in exemplum Principum nati, dextrâ, diuino impulsu armatâ & roboratâ, formidabiles hostium phalanges fusæ, iugum confractum,* exactorum *scuticæ retusæ, tyrannis euersa, Germania erecta, aliena sectantes propriis excußi,* prædatores prædæ expositi, *Principes suis dignitatibus, Prouinciæ & Ciuitates suis iuribus, omnes & libertati & sacris suis restituti, omnes terrore & seruitute liberati fuêre. Vtinam verò* Serenissimus Rex *FRIDERICVS Pater tuus* ὁ μακαρίτης*, cuius pietas maior erat quàm vt mediocribus malis exercita cum vno hoste committeretur, superstes diutius nobis fuisset, nec ditionum suarum crepidinem tantùm oculis vsurpasset, sed & integrum ius suum in eas denuò obtinuisset! Sed melius optimo Principi sceptrum terreno obtigit, quod ille vitæ satur, patiendi vetus, Dei plenus, hostibus simul & calamitatibus suis triumphatis, cum cœlesti commutauit, & quod in terris inuidebatur ipsi regnum, ibi obtinet, vbi nec hostium impetum, nec subditorum perduellionem, nec sociorum defectionem, nec proiectorum rabularum inclinatis rebus nequiter insultantium latratus, nec molitiones ingratas alias vel experitur, vel metuit.*

Non

Non dubito etiam, Princeps Magne, *quin malles, quæ tua pietas est, fratrem tuum maiorem natu FRIDERICVM HENRICVM orbi superesse, quàm tristem eius hæreditatem etiam cum honoris aliquâ accessione creuisse, quem Principem omni virtutum genere excultissimum, vix terris ostensum, & post infelicibus aquis haustum, maius terris pignus cœlo Deus addixit, vt & ominosum illud, quod in ore frequenter habebat*

-----mediis tranquillus in vndis,

fatali morte obsignaret, nec vlla deesset vel acerbissimæ etiam calamitatis species, quæ Patris tui piissimi Principis, infortuniis aliis maioris, pectus non pertentaret.

Sed Deo sit laus, qui Te, Princeps Serenissime, *seruauit nobis, Germaniæ nostræ, Palatinatui tuo, fratribus tuis, Principibus florentissimis, &* Serenissimæ Heroinæ *ELIZABETHÆ Matri tuæ, cuius inuictum robur, spiritus regij, & sexu suo maiores, omnibus in fortunâ etiam aduersâ admirationem sui semper expreßère. Faxit idem, vt, cuius surgentem ad magna indolem iam exosculamur, eius virtutem opportunam Patriæ, & toti Germaniæ experiamur, quando* Serenissimo Patruo tuo, *tutelâ Electorali summâ cum laude hodie defungenti, successurus, & Septemuirali trabeâ succingendus, feliciora tempora vel reperies, vel facies, futurus simul subditorum tuorum amor, spes Germaniæ, desiderium sociorum, terror hostium, & delicium generis humani. Hoc ego tibi, hoc*

inclyta GENEVA nostra, Serenissimæ Domui tuæ *etiam tristißimis temporibus deuotißima, hoc omnes boni vouemus, optamus, precamur.*

Ad te verò etiam orationem dirigo, FRIDERICE, Princeps Celsissime, *tametsi non putem prolixè mihi apud te causam orandam esse, cur Illustrissimum nomen tuum in Voluminis huius fronte extare voluerim. Quantum pietati tuæ, quantum virtuti, quantum indoli generosißimæ, addo etiam, quantum beneuolentiæ tuæ singulari debeam, vnus optimè noui. Tu enim per duos anni trientes, quibus GENEVÆ apud nos vixisti, te meis ædibus, parum tui capacibus, magnum hospitem inferre & includere, & fastigij tui immemor, priuati mihi familiaritatem exhibere, eandemq́ post abitum pretiosißimis literis tuis obsignare sæpius voluisti. Quæ omnia animo meo æternùm hærebunt, & calida mihi semper vota pro tuâ, &* Serenissimi Parentis tui, *Principis Sapientißimi, & nunquam satis laudati, prosperitate exprimunt, exprimentq́.*

-----ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.

Deum Opt. Max. toto animo precor, vt qui te saluum hactenus & sospitem, pro voto nostro, per Galliam deduxit, ille iter Britannicum quoque & Belgicum fortunet, & vtroque felicißimè ex animi sententiâ confecto, Te Serenissimis Parentibus, *& populis tuis, omnibus animi & corporis bonis mactum restituat. Nec verò hæc vota mea priuata sunt, sed publica. Vt enim, quam diu hic apud nos vixisti, & Amplißimum*

Sena-

Senatum *nostrum*, *& Nobilitatem peregrinam*, *& plebem*, *& omnium animos ad te illo vultu, illâ indole, quæ Principem vbiq; non spirat tantum, sed loquitur, conuertisti, sic etiam in abitum tuum tota se effudit ciuitas, quæ, vt te abeuntem faustis acclamationibus prosequuta fuit, sic etiam nunc absentem votis omnibus prosequitur, virtutum tuarum, & sperum surgentium memor.*

Vos verò, aliquot linearum diuortio disterminatos, denuò coniungo, Principes Magni, *& ab vtroque Vestrûm demißè & obsequiosißimè contendo, vt officium hoc meum, vtrique Vestrûm debitum, gratum habere, & à nominis Vestri splendore aliquas Scripto huic stricturas accedere, clementißimè patiamini. Ita Deus Vos*, Serenissimis Parentibus vestris, *Ecclesiæ suæ, Germaniæ nostræ, & omnium bonorum votis quàm diutißimè superesse, omniq; bonorum genere mactare velit, vt spem publicam, in quam feliciter educamini, & quam vbique de vobis concitastis, aliquando cum optimo publico, & immortali gloriâ vestrâ, Maiorum etiam vestrorum virtutem & felicitatem supergreßi, non sustineatis solùm, sed & impleatis. In quo voto finio. Perscriptum* Geneuæ xx. Aug. cIↃ IↃcxxxiii.



CANDIDO LECTORI.



PHIDIAM, statuarium nobilem, in vmbone clypei Mineruæ speciem sui similem tantâ arte inclusisse narrat *Cicero in Tusculanis*, *& Author libri de Mundo*, vt reuelli non posset, quin tota compages luxaretur. Potiori longè iure dicere possumus, Deum Opt. Max. non singulis saltem creaturis, sed maximè Verbo suo, vnico Christianorum vmboni, eam sui imaginem impressisse, quæ nullâ arte, nullâ vi, quæcunque illa sit, obliterari possit. Nec tamen hîc inausum quid vel intentatum reliquit Satan, vt si vmbonem hunc extorquere prorsus Christianis non posset, imaginem saltem Dei ibi non latentem, sed patentem reuelleret. Sæuitum primò fuit ab Imperatoribus Paganis in Sacros Codices, omnia dominandi flagitia, & nocendi instrumenta conquisita, vt bonum Christianis periret, quo majus sub Sole non habent. Cum vis parum succederet, μεθοδείαν adhibuit Dei & hominum hostis, vulpinari cœpit, & periculosas non saltem de dogmatibus lites serere, sed & Scripturam S. sollicitare, apices captare, verba vexare, sententias torquere, Sacros Scriptores inter se committere, nodos nectere, vt gliscentibus *Dubijs* gliscerct impietas, & sensim non chartas solùm occuparet, sed & animos, & à libris ad homines transiret. Hoc *Celsorum*,

Iuliano-

Iulianorum, *Porphyriorum* & *Faustorum*, aliorúmque id genus portentorum, institutum fuit, hic scopus. Excitauit acerrimus tamen Verbi sui vindex Deus omni æuo homines strenuos, qui technas Aduersariorum solidè eliserunt, & S. Scripturæ incorruptam dignitatem masculè sunt tutati. In quo genere, *Iustino Martyri*, *Tertulliano*, *Origeni*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Augustino*, *Cyrillo Alexandrino*, & aliis id genus summis Viris non vulgaris laus debetur, quorum zelo, & lucubrationibus eruditis effectum est, ne proteruiam illam vel impunè ferrent homines impij, vel illa fraudi esset Ecclesiæ Christianæ. Quia verò eandem fabulam mutatis saltem personis *Veterator* ille sequioribus etiam seculis instaurauit, laude digna mihi semper visa fuit eorum industria, qui in vindicandâ textus Sacri Maiestate operam omnem, studiumq; posuêre. Quod & inter Euangelicos Theologi multi vtriusque partis, & ex Pontificiis etiam quidam Viri celebres feliciter præstiterunt, quibus, quando extra circum agonisticum versantur, & calor disputandi resedit, sua etiam laus debetur. Quam illis minimè præreptam velim, tametsi in Religione à nobis dissentiant. Angusti enim animi, & parum ingenui, ob partium studia, suum vlli ius interuertere.

Horum omnium exemplo, & ego me opposui impietati crescenti, & hominibus infeliciter subtilibus, quanuis mirmillo leuis armaturæ retiariis sæpe torosis, & magni nominis. Causas, quæ me in hanc arenam pertraxêre, dicere nihil attinet, quum in hoc scribendi genere homo sacris addictus solo veritatis tuendæ studio se satis supérque tueri possit. Graues tamen habui, quas illi norunt, qui me norunt, & tempora, in quæ tum incideramus, quæ laborem hunc in Academiâ nostrâ mihi impe-

rarunt, cum exegeticis cæteroquin Veteris Teſtamenti vacarem, & in commentatione Prophetæ *Malachiæ* publicis prælectionibus inſtitutâ aliquouſque progreſſus fuiſſem. Mutatâ ergo velificatione, *Dubiorum Euangelicorum* Examen ſuſcepi, vt ſtudioſæ iuventutis aures & animos contra peſtilentia quædam cauilla, & criminationes nouas partim, partim interpolatas munirem. Quibus cum tempore, pro re natâ, *Dubia* alia adieci, quæ Lectorem accuratum morari poſſe videbantur, non tantum, vt furores illorum retunderentur, qui apertè in veritatem Euangelicam debacchari audent, ſed etiam vt tacita illorum murmura compeſcerentur, qui talia ſæpe, ſine teſte, animo verſant, & de iis, quæ proferre non audent, clam aliis apud ſe muginantur. Nec eo nomine dicam mihi ſcriptum iri ſpero, quòd penitiùs ſæpe inquiſiui in locos varios, & *Dubia* propoſita, quibuſcunque fieri poterat, rationibus inſtruxi. Vt enim feræ non tantum è cubilibus ſuis eruendæ ſunt, ſed & exarmandæ, vt ferociam ponant: ſic & hæc generis humani dehoneſtamenta, & furiæ potius quàm homines è luſtris ſuis erui, & omnibus cauillandi artibus exſpoliari debent, ne vlterius in ſacrum Dei Verbum, tot auguſtis & inuictis teſtimoniis conſtabilitum firmatúmque, incurſare audeant. Tametſi enim apud homines probos, & Spiritu Dei imbutos argumentis exoticis opus non ſit, vt credere incipiant, quod ſentiunt, & cuius potiora in ſinu habent: tamen apud multos parum proficitur, quandiu ſubtilitas humana in perniciem ſuam ingenioſa reperit, quod ſpecioſè impietati ſuæ obtendat.

Fateor verò vltro, à quouis argumentum hoc arduum & graue felicius tractari potuiſſe, quàm à me, ab omnibus iis imparato, quæ ad tantum opus cum laude conficien-

dum requiruntur. Proinde, si quis partum hunc crudum vocet, & parum maturum, me habebit confitentem reum, qui id primus profiteor, & hoc etiam addo, tolli potius debuisse, quàm exponi. Et sanè si per me solum stetisset, nunquam ille, vel seriùs saltem, tædium Lectori aut bilem mouisset. Sed parendum fuit, etiam cum famæ dispendio, & accelerandum, quod maturatione longâ opus habebat. Laudationem nec expecto, nec quæro, & bene mecum actum putabo, vbi veniam consequutus fuero à Lectore candido, & qui sit harum literarum. Laudem suam nemini studio præripui, quarumcunque sit partium. Virorum doctorum acumen, eruditionem, labores vtiles, quanuis alieniorum à nobis, quoties res tulit, laudaui, & occasiones etiam quæsiui, vt laudarem. Nec in nomen vel merita vllius temerè, consultò saltem, inuado. Absit à me ærugo hæc, vt ex aliorum obtrectatione ad famam grassari velim. Quia verò de argumento graui, & sacro quidem agitur, hoc mihi non licere saltem, sed & incumbere putaui, vt secundum veritatem vbique vindicias darem, potius quàm secundum placita vllius, quæcunque demum forent. Vt ergo salva illa esset, dissentiendum alicubi fuit, etiam à Viris doctis, quorum cæteroquin & eruditionem, & merita non agnosco saltem, sed & suspicio. Quod ipsum tamen, siquidem faciendum fuit, modestè feci, & cum debitâ honoris præfatione, adiectis etiam rationibus, quibus apud Lectorem attentum leuitatis suspicionem, & dissentiendi libidinem amolirer. A Veterum quinetiam opinionibus interdum in alia omnia iui, eâ libertate, sed & verecundiâ, quæ hominem ingenuum decet. Theologos quosdam aduersarum partium, maximè illos, *quorum manus contra omnes*, aliquando fortè in-

clementiùs excepiſſe videbor, ſed videbor tantum. Nec me reum facile peractum iri confido, vbi rerum momenta expenſa fuerint, & interpretamenta nefaria hominum illorum, quibus in S. Scripturæ Maieſtatem, & Lectorum conſcientias peccant. A conuitiis cæteroquin me temperaui, quæ non Theologorum ſunt, ſed mediaſtinorum, & eorum qui à ratione parum, à candore minus ſunt inſtructi. Deus feras vnguibus & roſtro, hominem iudicio armauit, vt quod illæ vi & morſu, iſte ratione perficeret. Ad quam in Theologo accedere debet ἡγεμονικὸν ſuperius, non Religio ſolùm, ſed & vitæ inſtitutum, & illud, quod quotidie tractat, Verbum, & ille, quo flagrare debet, ſpiritus. Nec verò etiam in eo mihi erubeſcendum exiſtimo, ſiquidem protrita plurima, & ab aliis iam pridem obſeruata proponere videbor. Modò illa ad *Dubia* amolienda, adeoq́ue ad inſtitutum faciant, & Lectorem minus ſubactum in his literis erudire poſſint, nec illa fruſtrà erunt, nec ego in illis reponendis. Sed & nonnulla fortè noua, quod ἀβασκάντως dictum velim, reperiet Lector candidus, vtinam talia, quæ ſua eſſe velit! vel ſaltem, non indicta. Nec eruditis ſcribitur, qui talibus & melioribus longè domi abundant, ſed iis, qui manuductione egent, & ſe eâ egere norunt. Præſtat quinetiam ſæpe pedem ponere in alieno, quàm per impervium callem vagari cum Lectoris, ſimul & veritatis diſpendio. Siquidem etiam multa à me prætermiſſa videbuntur, & multi, iniquè à me exigitur, quod à nemine adhuc præſtitum, nemo enim adhuc vel omnia produxit, vel omnes, ne in argumento quidem minoris & momenti, & operæ. Præterquam quòd, ſi vtilia omiſſa, id non à conſilio, ſed vel ab infelicitate meâ, qui aliorum obſeruationibus carui, vel ab
incuriâ,

incuriâ, qui non omnium memini, quando & calamo manum admoui, & Typographi prælo. Monentibus gratus ero, nec beneficij memoriam priuatam esse patiar. Hoc etiam addo, me nemini studio obseruationes suas, suppresso Authoris nomine, interuertisse, si quid tamen tale imprudenter alicubi à me factum, repetundis postulatus, aliena spolia res suas sibi habere iubebo. Sed & hoc Lectorem animaduersurum spero, me studio habuisse, quantum fieri potuit, & ambitiosè quidem, testari per quos profecerim. Quod si fortè etiam prolixior in variis & pugnantibus sæpe opinionibus recensendis & examinandis videbor, culpam agnosco, sed & causam, cur hîc peccarim, considerari velim, id à me factum, ne sententiam vllam vel malignè dissimulasse viderer, vel temerè neglexisse. Quin & hoc ipso liberior Lectori datur optio probandi opinionem, quæ à me fortè improbata sine causâ iustâ. Nec enim idem omnium gustus, idem iudicium. In Controuersiam vnam vel alteram etiam mihi excurrendum interdum fuit, & vt corruptelas locis quibusdam adspersas abstergerem, & ne siue doctrinæ, siue Interpretum nostrorum sinceritatem ab aduersarum partium Doctoribus indignè sæpe flagellatam deseruisse viderer.

Apologiâ verò etiam mihi opus esse video, quod pro *Duabus Centuriis*, quas Catalogus nundinalis Vernus produxerat, XXXIV. tantummodò *Dubia* substituam. Si id præter expectationem Lectoris, certè præter spem etiam meam contigit, qui nihil minus in animo habui quàm truncatum aut lacerum opus, vel aliquâ sui parte imminutum extrudere: sed intercesserunt fatales quædam remoræ, quæ Operarum nostratium impetum hac æstate sufflaminârunt, & obstiterunt, quominus plura ante nun-


dinas autumnales absolui possent. Concessi tamen Bibliopolæ, vt iure suo vteretur, idque eò faciliùs, quòd per errorem, fraudem enim suspicari non libet, cuius causa non erat, titulus libri proximis nundinis vernalibus in censum librorum iam excusorum relatus fuerit. Ne ergo titulo potius quàm re tituli Lectori instructus viderer, malui prodire cum parte Operis, præludio secuturi, quàm diutius post siparium latere, præsertim, quia post singula *Dubia* illud si non integrum, saltem nec mutilum vocari possit. Cum enim pleraque diversi sint argumenti, telam vbivis abrumpere licet. Nec tamen vel sponsionem rescissam, vel *Centuriarum* nomen paucis his pagellis dispunctum velim. Quin potius quod non affectum solùm, sed & confectum opus habeo, succidaneum, cum bono Deo, dabo, & fidem exolvam, siquidem non ingratam omninò, vel infelicem primam hanc fœturam fuisse intellexero.

Hoc interea vncialibus literis testor, SI QVID HIC A SACRA SCRIPTVRA, A PIETATE, A VERITATE ALIENVM A ME DICTVM FVERIT, ME ILLVD NON SOLVM INDICTVM, SED ET EXPVNCTVM VELLE. Tu, Candide Lector, bene dictis fauorem, hallucinationibus ignoscentiam vtrisque æquitatem illam commoda, quam tibi in argumento simili commodari velis, & hoc cogita, hominem naturâ ad lapsum pronum esse, ad censuram proniorem: errare quidem, humanum esse, errori succensere, Christianum, errantem verò vel odisse, vel atroci stylo confodere, nec humanum, nec Christianum.

INDEX



INDEX DVBIORVM HOC VOLVMINE CONTENTORVM.



Dubium I.

Quid sit Βίϐλος γενέσεως Matthæo cap.I.verſ.1.? *Cur & quo ſenſu ſic ordiatur? & vtrum voces illæ totius Euangelij titulum, an primi ſaltem capitis argumentum præſcribant?* pag.1.

Dubium II.

I. Cur Matthæus Chriſtum ſaltem vocet Filium Dauidis & Abrahami? II. Cur non Dauidis ſolùm, vel ſolùm Abrahami, cum alterutrum ſufficere potuerit? III. Cur præponat Dauidem Abrahamo? cap.1.verſ.1. 9

Dubium III.

Quomodo Booz Salmonis filius conſtituatur à Matthæo cap.I.5? *Cum tamen trecenti ad minimum anni inter vtriuſque ætatem interceſſiſſe videantur.* 13

Dubium IV.

Quomodo dicatur Matth.I.8.*Ioram genuiſſe Oziam? cum conſtet ex* II.Reg.VIII.24.& XI.2. I.Chron.III.11.12.*Ioramum genuiſſe Achaſiam, Achaſiam Ioaſum, Ioaſum Amaziam, Amaziam denique genuiſſe Oziam,* II.Par.XXVI.1.*qui & Azarias vocatur,* II.Reg.XV.1. 19

Dubium V.

Quî dicatur à Matthæo cap.I.v.9.*Achaz genuiſſe Ezechiam, cum*

tamen temporum ratio id minimè ferre videatur? 27

Dubium VI.

Quî Iosias dicatur à Matthæo cap.I.II.genuisse Iechoniam? cum tamen ex libris Regum & Paralipomenων constet, Iosiam habuisse filios quatuor ἑτερωνύμως, Iohanan qui & Ioachaz, Ioiakim qui & Eliakim, Sedekiam qui & Mattanias, & tandem Sallum. Vnde sequitur Iosiam avum fuisse Iechoniæ, non patrem. quia hic fuit filius Ioiakim vel Iehoiakim filij Iosiæ II. Reg.XXIV.XXV. I.Par.III.15.16. II.Paral.XXXIV. XXXV. Ier.XXII.11.12. 34

Dubium VII.

Quî Iechonias fratres habuisse dicatur Matth.I.II. cum tamen nullos habuerit? Item, cur fratrum eius hîc facta fuerit mentio, cùm tamen aliorum non meminerit Spiritus Sanctus? 43

Dubium VIII.

Quomodo dicatur à Matth cap.I. II. Iosias genuisse Iechoniam, & fratres eius in deportatione Babylonicâ? cum tamen constet ex historiâ Veteris Testamenti, illum diu ante occubuisse, idq́ ex promissione peculiari, quâ calamitati illi subtrahendus dicitur, quæ & re verâ adimpleta legitur, II.Paral XXXIV.28. & XXXV.24. 48

Dubium IX.

Cur Matthæus cap.I.II.de μετοικεσίᾳ in numero singulari loquatur? cum tamen plures fuerint, tres videlicet. I. Sub Ioiakimo. II. Sub filio Ioiachin vel Iechoniâ. III. Sub Sedekia. 51

Dubium X.

Quî Iechonias dicatur Matth.I.12. genuisse Salathielem? cum tamen Ier.XXII.30. denuntietur ei expressè eum futurum sterilem & orbum ex singulari Dei maledictione. 52

Dubium XI.

Quî Iechonias dicatur Matth. I. 12. *genuisse Salathielem post transportationem Babylonicam? cum tamen constet eum à Iechonia genitum in captiuitate Babylonicâ, vt patet ex Historiâ & Chronologiâ* Paralipomenων. 55

Dubium XII.

Quomodo dicatur Matth. I. 12. *Salathiel genuisse Zorobabelem? cum tamen constet ex* I. Paral. III. 17. 18. 19. *Iechoniam quidem genuisse Salathielem, Melchiram, Pedajah, & alios: Pedajæ verò filium fuisse Zorobabelem, non Salathielis.* 56

Dubium XIII.

Quomodo Matthæus *sit conciliandus cum* I. Par. III. 19.? *vbi filij Zorobabelis dicuntur fuisse Mesullam & Ananias, nullâ factâ mentione Abiud illius, cuius meminit* Matth. v. 13. *Idem scrupulus in sequentibus, nam posteri Abiud alij prorsus sunt ab ijs qui recensentur* I. Paral. III. 59

Dubium XIV.

Cur Genealogia Christi ducatur à Matthæo v. 16. cap. I. *ad Iosephum, & non potius ad Mariam, cùm tamen Christus nec Iosephi filius fuerit, nec ab eo descenderit?* 64

Dubium XV.

Cur Matthæus cap. I. 17. *partiatur Genealogiam Christi in certas tessaradecades, & quidem in tres: & cur eas per* ἀνακεφαλαίωσιν *peculiarem collectas Lectori proponat?* 74

Dubium XVI.

Quomodo reperiatur numerus trium illarum tessaradecadum, seu quadraginta duarum generationum? cùm tamen vel secundæ vel tertiæ tessaradecadi vna generatio deesse videatur. 82

Dubium XVII.

Cur Matthæus cap. I. v. 17. *deducat primam tessaradecadem ad*

Dauidem, tertiam ad Christum, & vtrobique personam designet, secundæ verò tessaradecados finem & tertiæ initium non ad personam referat, sed ad statum populi, μετοικεσίαν *videlicet* Βαβυλῶνος? 86

Dubium XVIII.

Quomodo sit accipienda vox γενεᾶς *vel* γενεῶν Matth. 1. 17. *& quo significatu?* 87

Dubium XIX.

De συμφωνίᾳ *&* ἀσυμφωνίᾳ *Matthæi & Lucæ, an & quomodo conveniant vel dissentiant inter se hi duo Euangelistæ in descriptionibus suis genealogicis?* 88

Dubium XX.

De descriptione diuersarum linearum: *Quomodo conciliandi sint Matthæus & Lucas, qui Iosephi genus per diuersissimas lineas Salomonis & Nathanis ducunt? Et quî ab vtroque & à posteris vtriusque diuersis descendere potuerit Iosephus?* 93

Dubium XXI.

De numero personarum vel generationum: *Quomodo conciliandi sint Euangelistæ, quoad numerum personarum vel generationum? cum Matthæus quatuordecim saltem numeret à Dauide vsque ad transportationem, multò verò plures Lucas. Sic Matthæus à Zorobabele ad Iosephum nouem saltem generationes numerat, Lucas octodecim.* ibid.

Dubium XXII.

De ipsis personis: *Quî fiat quod alias recenseat personas Matthæus, alias Lucas? 1. Salathielem Matthæus facit filium Iechoniæ, Lucas filium Neri. 2. Matthæus Zorobabelis filium ponit Abiud, Lucas Rhesa. 3. Sic ab Abiud ad Iosephum alios planè recenset Matthæus, alios à Rhesà ad Iosephum Lucas. 4. Matthæus patrem Iosephi facit Iacobum, Lucas Heli.* ibid.

Dubium XXIII.

Quomodo conciliari possint Moses & Lucas? quorum ille Arphaxad & Sale immediatè coniungit vt patrem & filium Gen. x. *&* XI. *iste interserit Kainan inter Arphaxad & Sale,* cap. III. 36. *vt illius filium, istius patrem.* 137

Dubium XXIV.

An dentur gradus alij in Genealogiâ Christi descriptâ à Lucâ, qui hypobolimæi sint, non γνήσιοι? 192

Dubium XXV.

Cur mulieres vel alienigenæ & gentiles, vel peccatorum enormium reæ, Genealogiæ Christi insertæ fuerint, sanctæ mulieres non item? 201

Dubium XXVI.

An vel debuerit, vel potuerit Genealogia Christi describi ab Euangelistis? 211

Dubium XXVII.

Cur Euangelista Matthæus cap. I. 18. *faciat mentionem desponsationis Mariæ? Et cur Deus voluerit Messiam nasci ex matre desponsâ?* 215

Dubium XXVIII.

An possit inferri ex verbis Matthæi cap. I. 18. πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *&* vers. 24. οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν ἕως οὗ, &c. *Iosephum & Mariam post natiuitatem Christi conuenisse?* 220

Dubium XXIX.

Quî dicatur Maria inventa fuisse grauida ex Spiritu S. Matth. I. 18. *cum tamen postmodum demum id reuelatum fuerit Iosepho, & Iosephus, versu sequente, adhuc de Mariâ deserendâ cogitasse legatur?* 251

Dubium XXX.

Quî dicatur Maria vterum ferre ἐκ πνεύματος ἁγίου, Matth. I. 18.

An inde sequatur vel Christum ex substantia Spiritus S. genitum fuisse, vel Spiritum S. dici posse Christi patrem? 202

Dubium XXXI.

Quo sensu Iosephus vocetur δίκαιος? Matth. I. 19. *& quomodo cohæreant verba Euangelistæ, Iosephum fuisse iustum, & tamen noluisse Virginem* παραδειγματίσαι 256

Dubium XXXII.

Quî dicatur totum hoc factum esse, vt impleretur Prophetia Esaiæ, cum tamen nec de timore aut suspicione Iosephi, nec de missione Angeli, imò nec de conceptu Virginis ex Spiritu S. verbum vllum extet apud Esaiam? quod tamen potissimum probatum oportebat. 269

Dubium XXXIII.

Cur dicat Euangelista τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, &c. *Totum hoc factum esse* ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου, &c. *cum tamen alij fines, & po..ores videantur dari partus & conceptus Virginei, nimirum Redemptio generis humani, & alia id genus?* 271

Dubium XXXIV.

An rectè vel citetur, vel applicetur ab Euangelistâ Oraculum Propheticum Esa. VII. 14. Ecce virgo vterum feret, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Immanuel, Matth. I. 23. 281



FRIDE-



FRIDERICI SPANHEMII
DVBIA EVANGELICA
DVBIVM I.

Quid sit Βίβλος γενέσεως Matthæo *cap. 1. vers. 1*? Cur & quo sensu sic ordiatur? & utrum voces illæ totius Evangelii titulum, an primi saltem Capitis argumentum præscribant?

EXAMEN.

Fausti Manichæi cavilla. Causa. Notatio vocum. Sensus & applicatio. Rabani, Thomæ, Lyrani & aliorum error. Librorum sacrorum tituli qui, & unde. Cavillorum Fausti confutatio.

I. PRIMA hæc Evangelij verba jam pridem *Fausti Manichæi* spongiam experta fuêre, qui & totam Christi Genealogiam, & quæcunque in libris sacris hominem proterυum feriebant, νοθείας postulare, & pro libitu expungere è sacro Codice ausus fuit. Cum enim præfractè negaret Christum esse verum hominem è Davidis & patrum semine natum secundum carnem, & hæresin suam serie hâc genealogicâ clarissimè revinci animadverteret, frontem perfricuit homo αὐτοκατάκριτος, & compendioso hoc responso se expedire sategit, *Genealogiam Christi nec Evangelium esse, nec ad Evangelium pertinere, adeoq; salvâ Evangelij authoritate à se rejici posse.*

Thesin hanc falsam his potissimùm nõ tam rationibus quàm cavillis & argutationibus inanibus propugnare nitebatur, vt docet *Augustinus libris II. III. VII. & XXIII. adversus Faustum.* 1. Non ausum fuisse scriptorem Genealogiæ illam Euangelium

vocare, sed *librum* saltem *generationis*, & sanè priora Matthæi capita, & ob Genealogiam, & ob stellam genesin confirmantem *Genesidium* magis nuncupari posse quàm Evangelium. *Aug. lib. II. cap.* 1. 2. Matthæum ipsum initium Evangelii demum constituisse in prædicatione Evangelii regni post Iohannem carceri mancipatum. *Ibid.* 3. Litem esse infinitam ac interminabilem inter duos Genealogiæ scriptores Matthæum & Lucam. *Lib. III. cap.* 1. 4. Alia longè principia esse Marci & Iohannis, qui & à Deitate Christi initium faciant, & dicam scribant Matthæo, quod statim in limine impegerit, & Christum vocarit Filium Davidis. *Ibid.* Quo argumento etiam diu ante *Faustum* usi leguntur tum *Celsus Epicureus*, vt patet ex *Origene lib. II. contra Celsum*, tum *Iulianus*, ut docet *Cyrillus lib. VIII. contra Iul.* qui Evangelistas inter se committere satagebant, quod quidam ex illis Iesum ex Virgine, quidam ex Deo natum contenderent. 5. Absurdum esse Dei Filium in utero matris includere *lib. XXIII. cap.* 2. Vide & *lib. VII. cap.* 1. & *lib. XXIII. cap.* 3. & 4.

II. In Examine ergo *Dubij* propositi duo sunt notanda. I. Ἐξήγησις & κατασκευὴ verborum *Matthæi*. II. Ἀνασκευὴ cavillorum *Fausti*. In Exegesi verborum declaranda illorum tum *origo*, tum *latitudo*, tum *applicatio* & *significatio* hoc loco.

Origo vocum quibus utitur Matthæus Hebraica est, & βίβλος γενέσεως respondet הַ ספר תולדות Hebræorum, ut rectè observatum ab Interpretibus, quod exstat *Genes.* v. 1. eodem prorsus sensu. Vnde in Evangelio Hebræo *Munsteri* totidem verbis legitur, nisi quod voci תולדות perperã ה הידיעה fuerit præfixum. Evangelium *Merceri* habet אלה תולדות eodẽ sensu quod *Gen.* II. 4. de inanimatorũ etiã origine dictũ reperitur, & à LXX. redditur ibidẽ per βίβλον γενέσεως. Probabile verò est ordinariè Iudæos hunc titulum præscripsisse suis Genealogiis, prout solent vel acuminis, vel sanctitatis singularis gratiâ phrases Scripturæ captare in librorũ suorum titulis & inscriptionibus, & ad illas alludere. Noluit itaque Matthæus discedere à phrasi & pervulgatâ & commodâ, præsertim cum in Hebræorum etiam gratiam Historiam suam Evangelicam contexuerit, quod è crebris citationibus voluminum Propheticorum evidens est. Quin & hoc ipso egregiam innuit ἀντίθεσιν inter Catalogum generationis *secundi Adami*, & Catalogum generationis *primi*, qui totidem vocibus designatur *Gen.* V. 1. cum ab utroque originem traha-

mus, ab illo naturæ & mortis, ab isto gratiæ & vitæ. Discrimen tamen duplex observari potest. 1. Quod hac phrasi in Genesi notetur scala descendens, in Matthæo ascendens, Adami enim posteri, Christi maiores enumerantur. 2. Quod Moses habeat plurale תולדות, Matthæus singulare γενέσεως, vel quia, quod solenne est Scriptoribus Novi Testamenti, sequitur stylum LXX. Interpretum, qui plurale Mosis reddunt per singulare γενέσεως: vel quia Matthæus in omnium illarum generationum ab Abrahamo descendentium serie solius Christi generationem intendit, ob quam saltem reliquarum mentionem facit: vel quia hîc Matthæo propositum non omnem Christi generationem, sed alteram saltem quæ ei convenit secundum naturam humanam describere, cum secundum divinam Christus meritò vocetur ἀγενεαλόγητος ab Apostolo *Hebr.* VII.3.

III. Cum ergo hæ voces originem Hebraicam habeant, earum *significatio* pariter ab Hebræis est arcessenda, apud quos nomen ספר pro latitudine verbi à quo descendit, ut notum est, designat in genere enumerationem, recensionem, Catalogum quemvis sive *rerum*, sive *personarum*, interdum *longum* denotando volumen aliquod integrum, interdum *brevem* denotando saltem schedam vel epistolam aliquam. *Priori* sensu dicitur ספר תורה & ספר תהלים: *posteriori* literæ repudii vocantur ספר *Deut.*XXIV.1. ספר כריתת vel כריתות liber repudii vel *excisionis* de verbo ad verbum, βιβλίον ἀποστασίου secundum LXX. quæ phrasis retinetur *Matth.*XIX.7. cum tamen liber ille repudii scheda saltem esset, quâ testabatur maritus se dimisisse & quasi domo ejecisse uxorem suam, eique potestatem facere nubendi alii, & viuendi pro arbitrio. Et sic vertit *Chaldæus* interdum גט interdum אגרת פטורין quasi *schedam dimißionum.* Vnde & LXX. reddunt τὸ ספר interdum per βίβλον & βιβλίον, interdum per γραφὴν, ἐπιστολὴν, γράμματα. Hoc sensu Catalogus posteritatis Adami vocatur ספר. *Gen.*V.1.& *Ierem.*XXXII.11. instrumentum emptionis vel contractus vocatur ספר המקנה βιβλίον τῆς κτήσεως, LXX. quasi *liber acquisitionis* vel *possessionis*.

IV. Vt verò βίβλος ambiguè sumitur ob ambiguitatem vocis ספר, sic & vox sequens γενέσεως pari ratione ambiguitatem patitur ob eam quæ inest voci תולדה vel תולדת etsi inusitatę in numero singulari in sacro Codice, quæ tamen analogicè ita

formari poteſt, ut תוחלת, מולדת & alia id genus, ut reſpŏdeat voci γενέσεως. Apud *Rabbinos* quidem in uſu eſt ſed alio ſignificatu, תולדה enim illis notat interdum *concluſionem* quaſi partum præmiſſarum, interdum *qualitatem* unam ex primis per *meton. efficientis*, eò quod illæ videantur eſſe cauſæ generationis. Deſignat verò γένεσις non *generationem* propriè, quæ à Græcis interdum per γέννησιν exprimitur ſumpta *formaliter* vel *antecedenter* pro actu generandi, interdum per γενεὰν, quando ſumitur *materialiter* & *conſequenter*, pro re genitâ; ſed ortum vel originem, ſive ſeriem aut deſcriptionem generis, quo ſignificatu frequens eſt ſcriptoribus exoticis vel inprimis *Platoni in Timæo*. Connotat verò etiam ſæpe ex Hebraiſmo deſcriptionem illorum quæ generationem conſequuntur, h.e. totius vitæ acta & res geſtas, quo ſenſu apud Rabbinos quoque legitur. Obſervat hoc bene inter alios *Sixtus Senenſis lib.* II. *Biblioth. Sanctæ*, inquiens Rabbinos quoties exponunt locos illos ex divinis Scripturis, *Hic eſt liber generationis Adami*, vel *iſtæ ſunt generationes Abrahami*, & his ſimiles alios, dicere: *Vbicunq; inveneris vocabulum* תולדות *h.e. generationum, locus ille docet de nativitatibus & eventibus, & actionibus illius, cuius illic fit mentio.* Addit *Sixtus*. *Erit ergo Liber generationum Ieſu Chriſti titulus comprehendens omnes Chriſti operationes & eventus ab incarnatione ipſius uſque ad aſcenſionem, quæ toto hoc Evangelio deſcribuntur.* Sed nihil attinet conquirere authoritates Rabbinorum, ubi S. Scriptura præit. *Geneſ.* VI. 9. v.g. legitur אלה תולדות נח αὗται αἱ γενέσεις Νῶε, & tamen immediatè ſaltem ſequitur encomium Noachi, quod fuerit *vir iuſtus & integer in generationibus ſuis*, ubi דורת & græcum γενεᾷ apud LXX. eodem ſignificatu occurrere videntur. Huc trahitur etiam à quibuſdam ſingulare דור *Eſ.* LIII. 8. דורו *generationem eius quis enarrabit?* Tametſi verò locus *Gen.* VI. 9. eludi poſſit, & excipi verſu ſequente enumerari filios Noachi, ad quos reſpiciat Moſes phraſi illâ: Exemplum certiſſimum huius ſignificatus exſtat *Gen.* XXXVII. 2. ubi dicitur אלה תולדות יעקב αὗται αἱ γενέσεις Ιακώβ, & tamen toto illo capite nulla Iacobi poſteritas, nulli maiores deſcribuntur, ſed ſaltem hiſtoria Iacobi & filiorum, & ea quæ inter Ioſephum & fratres geſta. Nec poteſt excipi, verba hæc referenda eſſe ut ἀνακεφαλαίωσιν quandam ad caput præcedens, quo poſteri Eſavi recenſentur, obſtat enim I. verſus primus interjectus,

terjectus. *Habitavit autem Iacob in terra peregrinationum Patris sui, in terra Canaan.* 2. Diversitas subjecti & argumenti, quia non dicitur אלה תולדות עשו sed אלה תולדות יעקב, res ipsa verò ostendit aliam esse posteritatem Esavi, aliam Iacobi, nec illius progeniem hujus censeri. 3. quia collectio genealogiæ præcedentis iam erat instituta *Gen.* XXXVI. 1. adeoq; non opus erat novo συναθροισμῷ.

Si iam quæratur quæ hoc loco sit *latitudo* vocum βίβλος γενέσεως, & utrum referendæ sint ad totum Matthæi Evangelium, an verò ad primum saltem caput & Genealogiam in eo descriptam? Responderi facilè potest ex supra dictis, pro diversâ enim vocum notatione ad diversa referri possunt, & vtrumq; designare. Si enim βίβλος sumatur pro integro volumine, & γένεσις non saltem pro serie majorum Christi, sed & pro rebus gestis & actorum ac vitæ Domini descriptione, nihil obstat quo minus hæc verba extendantur ad totum Evangelium: sin βίβλος saltem sumatur pro Catalogo, & γένεσις pro origine vel serie maiorum, non possunt referri nisi ad Genealogiam quæ capite primo describitur.

Sed de eo non videtur anxiè contendendũ, quia ad utrumvis referatur, in eo parum situm. Interim tamen sententia posterior longè probabilior, βίβλον videlicet γενέσεως designare saltem *stemma Genealogicum.* 1. Quia sic melius respondet τῷ ספר תולדות *Gen.* V. 1. à quo desumptum. 2. Quia significatio posterior γενέσεως & magis usitata est, & propria magis 3. Quia sic optimè respondet Catalogo majorum Christi, qui capite primo contexitur. 4. Quia, ut rectè monet *Alph. Tostatus Episc. Abulensis quæst.* I. *in Matth. cap.* I. siquidem in medio Evangelii hæc Genealogia proposita fuisset, iisdem vocibus convenienter uti potuisset Spiritus Sanctus, nec tamen tum Euangelica historia Matthæi à vocibus illis nomen accepisset, non magis quam liber primus Mosis à Catalogo posteritatis Adami. *Gen.* V. 5. Huc accedit Syri Interpretis authoritas, qui videtur ad primum potius Caput & Genealogiam in eo contextam respicere quam ad totum Evangelium, dum βίβλον γενέσεως reddit per כתבא דילידותה cum pronomine suffixo pro more Syrorum, & pleonasmo illis consueto. h. e. per descriptionem generis vel ortus ejus.

VI. Falluntur verò *Lyranus Thomam* ſecutus,& *Thomas* ſecutus *Rabanum Maurum*, dum arbitrantur Matthæum inſcripſiſſe Evangelium ſuum *Librum generationis Chriſti* pro more Hebræorum, quibus ſolenne ſit libros ſuos denominare ab iis quæ in initio tractantur, eóque nomine meritò vapulant *Abulenſi*. Falſum enim morem Hebræorum talem eſſe, quod ex S. Scripturâ probari nequit, in quâ librorum tituli petuntur, ut notum, interdum à *materiâ ſubiectâ* vel *argumento*, ut in libris Iudicum, Ruth, Regum, parabolis, & aliis id genus: interdum *ab authoribus* vel *amanuenſibus* potius, ut in libris Ioſuæ & Prophetarum; interdum à *vocibus initialibus*, à quibus libri inchoantur, quod apud Iudæos conſuetum, quos ſequitur *Hieron.* in *Prol. Gal.* quod & *Iuriſconſultis* in Legum ſuarum citatione ſolenne. Sic libri Moſis vocantur communiter à Iudæis, ut notum, ואלה בראשית שמות &c. In eo verò lapſi ſunt & *Rabanus*, & poſt eum *Thomas* & *Lyranus*, quod Græcas inſcriptiones vel inprimis librorum Moſis acceperint pro Hebræis, qui vocantur vulgò Γένεσις, Ἔξοδος, &c. ab iis quæ in principio librorum illorum tractantur. Quem tamen Græcorum morem, ut recentiorem, Matthæum ſecutum fuiſſe gratis dicitur & ſine fundamento. Supponitur quin etiam falſum, βίβλον γενέσεως eſſe inſcriptionem vel titulum Evangelii Matthæi, cum ſit potius initium & pars eius. Sic initia reliquorum Evangeliorũ & ſcriptorum aliorum diverſa ſunt ab eorundem titulis. Huc accedit & illud quod alius Evangelio Matthæi titulus præſcribatur, vocatur enim τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον. Adde & titulos librorum extra operis contexturam collocari, hic verò apud Matthæum verba de quibus agitur eſſe inſerta τῇ πραγματείᾳ & narrationi, & cum ſequentibus cohærere. Et ſanè voce γενέσεως ſtrictè acceptâ inſcriptio illa nec adæquata foret, nec à præcipuâ parte.

VII. Ἀνασκευὴν quod attinet cavillorum *Fauſti*, illam prolixè inſtituit *Auguſtinus* locis ſuprà citatis, & poſt eum *Sixtus Senenſis Lib.* VII. *Bibl. Sanctæ Hær.* II. Quia verò hæreſis *Manichæorum* hodie exoleta eſt, & argutationes illius protritæ & evanidæ, ſufficiat nobis præcipuos hominis infeliciter ſubtilis paralogiſmos notare. Vt enim nihil Theſi eius falſius, ſic nihil argutationibus futilius. *Theſis Fauſti* revincitur ſatis ſupérque tum *ratione*, tum *authoritate*. *Ratio* eſt, ad Evangelii integritatem pertinere

nere genus & originem personæ quæ & *author*, & *obiectum* ac *materia*, & *finis* simul ac *complementum* est totius Evangelii, *à quo* illud, *de quo, per quem, in quo*, & *ad quem* unicè terminatur. Rationi accedit *authoritas* Pauli *Rom.* I.I.3.IX.5. II.*Tim.* II. 8. Vnde anathema, de quo Apostolus *Gal.*I. omnes illos ferit, qui vel eversum eunt Evangelium ὁλικῶς, vel ἐν μέρει illud truncant, adeóque & Faustum.

Neque verò contrarium probatur argutiis Fausti.

Prima, I. peccat *petitione* τοῦ ἐν ἀρχῇ, nihil vel Evangelium esse, vel ad Evangelium pertinere, quod non αὐτολεξεὶ hoc nomen præ se ferat, quod falsum. 2. Peccat *falsâ* ὑποθέσει, Matthæũ non ausum fuisse præscribere nomen Evangelii isti Genealogiæ, quod supponit Faustus, non probat. Noluisse id facere Matthæum verum est; nõ ausum fuisse, falsum. Noluit verò meritò, quia nihil convenientius erat vocibus quibus vtitur & ratione *materiæ* de quâ agit, & ratione *gentis*, quâ cum ipsi res est, & ratione *consuetudinis* quæ in illâ obtinebat. 3. Peccat *Elencho oppositorum*, opponuntur enim subordinata, eadem enim materia & Evangelium vocari potest & simul Βίβλος γενέσεως Ιησοῦ Χριστοῦ: nec hæc inter se arietant, imò per βίαιον eo ipso quo est Catalogus γενέσεως Christi & Evangelium est, & ad Evangelium pertinet. 4. Peccat ἀπαγωγῇ & ἐπεξηγήσει, nec enim stellæ de quâ *Matth.*II. quicquam commune cum Genealogiâ Christi, nec ab illâ vel illius influxu pendebat nativitas Christi, ut bene *Augustinus: Non dominabatur Christo ad decretum, sed famulabatur ad testimonium, nec enim subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio. Aug. lib.* II. *adversus Faustum cap.*V. Idem *Augustinus cap.*VI. cavillo Fausti Genealogiam *Genesidium* per jocũ nominanti objicit, si in fabricandis nominibus petulantiæ humanæ fibula laxanda sit, pari iure Iohannis exordium *Verbidium* nominari posse, quia vt Matthæus de Genesi Christi, sic Iohannes de verbo in principio agit.

Secunda Fausti argutatio. I. *petit* τὸ ἐν ἀρχῇ. Matthæum in prædicatione Christi initium Evangelij constituere, quod falsum. 2. *Confundit distinguenda*, initium nimirum Evangelij & φανέρωσιν ejus clariorem, quæ cœpit à prædicatione Christi, non Evangelium.

Tertia peccat & *falsâ hypothesi*, & *paralogismo* παρὰ τὸ πῇ ἢ ἁπλῶς

λεγόμενον. Lites enim inter Scriptores Genealogiæ interminabiles ſunt φαινομένως, non ὄντως, non ἁπλῶς vel in ſe, ſed κατά τι ratione ignorantiæ & ſtuporis noſtri. Cognitio verò noſtra non eſt menſura rerum. Præſtat etiam imperitiam noſtram fateri, quam illam Spiritui S. & amanuenſibus eius affingere. Imò commodè ſatis adhuc componi poſſunt lites illæ, utpote quæ verſantur circa ἐναντιοφανῆ ſaltem non verò circa ἀντιφάσεις. De quibus omnibus accuratè agetur in *Dubiis* ſequentibus.

Quarta peccat 1. Coniunctim *paralogiſmis* παρὰ τὸ πῆ ἢ ἁπλῶς, & παρὰ τὸ ἑπόμενον. *Alia* ſane ſunt principia Evangeliorum Marci & Iohannis, ſed *non contraria*, alia etiam *verbis*, eadem *ſubſtantiâ*, quia ut Matthæus & Lucas divinitatis Chriſti mentionem non prætermittunt, tametſi γένεσιν & γέννησιν ejus ſecundum naturam humanam exequantur, ſic nec Marcus & Iohannes humanæ Chriſti naturæ obliviſcuntur, ſed omnes Evangeliſtæ conjunctim mirum in modum in vtrâque naturarum nobis deſcribendâ inter ſe conſpirant. 2. Peccat *paralog.* παρὰ τὸ μὴ αἴτιον Marcum & Iohãnem prætermiſiſſe deſcriptionem Genealogiæ Chriſti vel quod illam improbarent, vel quod Matthæo eo nomine dicam ſcriberent. Vtrumque falſum. Et cauſa cur in Genealogiâ deſcribendâ non laborarint illa ſolum erat, quod noſſet Marcus provinciam illam jam occupatam fuiſſe à Matthæo, Iohannes, à Matthæo & Lucâ, adeóque ſatis ſupérque de eâ actum. 3. *Elencho oppoſitorum.* Nec enim *adverſa* ſunt, ſed *diverſa* ſaltem, eſſe Filium Dei & Filium Davidis, eſſe ex Deo natum, & eſſe natum ex Virgine. Vtrumque enim verum κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, & inanes prorſus ſunt argutationes Celſi, Porphyrii, Iuliani, & aliorum id genus, qui eo nomine Evangeliſtas inter ſe committere voluerunt.

Quinta peccat *falsâ* ὑποθέσει & *paralogiſmo* παρὰ τὸ πῆ ἢ ἁπλῶς. Abſurdum ſanè Dei Filium *reduplicativè* quà talem & ratione naturæ divinæ, vel includere utero matris, vel ex eo educere. Non abſurdum tamen id de Filio Dei κατ' ἄλλο affirmare cum *Scripturâ*, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει. *Matth.* 1. 18. 23. & *Angelo* συλλήψῃ ἐν γαστρί. *Luc.* 1. 31.

DVBIVM

DVBIVM II.

I. Cur Matthæus Christum saltem vocet Filium Davidis & Abrahami? II. Cur non Davidis solùm vel solùm Abrahami, cum alterutrum sufficere potuerit? III. Cur præponat Davidem Abrahamo? *cap.1.vers.1.*

EXAMEN.

Occasio & ratio quæstionum. Guido Perpinianus notatus. Causæ quæsitorum expositæ.

I. TRES has quæstiones coniungimus ob affinitatem,& facilitatem. Proponimus verò, quia Iudæorum cavillis obnoxiæ,quasi vel multiplicentur quędam à Matthæo sine ratione,vel invertatur ordo sine ratione. Vnde & ab Interpretibus multis & moventur & solvuntur. Quia tamen id felicius à quibusdam, infelicius ab aliis præstatur, conjecturas & argutationes discernemus à rationibus.

Guido Perpinianus in *Quat.Vn.* ad *primam quæst.* respődet inter alia id ideò factum,quia in Christo sint tres dignitates,quarum duas consequatur à Davide,Regiam & Propheticam,Sacerdotalem verò trahat ab Abrahamo ut Sacerdote, ut qui vaccam triennem præcepto Domini immolaverit *Gen.*XV. At hoc coactum, nec Abraham propriè Sacerdos fuit sacerdotio nondum constituto, nisi quo modo omnes fideles ante legem fuêre sacerdotes. Et Melchisedech vocatur כהן non Abraham.Imo Abraham נביא Propheta expresse à DEO appellatur *Gen.*XX.7. Vnde & Propheticam dignitatem ex sententiâ *Perpiniani* Christus ab Abrahamo sortiretur.

Veræ ergo causæ sunt, I. Quia Abrahamo & Davidi potissimæ & frequentissimæ de Messiâ promissiones factæ,illi inchoatæ,isti repetitæ & confirmatæ,quamvis & aliis interdum factæ præter illos ut Adamo,Isaaco,Iacobo,imò toti Ecclesiæ.*Es.*VII.

2. Quia duo hi maximè in æstimatione & ore Iudæorum erant, ut viri præ cæteris eximii, alter inter Patriarchas, alter inter Reges. 3. Quia Messias apud Iudæos κατ᾽ ἐξαίρετον censebatur *Semen Abrahæ*, & *filius Davidis* secundum promissiones, quas adimpletas in Christo Matthæus hoc modo ostendit, *thesi* translatâ ad *hypothesin*. 4. Quia alter gentis caput erat ex quâ Christus, alter familiæ.

II. *Secunda quæstio* inde solvitur, quòd neutrum suffecisset. Nam si Christum Abrahæ solummodò Filium vocasset, non inde licuisset concludere illum esse Messiam, quia ab Abrahamo per aliam seriem & tribum ac domum, quàm Davidicam potuisset descendere, adeóque hoc charactere διακριτικῷ carere. Quamvis etiam Christus eo ipso quo filius Davidis, fuerit filius Abrahami, adeóque superflua additio videatur, tamen revera superflua non est, quia volebat Matthæus ascendere ad primam gentis Iudaicæ, in cujus gratiam potissimùm hanc Genealogiam contexebat, radicem Abrahamum, & ostendere I. Christum esse semen illud benedictum Abrahæ, in quo benedicendæ sint omnes gentes. Ad quem etiam Iudæi Genealogias suas & generis sui seriem ordinariè referre solebant, prout & iubentur à Deo ad illum respicere, ut ad caput gentis. *Esa.* LI. I. *intuemini in rupem unde excisi estis, intuemini in Abrahamum patrem vestrum*, &c. Nec malè observatum τὸ υἱοῦ Ἀβραάμ ambiguum esse, & posse æquè referri ad Dauidem ac ad Christum, hoc sensu, *Liber generationis I. Christi filii David, qui fuit filius Abrahami.* Sic etiam non opus foret subintellectâ conjunctione copulativâ. Huic exemplo gemina sunt, *Soph.* I. I. *Verbum Iehovæ quod fuit ad Sephania filium Chusi, filium Gedaliah, filium Amariah*, &c. Sic *Zach.* I. I. *Verbum Iehovæ ad Zachariam filium Berechiah, filium Iddo.* In textu enim Hebræo nulla distinctio, tametsi sensus doceat posteriora in alio casu accipienda, in alio primum. Quæ ergo in his exemplis constructionis ratio, illa etiam apud Matthæum locum habere potest, quamvis non necesse sit ut eò confugiamus, & potior videatur sententia eorum qui utrumque genitiuum referunt ad Christum ut solum ὑποκείμενον de quo agitur. Satis etiã causæ datur, cur ad Abrahamum usque ascendere voluerit Matthæus, quia ille caput est primæ tessaradecados, à quâ post deducit initium Genealogiæ Christi, & caput gen-

put gentis, cui ſpecialis promiſſio facta. Cum etiam Iudæis ſolenne ſit prolixam majorum ſuorum ſeriem paſſim ingeminare v.g. ego *Filius Rabbi* N. *Filii Rabbi* N. &c. præſertim ubi illi in aliquâ luce verſantur, cur non integrum fuerit Evangeliſtæ Chriſtum vocare diſertè & filium Davidis & filium Abrahæ?

III. *Tertia quæſtio*, cur præmiſerit Matthæus Davidem Abrahamo, qui tamen multis ſeculis eo anterior in Genealogiâ Chriſti, variè ſolvitur ab Interpretibus, à quibuſdā minus ſolidè, ſolidius ab aliis. Solutiones leviores ſunt, id ideò factum, 1. Quod promiſſiones Davidi factæ de Meſſiâ fuerint tum recentiores, tum clariores, tum ſpecialiores, tum frequentiores & crebriores. 2. Davidem præſtare Abrahamo ob ἀξίωμα regium, διὰ τὴν βασιλείαν μᾶλλον ἐν μνήμῃ πᾶσιν ἐστὶ ὤν, inquit *Chryſoſtomus* Homil. 11. 3. Davidem excelluiſſe luce tum cognitionis myſteriorum verbi Dei, tum Prophetiæ, & clarè vaticinatum fuiſſe de ſacerdotio & regno Chriſti, ut & de utroque ſtatu ejus, tum humiliationis, tum exaltationis, prout ſenſim & velut ἐκ προσαυγῆς Deus myſterium illud revelatum voluit quò magis Oeconomia Novi Teſtamenti inſtabat. 4. Id factum eò quod Iudæi non negarent Chriſtum eſſe filium Abrahami, tametſi variis calumniis illum traducere alioquin ſatagerent, negarent verò Chriſtum eſſe filium Davidis, vel de eo ſaltem dubitarent. Nam in *Theſi* concedebant quidem Meſſiam eſſe è ſemine Davidis, & è Bethlehem venturum Chriſtum *Ioh.* VII. 41. 42. In *Hypotheſi* verò inferebant Ieſum non eſſe Chriſtum, eò quod eſſet oriundus ut illi arbitrabantur è Galilæâ, vel ex urbe Nazareth. Voluiſſe ergo Evangeliſtam ſic illi primò occurrere, quod potiſſimùm in dubium ab illis vocabatur, Ieſum videlicet eſſe ex ſemine Davidis, capite vero ſequenti etiam oſtendiſſe eum natum eſſe in Bethlehem. 4. Addi poteſt Meſſiam vocatum κατ' ἐξοχὴν inter Iudæos non tam filium Abrahæ, quod erat nomen commune omnibus Iudæis, quam *filium Davidis*, quod erat nomen Meſſiæ *antonomaſticè*. Inde quando quærit Chriſtus ex Phariſæis *Matth.* XXII. 42. *Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt, dicunt ei Davidis.* Et nihil frequentius hac acclamatione, *Fili David.* Et turba viſis Chriſti miraculis inquit, *Nunquid hic Filius David?* 5. *Abulenſis* addit

Deo chariorem fuiſſe Davidẽ, ut qui & vir ſecundum cor Dei, & pluribus ab eo beneficiis mactus fuerit.

Veriores tamen & ſolidiores hæ rationes eſſe videntur, ideò præmiſſum Abrahamo Davidem, 1. Quia non ſaltem promiſcuum ſed & ſolenne in contexturâ genealogiarum à proximioribus aſcẽdere ad remotiores: quod facit etiam *Lucas cap.* III. 2. Sed & alia cauſa inverſi hujus ordinis eſſe videtur, quam & *Hieronymus* & *Author operis imperfecti in Matthæum* obſervant, Davidem præmiſſum Abrahamo ob cohærentiam meliorem verſus hujus cum ſequente. Ducit enim Evangeliſta genus Chriſti per Davidem ad Abrahamum, à quo ſcalam Genealogicam poſtmodum incipere volebat, ut ſine hiatu hæc inter ſe cohęrerent. *Ordo præpoſterus*, inquit *Hieronymus*, *ſed neceſſariò commutatus, ſi enim primum poſuiſſet Abraham, & poſtea David, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis ſeries texeretur.* Et non malè *Maldonatus* obſervat, id Hebræis eſſe ſolenne, ut id poſtponant à quo volunt inchoare ſequentia. v. g. *Gen.* 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat &c.* Sic *Gen.* x. 21. Iaphet major natu inter filios Noe conſtituitur, & tamen v. 1. poſtponitur Semo & Chamo ob inſtitutum Moſis peculiare, quod erat Genealogiam poſterorum ejus exequi. *Filii Iaphet*, &c. Tametſi enim ὁ θαυμάσιος *Ioſ. Scaliger in El. Orat. Chronol.* ex illo ipſo loco inferat Sem dici *majorem fratrẽ Iapheti*, repugnant tamen & textus Hebræus, & LXX. qui disertè attributum הגדול ad Iaphetum referunt τοῦ σὴμ &c. ἀδελφοῦ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος. Et bene obſervat CL. *Iunius* ordinem interdum *naturalem*, interdum *perſonalem*, interdum *hiſtoricum*, addere poſſumus interdum *arbitrariũ* in S. Scripturâ reperiri. Sic in enumeratione perſonarũ S. Trinitatis, quandóque filius præponitur Patri. Gal. 1. 2. quandóque Spiritus S. Filio. Apoc. 1. 4. 5. 3. *Abulenſis* bene etiam notat ordinem hic exactè non ſervari ab Evangeliſtâ, eo quod hic non proponat Genealogiam Chriſti, ſed ſcopum ſaltem ſeu *Theſin* palmariam quam ſatagit probare in ſequentibus, videlicet Chriſtum eſſe filium Davidis & Abrahami, ut inde inferat illum eſſe verum Meſſiam Patribus promiſſum. Vt Moſes præmittit hiſtoriæ Creationis hanc *Theſin, In principio creavit Deus cœlum & terram*, quã exequitur poſt ἐξηγητικῶς & per partes. Genealogia ergo Chriſti ſaltem incipit verbis illis, *Abraham genuit Iſaac*, &c.

4. Ad-

4. Addi etiam poteſt & hoc, ideò Davidem præponi Abrahamo, quia revera Chriſtus Abrahami filius non fuit niſi per Davidem, & huius prius & proximius quam illius. 5. Imò ſiquidem ſcripſiſſet Matthæus, *Liber generationis Ieſu Chriſti, filii Abraham, filii David*, ambigua fuiſſet reddita oratio, & hoc potuiſſet ad Abrahamum etiam trahi, quaſi & ipſe filius Dauidis diceretur, cum contra præmiſſo Davide nihil abſurdi conſequatur, ſive τὸ υἱοῦ ad Davidem referatur, ſive ad Chriſtum.

DVBIVM III.

Quomodo Booz Salmonis filius conſtituatur à Matthæo *cap.1.5.* cum tamen trecenti ad minimum anni inter utriuſq; ætatem interceſſiſſe videantur?

EXAMEN.

Ratio difficultatis. Lyrani cõiectura. Confutatio ejus. Reſponſio aliorum ſolidior. Novum dubium Chronologicum. Maſii & aliorum opinio. Vera ſolutio. Vigor hominum ætate illâ. Cauſa. Exempla alia è Plinio & Scaligero.

I. DVBIVM hoc Chronologicum movetur à *Lyrano*, quod perplexum ſatis & involutum. Cum enim Salmon utpote maritus Rachabæ vixerit circa tempora Ioſuæ, cujus mors incidit in annum Mundi 2517. period. Iul. 3281. & 65 ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, Booz verò vixerit circa tempora Heli ſacerdotis, utpote ad cujus ætatem refertur Ruth Boozi coniunx à *Ioſepho* lib. v. *Antiquitatum Iud. cap.* XI. qui tamen Heli occubuiſſe videtur circa annum Mundi 2846. period. Iul. 3610. ab exitu Iſraelitarum 394. non immeritò quæri poteſt, quomodo hiatus ille pluſquam trecen-

torum annorum qui intercedit inter ætatem Iosuæ & ætatem Heli, ut ex computo Iudicum qui intermedio tempore vixerũt constat, expleri possit per solos Salmon & Booz. Vix enim videtur is fuisse vigor hominum seculis illis vivẽtium, ut vel vitam protrahere ultra centenarium, minus eo exacto prolem suscipere potuerint, quod tamen fermè necessarium, siquidem calculo sacro sua constare debeat veritas.

II. Vt *Lyranus* nodum hunc nectit, sic eundem solvere conatur, & contendit tres fuisse Booz distinctos, filium Salmonis nepotem & pronepotem cognomines, & hunc ultimum vixisse temporibus Heli, & duxisse Ruth. Duos verò priores fuisse prætermissos à Matthæo in hac serie, eò quod fuerint cognomines, & tertium saltem nominatum. Nec mirum saltum aliquem fieri à Matthæo, cum & tres Reges in eâdem serie Genealogicâ ab eo prætermissi legantur.

III. Sanè siquidem constaret aliunde quam ex solâ *Lyrani* assertione duos ejusmodi Booz prætermissos à Matthæo intercessisse, hiatus ille temporum facile expleretur: sed non saltem de eo non constat, verum contrarium planè probari potest ex Scripturâ quæ tribus in locis ubi ejusdẽ seriei enumerationem instituit unius saltem Booz mẽtionem facit, non plurium. *Ruth.* IV.20.21. 1.*Paral.* II. 11.12. *Luc* III. 32. Sententia ergo *Lyrani* 1. precaria & sine fundamento. 2. Contraria Scripturæ in locis allegatis. 3. Contraria versui 17. hujus capitis, ubi omnes generationes inter Abrahamũ & Davidem quatuordecim saltem fuisse dicuntur, siquidem vero duo Booz adhuc intermedii intercessissent, utique sanè sedecim inter Abr. & Dau. generationes constituerentur. 4. Adde quod sic nodus non solvatur sed adstringatur potius: quæri enim denuo potest, qui fiat quod duo illi Booz & hic à Matthæo, & alibi tribus in locis prætermissi fuerint? ubi hærendum necessariò *Lyrano*, & iis qui sententiam ejus sequuntur. Nec opponi potest exemplum trium Regum prætermissorum, tum quod ratio dari possit, cur illi fuerint prætermissi, ut videbitur suo loco, tum quia aliis in locis Genealogiæ sacræ inserti leguntur, adeóque constat illos intercessisse, duos vero Booz non item.

IV. Respondent alii & meritò, fundamentũ *Lyrani* falsum esse, nimirum historiam Ruth incidisse in tempora Heli, quam ille hausit

hausit ex *lib.*v.*Ioseph.Antiq.cap.*xI.nam ex ipso Iosepho hic anachronismus potest revinci,siquidē cōferātur *libri* v.& vI.diversa capita,& ineatur calculus generationis & gubernationis & Heli & Samuelis,& Saulis,& postmodum Davidis,inde enim constabit Booz genuisse Obed longè ante tempus Heli, adeóque Historiam Ruth non incidisse in ejus ætatem, sed eâ vetustiorem esse.Quin & proclive demonstrare,temporum ratione accuratè putatâ, ipsum quoque Isai ab Obed ante tempora Heli genitum fuisse. Multi ex Hebræis etiam arbitrantur Booz alio nomine vocatum fuisse Ibzan, & gubernatione populi Iudicis titulo defunctum septem annis, de quo *Iud.*xII.10. sed ex merâ conjecturâ & sine certo fundamento. Imò quod de triginta filiis & filiabus Ibzanis legitur ibidem, parum videtur convenire cum iis quæ dicuntur de Booz in libro Ruth.

V. Etsi verò certum sit historiam Ruth vetustiorem esse ætate Heli,& referri debere ad tempora Iudicis alicujus ex illorum numero qui in libro Iudicum commemorantur,ut patet ex *capite* I.*Ruth.*v.I.sive is Debora ut vult *Iunius* noster, fuerit, sive *Gedeon*, ut placet quibusdam, sive *Ehud* ut volunt alii, tamen scrupulus à *Lyrano* motus aliunde fortius urgeri potest.

Constat inter Chronologos præstantes anno Mundi 2452. period.Iul.3216. egressos fuisse Israelitas ex Ægypto, fundationem verò templi Salomonis incidisse in annum Mundi 2932. period.Iul.3696. qui calculus disertè ex S.Scripturâ comprobari potest.Nam I.*Reg.*vI.I. dicitur Salomon cœpisse construere templum anno quarto sui regni, & anno quadringentesimo octogesimo ab exitu populi ex Ægypto.Hinc subtractis annis & moræ Israelitarum in deserto per 40.annos,& vitæ Davidis,qui septuagenarius occubuit,ut colligi potest ex II.*Sam.*v.4.& quatuor annis regni Salomonis, comperientur intercessisse adhuc inter Salmonem & Davidem trecenti sexaginta sex anni. Quæritur ergo quomodo hiatus ille possit expleri tribus illis capitibus quæ intermedia saltem numerantur inter Salmonem & Davidem, nimirum Booz, Obed, & Iesse, vel Isai: imò quomodo illi adeò grandævi prolem suscipere potuerint? Vt enim sibi constet temporum ratio,statuendum illos circa annum centesimum ad minimum suæ ætatis genuisse, quod videtur alie-

num à ratione, cum id miraculo deputetur, quod Abraham illâ ætate ex singulari Dei promissione & benedictione Isaacum susceperit.

Posset hîc ad nodi hujus solutionem adduci sententia quorundam, in quam inclinat *Masius in cap. II. Iosuæ*, existimantiũ aliam esse Rachab ab Hierichuntinâ illâ, alium etiam Salmonem ab eo qui fuit unus ex principibus tribus Iudæ tempore Iosuæ. Sed quia id à coniecturâ, & parum veri simile, cum non sine gravi causâ nomen Rachab ut & Ruth expresserit Spiritus S. ut infra videbitur, nodus hic aliter solvendus. Dicendum ergo videtur & Salmonem & Rachab iuvenes admodum fuisse sub ingressum Israelitarũ in terram Chanaan, & grandęvos demum ætate inclinate generasse Booz. Ponamus circa annum Mundi 2494. period. Iul. 3258. ingressos fuisse Israelitas in terrã Chanaã, & Salmonem in deserto natum tum habuisse annos decem, Rachab viginti: Iuuenem enim illam fuisse probabile ex eo quod nec mariti nec sobolis conseruandæ meminerit, sed saltem domus patris sui, fratrum & sororum *Ios.* II. 13. unde & Masius infert eam caruisse marito & sobole. Ætatem etiam eius florentem arguit attributum זונה quod ei adscribitur, de quo infra agetur. Quamuis etiam dici possit eam viduam fortè fuisse, cum incoluerit ædes peculiares seorsim à parentibus. Sed & infra annum vicesimum viduitatem experiri poterat. Matrimonio verò post conjuncti Rachab & Salmon (quem ex exploratorum illorum, qui ad Rachab prius diverterant, numero fuisse Hebræorum filii tradunt, sed gratis & ex conjecturâ) ætate demum inclinante Salmon anno 76. Rachab anno 86. potuerunt gignere Boozum, sub annum Mundi 2560. Sic Booz centenarius ex Ruth juvene potuit gignere Obedum, sub annum mundi 2660. Boozum enim jam grandævum Ruth juvenem duxisse colligi potest ex ipsius Boozi verbis *Ruth* III. 10. *Benedicta esto filia mea Iehovæ, meliorem præstas hanc benignitatem tuam illâ priore, non sequẽdo ullum juvenum sive pauperem, sive divitem.* Opus ergo Boozũ tum alius fuisse ætatis illiusque jam provectæ. Ponamus Obedum etiã ex muliere juvencula eâdẽ ætate genuisse Isai, natalis hujus incidet in anno 2760. Sic nihil absurdi Isai cẽtenarium genuisse Dauidẽ anno Mundi 2860. Hoc modo trecenti illi & sexaginta sex anni cõmodè inter Salmonem, Boozum, Obedum,

Isai

Iſai & Davidem diſtribui poſſunt. Et ſanè ex hiſtoriâ Iſai conſtat illum jam grandævum genuiſſe Davidem, qui etiam minimus natu inter octo fratres fuiſſe legitur 1.*Sam.*XVI. Quem calculum inimus non quod præcisè illis ipſis annis genuiſſe illos ſtatuamus, cum de eo nihil certi tradatur in Scripturâ S. ſed quod circa illam ætatẽ gignere potuerint ſine abſurditate. Perinde ergo eſt quicúnque illi anni conſtituantur, modò prouecta ætate genuiſſe cenſeantur, ut commoda annorum illorum 366. diſtributio fieri poſſit.

Nec mirum illos in ætate decrepitâ in ſpeciem prolem ſuſcepiſſe, nam illo tempore crudior adhuc & vegeta magis hominum erat ſenectus, & ætas maior. Vnde quod jam impoſſibile vel abſurdum videtur, tum tale non erat. Nam & Abrahamus centenario maior generauit ſine miraculo ex Cethurâ juvene, quamuis ante in minore ætate ex Sarâ & decrepitâ & ſterili non niſi per miraculum ſuſceperit Iſaacum. Niſi fortè dicendum cum *Auguſtino quæſtione* LXX.*in Geneſ.* non exigui temporis robur Abrahamo fuiſſe datum, ſed divinâ gratiâ corpus quod ante prorſus erat νενεκρωμένον ſecundum Apoſtolum *Rom.* IV.19. in ſenectâ refloruiſſe ad generandum. Sic & ipſe Moſes attigit annos centum & viginti. Et Calebus natus octoginta quinque annos adhuc robuſtus dicitur & vires integras habere *Ioſ.*XIV. 11. Adde quod & illi Abrahami inſtar ex conjugibus junioribus generaſſe ſunt cenſendi, cum jam eſſent ætatis provectæ. Nec dubium extraordinariam Dei benedictionem intercesſiſſe in majoribus illis Chriſti prole ditandis, etiam tum cum vigor illorum jam exaruiſſe videretur, ut illi charactere quodam extraordinario deſignarentur, prout & ante ingreſſum Iacobi in Ægyptum mirum quid etiam in familiâ Iudæ contigit per extraordinariam ejus fœcũditatem. Quamuis enim Iuda natus ſaltem fuiſſet circa annum Mundi 2196. period.Iul.2960. & Iacobus deſcenderit in Ægyptum anno Mundi 2238. period.Iul. 3002. adeóque anni ſaltem quadraginta duo interceſſerint intermedii, tamen jam nepotes habuit Iuda è Pharez, Hetſron, & Hamul.*Gen.*XLVI.12. Nec verò deſunt exempla fœturæ ejuſmodi penè miraculoſæ in ætate prouectâ. *Plinius Hiſt. natur. lib.*VII.*cap.* XIV. tradit Maſiniſſam Regem poſt LXXX. annos genuiſſe filium, Catonem etiam Cenſorium genuiſſe octogeſi-

mo exacto è filiâ Salonii clientis sui. Et concludit *Plinius* usque ad annum LXXV. apud ignobiles vulgarem reperiri generationem. Sic *Iunius* in notis *ad caput* I. *Ruth* exemplū extraordinarium ejusmodi à se in Palatinatu visum memorat. Vide etiam caput XLVIII. apud Plinium, ubi μακρόβιοι & μακροβιώτατοι utriusque sexus magno numero producuntur, quales etiam Illustr. vir *Ios. Scaliger* è sacris adducit in *El. Orat. Chronol.* & contendit Iojadam Pontificem annos vixisse centum & triginta, & verè quidem, disertè enim reperitur I. *Paral.* XXIV. 15. *Suidas* id factum dicit διὰ τὴν πολλὴν αὐτοῦ εὐσέβειαν. Fallitur verò *Eusebius*, qui in Chronico suo anno M C XXIV. solum Iojadam ad id ætatis peruenisse tradit, idem enim *Scaliger* ex collatione diversorum locorum docet Phineam Eleazari filium cujus adhuc mentio *Iud.* XX. 28. attigisse ad minimum annos CCCXL. Addit *Scaliger* in partibus Marroci, Fessæ, & in tractibus Montis Atlantis hodie adhuc crebrius esse homines CXX. annorum videri, quam hic mulierem gemellos parere. Hollandos etiam Argonautas Regem vidisse annorum CL. in partibus Iavæ, qui pugnando periit. Se vidisse Nitiobrigem CXX. annorum, cujus pater obierit anno CXXX. ætatis, proavunculum etiam matris suæ CXX. annos sine ullo morbo transegisse. Cum ergo hujus μακροβιότητος exempla crebra & majorum ætate & nostrâ reperiantur, qualis sine insigni vigore dari nequit, nec mirum, nec absurdum videri debet genuisse aliquos è majoribus Davidis jam graves annis. Et bene *Scaliger*, multa ejusmodi exempla usitatum quidem modum excedere, sed non naturalem. Nec putandum illos semper primogenitos fuisse qui in serie hac genealogicâ enumerantur, adeóque in ætate minus provectâ genitos, cum contrarium exemplis & Iudæ, & Davidis, & Salomonis in hâc Genealogiâ adductis constet, qui multos ante se fratres habuerunt, quamuis ius primogenituræ singulari DEI benedictione ad illos translatum fuerit.

DVBIVM

DVBIVM IV.

Quomodo dicatur *Matth. 1. 8.* Ioram genuiſſe Oziam, cum conſtet ex II. *Reg.* VIII. 24. II. *Reg.* XI. 2. 1. *Chron.* III. 11. 12. Ioramum genuiſſe Achaſiam, Achaſſam Ioaſum, Ioaſum Amaziam, Amaziam denique genuiſſe Oziam II. *Par.* XXVI. 1. qui & Azarias vocatur. II. *Reg.* XV. 1.

EXAMEN.

Cauſa Dubii allati. Duplex ſcrupulus. Solutio primi. Solutiones ſecundi variæ à variis. Confutatio ſingularum. Rupertus & Annius notati. Hilarii & Hieronymi coniecturæ. ἐν ςάσεις *quædam. Solutio probabilis. Novus ſcrupulus Maldonati. Solutio.*

I. HOc dubio duo ſcrupuli proponuntur notatu digni. 1. Quomodo Ioram dicatur genuiſſe Oziam, cum tamen illum non genuerit? 2. Cur tres Reges, Achaſias, Ioaſus & Amazias prætermittantur prorſus in ſerie hac genealogicâ? Videtur enim Matthæus in utroq; vel falli, vel fallere, & ſic habebunt & Iudæi, & profani alii, quod impingant Matthæo & objiciant Chriſtianis. Vel enim tres illi Reges prætermiſſi huic ſeriei ſunt inſerendi, vel non? Si ſint inſerendi, non ſibi conſtabit teſſaradecas ſecunda & peccauit Matthæus illos prætermittendo; ſi non ſint inſerendi, falſa ergo enumeratio quæ locis allegatis in Veteri Teſtamento inſtituitur, ubi deſcendit Scriptura à Ioramo ad Achaſiam, ab Achaſiâ ad Ioaſum, à Ioaſo ad Amaziam, ab hoc tandem ad Oziam.

II. Primi ſcrupuli ſolutio facilis eſt. Vt enim nepotes dicuntur filii apud Hebræos, ſic avi & proavi patres, qui cenſeri poſ-

ſunt genuiſſe nepotes ac pronepotes, generatione videlicet mediatâ, quâ reverâ ab illis deſcẽdũt. Sic Chriſtus v. I. vocatur *filius Davidis & Abrahami*. Sic nos omnes vocamur *filii Adæ*. Sic Elizabetha hoc ſenſu dicitur eſſe *ex filiabus Aaron*. *Luc*. I. I. Sic mulier ſanata filia Abrahæ, *Luc*. XIII. 16. ſic Iudæi *Ioh*. VIII. *pater noſter Abrahã eſt*, & *ſemen Abrahæ ſumus* v. 33. 39. Sic notum Ius Romanum liberorũ nomine cõplecti non filios ſolum & nepotes, ſed & pronepotes, ac abnepotes. Sic υἱότης extenditur apud Græcos ad ἀπογόνοις & ἐκγόνοις. *Theodor*. καὶ ἐκγόνους υἱοὺς ἀεὶ λέγουσιν οἱ πάπποι καὶ τοὺς μακρόθεν ἀπογόνους. Et ut bene obſervat etiam *Scaliger*, tales ab Hebręis vocãtur בנים הקטנים. In hoc ergo nec fallitur nec fallit Matthæus, quia verbũ ἐγέννησε ipſi interdum *immediatam* generationem deſignat, interdum *mediatam*, veritas verò vel falſitas ſcriptoris alicujus ex ſcopo & intentione illius petenda. Ioram ergo hic genuit Oziam ut abavus, non ut atavus, ut perperam *Salmero*, abnepotem.

III. Secundi ſcrupuli ſolutio difficilior eſt. Interpretes hîc anxiè ſe torquent & variant linguis ac ſententiis. Quidam putant hos tres reges prætermiſſos à Librariis. Sed I. hoc mendum non eſſet generale, nec in omnibus prorſus exemplaribus. 2. Parum veriſimile Spir. S. paſſurum fuiſſe tam inſigne σφάλμα in ſacrum contextum irrepere. 3. Siquidem inſerti fuiſſent etiam hi tres Reges à Matthæo, non conſtaret ſibi in enumeratione ſuæ teſſaradecados, ſic enim plures in eâ quàm quatuordecim generationes reperirentur. 4. Iam tempore *Hieronymi* non reperiebantur in genealogicâ hac ſerie tres illi Reges, qui ob id de causâ omiſſionis illius reddendâ laborat.

IV. Quidam arbitrantur oblivione hoc factum, vel Matthæum deceptum ſimilitudine nominum Oziæ & Ochoſiæ, pro iſto illum ſubjeciſſe, & ſic prætermiſſos cum Ochoſiâ Ioaſum & Amaziam. Voluiſſe enim Spir. Sanctum exſtare etiam in Scripturâ S. nævos humanæ infirmitatis ab amanuenſibus, quibus uſus fuerit. Sic *Matth*. XXVII. 9. Ieremiam nominari pro Zachariâ. Sed I. hoc parum convenit Majeſtati Spiritus Sancti, & ſacrarum litterarum authoritati, cum ſcriptores ſacri nõ minus ſcripſerint quã locuti fuerint acti à Spiritu Sancto, adeóq; hac in parte extra omnẽ erroris aleam fuerint cõſtituti. II. Pet. I. 21. 2.

Magna

Magna etiam nominum Hebræorum diſſimilitudo Achaſiæ & Oſiæ, inter quæ non facilis lapſus. Ille enim vocatur אחזיהו, iſte עזיהו & interdum עזריהן II. *Reg.* VIII. 25. II. *Par.* XXVI. I. II. *Reg.* XV. I. 6. 7. 3. Nodum qui *Matth.* XXVII. 9. ſuo loco examinabimus.

V. Alii exiſtimant noluiſſe Spiritũ Sanctum eſſe ita accuratũ in re non magni momenti, quæ non concernat fundamentum fidei. Sic ex verſione LXX. Interpretum ſæpe multâ in Scripturâ proponi, quæ non exſtant in Textu Hebræo. Sed nec hæc ſolutio admittenda ob cauſas ſupra dictas. Nec putandum Spiritum S. ſine gravi causâ voluiſſe prætermittere tres illos Reges. Verſionem verò LXX. Interpretum ſequitur ſæpè Spiritus Sanctus, vel quando illa ſenſum exprimit, vel quando Spiritus S. myſticum quid è textu ſacro vult elicere, vel quando per συγκατάβασιν ſe vult accommodare aut Helleniſtis inter Iudæos, aut gentilibus recens converſis, apud quos verſio illa in magnâ erat æſtimatione: ſed inde non inferendum Spiritum S. incurium fuiſſe, & negligentem in veritate proponendâ, alioquin rimâ hâc ſemel admiſſâ facillimè cadet Majeſtas & αὐθεντία Scripturæ.

VI. *Rupertus Tuitienſis*, ideò fuiſſe prætermiſſos tres illos Reges putat, quod non ſinerent Prophetas vaticinari de adventu Meſſiæ. Ioaſum enim occidiſſe Zachariam II. *Par.* XXIV. & XXV. Amaziam etiam vatem in crimina ſua invectum rejeciſſe. Sed hoc coactum & ſine fundamento. Imò de Achaſiâ nihil tale dicitur. Adde quod nec Zacharias, nec vates ab Amaziâ reprehenſus quicquam de Meſſiâ vaticinati tum temporis legantur.

VII. *Annius* aliam ex *Philone* hujus prætermiſſionis cauſam adducit, & ideo hunc ſaltum factum contendit, quod poſteritas Salomonis defecerit in Achaſiâ, & Ioas ex lineâ Nathamis ſucceſſerit Achaſiæ in dignitate regiâ, qui filius Achaſiæ dicatur ſaltem ratione ſucceſſionis, non ratione generationis, cum alioqui patrem habuerit Simeonem. Sed & hæc ſolutio non ſolùm ſine authoritate eſt ac ratione, ſed & contraria S. Scripturæ. 1. enim in Operibus *Philonis*, qualia hodie exſtant, tale quid non reperitur. 2. Etſi reperiretur, *Philonis* authoritas parum faceret ad ſententiæ hujus confirmationem, cum

causæ nihil sit cur Achasias debuerit prætermitti, quem fatetur *Annius* adhuc fuisse ex stirpe Salomonis. 3. Adde quod Ioas non saltem sæpè Achasiæ filius vocetur II. *Reg.*XI.2.XIII.1. I.*Par.*III.II. sed & expresse dicatur subductus crudelitati Athaliæ in semen regium sævienti per Iosabam II.*Reg.*XI.I. 4. Sed ponamus, quod falsum, Ioasum ex lineâ Nathanis ad regni gubernacula fuisse admotum, quî factum quod ille prætermittatur cum filio Amaziâ, Ozias non item, qui tamen ex eâdem lineâ, ut & illi qui Oziam sequuntur? 5. Adde Lucam Genealogiam posteritatis Nathanis describentem nullam hujus Ioasi facere mentionem.

VIII. Alij existimarunt tres hos Reges ideo prætermissos à Matthæo, quod fuerint peccatores insignes, & variis criminibus cooperti. At 1. sic & alii multi fuerant prætermittendi, nimirum Achaz, Manasses, Amon &c. 2. In serie genealogicâ non habetur ratio probitatis vel improbitatis, sed generationis, nisi specialis aliqua & extraordinaria subsit causa. 3. Tantum etiam abest ut peccatores è Genealogiâ suâ expunctos voluerit Servator noster, ut peccatores & peccatrices maximè insignes voluerit ei inseri, & ab illis descendere, ut peculiari *Dubio* videbitur. 4. Addi potest Ioasum ad tempus pium & religiosum fuisse, quam diu videlicet superstes fuit Iehojada II.*Par.* XXIV. sic Amaziam etiam ad tempus DEUM coluisse. II.*Par.* XXV.

IX. Alii in hâc sententiâ fuerunt, ideo prætermissos Reges illos, quod Matthæo non fuerit propositum singulorum nomina referre, qui inter Davidem & Christum intercesserunt, sed suo consilio certas tessaradecadas constituere, & secundam claudere cum sceptri fine. In quam sententiam propendet CL. *Gomarus*, id *factum nullâ historiæ læsione*, sed *opportuno ad memoriam in tessaradecadum concinnitate juvandam compendio*. Verùm I. huic sententiæ duo potissimum opponi possunt. I. in reliquis nullum ejusmodi hiatum reperiri, nec sine gravi causâ hic poni. 2. nodum non solvi. Ponamus ad tessaradecadem constituendam prætermittendos fuisse aliquos vt clauderetur secunda tessaradecas cum sceptri fine. Quæstio semper manet, quî fiat, quod hi potius prætermissi fuerint quam alii?

X. Allegorias varias etiam varii producunt. Sed quæ nec nodum

nodum solvunt, nec Lectori satisfacere possunt, qualis hæc *Salmeronis*, qui hic ἀλληγορεῖ inquiens, illos tres exclusos ex hoc Catalogo gerere typum omnium qui fidem Trinitatis abnegantes & tribus virtutibus Theologicis se ipsos privantes merentur excludi à salute, nec inter filios fidelis Abrahæ numerari. Sed 1. hoc allegoricum & coactum, & si liceret ita ἀλληγορεῖν, facilis foret omnium dubiorum solutio. 2. Causæ nihil adfertur, cur ad hoc designandum hi potius selecti fuerint quàm alii.

XI. Hieronymus & Hilarius duas illas sententias supra propositas conjungunt, nimirum Evangelistæ propositum fuisse *tres tessaradecadas in diuerso temporum statu ponere*, ut inquit *Hieronymus*: hos verò potius prætermissos quam alios, eò quod affinitatem contraxerit Ioram cum impio Rege Achab & se miscuerit generi impiissimæ Iezabel, ductâ Athaliâ filiâ ejus, & sic sanguinem regium Iudæ polluerit, *idcircò ad tertiam usque generationem ejus memoriam tolli, ne in sanctæ nativitatis ordine ponatur*, ut habet *Hieronymus. Comm. in Matth.* Sic *Hilarius* inquit *Can.* I. *In Matthæo Ioras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentili fæminâ Ioras Ochosiam genuit, ex Achab scilicet, qui Hiezabel habuit uxorem. Denique per prophetam non nisi quartâ generatione in throno regio Israelis quenquam de domo Achab esse sessurum dicitur.* Sed reverâ nec hæc ratio sufficere videtur. Nam 1. & alii multi idem peccatum peccasse leguntur, ut Salomon, qui non impiorum solùm Regum, sed & alienigenarum filias duxit, nec unam vel alteram solùm, sed complures. Sic & Achaz, Manasses, & alii multi eandem ob causam fuissent excenturiandi. 2. Adde quod si peccata in genere non excludant à Genealogiâ Servatoris nostri, nec hoc vel illud peccatum in specie excludet. 3. Si peccatum hoc Iorami adeò grave fuit, cur non ipse potius deletus legitur, quam filius, nepos & pronepos, qui criminis ejusdem rei non sunt, quos constat ex S. Scripturâ nullam cum domo Achabi affinitatem contraxisse. 4. Imò Iosaphat rex pius cum Achabi domo primus se hoc modo conjunxisse legitur II. *Par.* XVIII. I. nec tamen ille prætermissus in hoc Catalogo.

Aliĳ existimarunt ideò tres illos Reges fuisse prætermissos, eò quod occisi legantur, & violentâ morte sublati. Sed 1. nec

hæc causa sufficiens,ob id enim non desierunt esse inter majores Christi. 2. Ioram & Iosias & alii pari ratione occisi leguntur,qui tamen hic non prætermissi.

XIII. *Iac.Faber Stapulensis* difficultate in desperationē versâ ingenuè addo & piè cōcludit.*Inter Iorā & Oziam tres medii omittūtur Ochosias,Ioas,& Amasias,quos quâ ratione Spiritus Euangelistæ hac generationū serie excluserit indignósve censuerit, ipse novit qui omnia novit, qui scrutatur profunda etiam Dei, Spiritu enim Dei agitante certum est Evangelistas scripsisse, quapropter hanc potißimum causam crediderim,Spiritus Sancti,quem nihil latet,per quem scribebat Evangelista,voluntatem,ne quis putet id ignorantiâ aut dormitatione Evangelistæ accidisse.*

XIV. Sanè fatendum hunc nodum perplexum valde esse,& vix sufficienter solvi posse,non quod sine gravi causâ prætermissi fuerint tres illi Reges,sed quod causa illa nos lateat. *Hieronymus* tamen & *Hilarius*,etsi causam illam non planè assecuti videantur, interim viam præiverunt aliis indagandæ rationis, si non apodictic̨e,probabilis tamen & valdè verisimilis, quam & *Iansenius* attingit,& post eum *Maldonatus* explicatius exequitur,etsi in eo hallucinetur quodOziam à Ioaso genitum statuat, cum tamen ab Amasiâ filio Ioasi genitus fuerit. II.*Par.*XXVI.I. Res verò sic videtur commodè posse proponi. Cum constitutum fuisset Spiritui Sancto omnes illas generationes in certas tessaradecadas referre,cuius calculi causa peculiari *Dubio* & discutietur & aperietur, & verò in secundâ serie septendecim reperirentur γενεαὶ, aliqui fuerunt prætermittendi, & quidem tres ut constaret numerus ille. Nec regeri debet Matthæum potuisse claudere secundam tessaradecadem ante Iechoniam, quia certo consilio ei finem imponere voluit tempore captivitatis Babylonicæ,ut videbitur in sequentibus. Adde quod sic in tertiâ tessaradecade plures quatuordecim generationibus occurrissent ad Christum usque. Ne verò mirum videretur aliquos prætermissos fuisse,non sine causâ disertè indicat Spiritus Sanctus sibi constitutum fuisse enumerationem illam includere certis tessaradecadibus, adeóque se numeri hujus rationem habere voluisse, & totidem numerando percensere quot numerum illum constituerent.N[illegible] de nihilo planè quòd in primâ tessaradecade dicatur v.17. πᾶσαι αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαβὶδ γενεαὶ

γενεαὶ δεκατέσσαρες: In ſequenti verò ſerie univerſalis illa prætermittatur ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος γενεαὶ δεκατέσσαρες. Quod tamen ut probabile ſaltem non ut apodicticum proponimus, cum nec univerſalis reperiatur in tertiæ ſeriei deſignatione, in quâ tamen quatuordecim ſaltem generationes interceſſerunt.

Cauſa verò cur hi potius prætermiſſi fuerint quam alij in ſecundæ teſſaradecados conſtitutione hæc fuiſſe videtur, id factum ob maledictionem peculiarem quam Deus bis pronuntiat effundendam ſuper domum Achabi (quod optimè obſervavit *Hilarius Can.*I.) I.*Reg.* XXI.21. & II.*Reg.* IX.8. & ſequentibus, quicquid videlicet Achabi eſſet, exſcindendum vel exciſum iri, uſque ad mingentem ad parietem. Quam maledictionem hic ratam eſſe voluit Deus, tres hos Reges qui erant ex poſteritate Achabi, (nam Achaſias à Ioramo ex Athaliâ Achabi filiâ genitus fuit) prorſus eradendo è Catalogo Regum anteceſſorum Chriſti. Et quamvis regnarint actu tres illi Reges, tamen reverâ ob maledictionem illam ſingularem cenſentur quaſi capite minuti non regnaſſe, unde & tragici illorum exitus fuerunt. Prout & *Dan* tribus *Apoc.*VII. conſimili de cauſâ in ſignatorum Catalogo prætermittitur, non quod Antichriſtus ex illâ tribu naſciturus eſſet, quod Scriptores Pontificii contendunt ſine ullo fundamento, ſed quia tribus illa à cultu Dei ad idola jam olim defecerat, & ſe cum gentibus permiſcuerat. *Iud.* XVIII. Si verò quæratur, cur non ob eandem maledictionem prætermiſſi fuerint etiam reliqui, qui in eadem lineâ ſecuti Amaziam, Ozias videlicet qui & Azarias II.*Reg.*XV. & alii, ut qui pari ratione mediatè ab Achabo deſcenderunt, reſponderi poteſt probabiliter, iram Dei & maledictionem in puniendâ ſobole ob peccata parentum extēdere ſe ſaltem in tertiam vel quartam generationem ſecundum legis effatum. *Ex.*XX. Quamvis Deus non ſemper ita ſtrictè executus legatur minas ſuas, quin ſæpè voluerit intercedere ſummæ ſuæ miſericordiæ teſtimonia in benedictione ſobolis etiam impiorum parentum. Hæc verò ſequela maledictionis effuſæ in poſteritatem Achabi egregiè conferri poteſt cum benedictione à Deo effusâ in poſteritatem Iehu ob executionem judicij divini contra domum Achabi, nam & illi prædictum II.*Reg.*X.30. poſteros ejus ſeſſuros ſuper

thronum Iſraelis ad quartam uſque generationem, quod & reverâ adimpletum legitur II.*Reg*.XV.12. in Ioachaz filio, Ioaſo nepote, Ieroboamo pronepote, & Zachariâ abnepote, in quo per Sallum poſteritas Iehu extincta fuit. Et hæc quidem probabiliter ad hoc *Dubium* intricatum admodum utcunque declarandum adferri poſſunt, reſtat tamen ampla ſatis materia viris doctis de hoc argumento ulterius cogitandi, quorum ſolutionibus ſolidioribus, ubi illæ allatæ fuerint, facilè aſſurgemus. Interim tametſi hujus prætermiſſionis ratio talis quæ cogat ad aſſenſum inveſtigari à nobis nequeat, nihil cauſæ eſt cur profani eo nomine inſectentur veritatem Chriſtianam, nihil enim inde decedit noſtræ cognitioni in neceſſariis ſiue ad conſtitutionem fidei, ſive ad directionem vitæ noſtræ, quamuis hoc & alia id genus *Dubia* ignorentur.

XV. Movet verò ſcrupulum novum *Maldonatus*, Ochoſiam non conſtitui in Scripturâ nepotem Achabi ex filiâ, ſed Omri potius Regis Iſraelitarum, utpote cujus filia dicitur Athalia non verò Achabi II.*Reg*.VIII.26. Hinc videtur ſolutio allata everti, non expungi videlicet Reges illos eò quod eſſent ex poſteritate Achabi, & participes maledictionis illi denuntiatæ. Reſpondet ibidẽ *Maldonatus* ex ſententiâ Rabbinorũ aliquot R. *David* & R. *Levi* & commodè ſatis, Athaliam vocari filiam Omri, h.e. neptẽ ex cõſuetudine Hebręâ, reverâ verò fuiſſe filiã Achabi, qui erat filius Omri, quod quater repetitur. I.*Reg*. XVI. 28.29.30. Nam Ioram diſertè II.*Reg*.VIII.18. dicitur filiam Achabi habuiſſe pro conjuge; & v.27. vocatur חתן gener domus Achabi. Nec Iehu Achaziam diſtrictè occidi iuſſiſſet II.*Reg*. IX. 27. dum maledictionem divinam ſuper domum Achabi exequitur, niſi fuiſſet ex poſteritate Achabi. Si quæratur verò, cur Scriptura Athaliam vocet filiam Omri non Achabi, ſi hujus fuit filia non illius: reſponderi poteſt, illam vtriuſque filiam fuiſſe, illius *mediatè*, iſtius *immediatè*, referri verò potius ad Omri ob execrandam Achabi memoriam, ne quod ſemen ei ſuperſtes videretur, reliquis enim liberis ejus omnibus à Iehu occiſis hæc una ſuperſtes erat, eò quod non Samariæ cum reliquis, ſed Hieroſolymæ viveret, utpote nupta Ioramo Regi Iudæ, quæ tamen & ipſa tandem maledictionis divinæ vim experta fuit, quando Iehojadæ mandato poſt introductum Ioaſum in regnum & hæc regni Iudaici uſurpatrix occiſa legitur II.*Reg*.XI.10. Poteſt ve-

rò hoc etiam addi ſententiæ *Maldonati*, Athaliam vocari filiam Omri potius quam Achabi, quia etſi iſtius filia fuerit, ab avo tamen Omri, quando erat adhuc ſuperſtes, peculiari ratione vel adamari, vel adoptari, vel hæreditate donari, & ſic filia ejus varias ob cauſas apud Iudæos receptas cenſeri potuit.

DVBIUM V.

Quî dicatur à Matthæo *cap.* I. v. 9. Achaz genuiſſe Ezechiam, cum tamen temporum ratio id minimè ferre videatur?

EXAMEN.

Cauſa Dubii. Tempus pubertatis apud Romanos & Hebræos. Scaliger laudatus. Funccius notatus. Solutiones aliæ propoſitæ & confutatæ. Probabilis ſubjecta. Exempla mira generationis ex Scaligero & Hieronymo. Ejuſdem Hieronymi judicium. Ἄπορα varia Chronologica. Diſtinctiones aliquot. Earum applicatio & ſolutio difficultatum. Quorundam opinio rejecta & confutata.

I. CAVSA dubitandi nulla videtur, ſiquidem conferatur hæc ſeries cum Catalogo Regum Iudaicorum, qui texitur in veteri Teſtamento. Certum enim & ἀναμφισβήτητον II. *Reg.* XVI. 20. & II. *Reg.* XVIII. 1. Ezechiam & filium & ſucceſſorem Achazi diſertè conſtitui. At cauſa dubitandi maxima datur ſi calculum ſacrum ineamus, & temporum rationem accuratè putemus collatis inter ſe diverſis S. Scripturæ locis. Legimus II. *Reg.* XVI. 2. Achazum viginti annorum fuiſſe quando cœpit regnare, & regnaſſe ſedecim annis Hieroſolymę, adeóque fato functum eſſe anno 36. ætatis, relicto ſucceſſore Ezechiâ. Si

verò conferamus II.*Reg*.XVIII.2. reperiemus Ezechiam iam viginti quinque annorum fuiſſe quando ad regni gubernacula primùm admotus fuit.Subtractis ergo 25.annis vitæ Ezechiæ à 36.annis vitæ Achazi,undecim ſaltem annorum relinquitur Achaz,cum gigneret Ezechiam,quod abſurdum videtur & δύςπεπτον prorſus,cum ætas illa ad generationem inepta ſit, unde pubertas civilis in Iure Romano in maſculis poſt XIV. annum completum demum initium accipere cēſetur ex conſtitutione Imperatoris *Inſtit.lib.*I.*tit.*XXII.*quibus modis tutela finitur*, plena demum anno XVIII. §. 4. *tit.* XI. *de adopt.* Sic apud Iudæos civilis pubertas reſtringitur ad annos XVII. abſolutos, plena ad annos XX. quod probè obſervat *Scaliger in El. Orat. Chronol.*

Nodum hunc intricatum jam dudum Hieronymo objectum fuiſſe à *Vitali* patet ex *Hieronymi* Epiſtolâ eidem Vitali inſcriptâ, quæ exſtat *Tom.*III. *Inter cætera*, inquit, *deprecaris ut tibi exponam cauſas quare Salomon & Achaz undecim annorum filios genuiſſe dicantur?*

II. Quidam exiſtimarunt hoc Dubium commodè expediri poſſe,ſiquidem initium regni Ezechiæ non à morte patris Achazi arceſſatur,ſed dicatur unà cum patre ad tempus regnaſſe.Sic *Funccius* Chronologus Germanus ſtatuit Ezechiam biennium regnaſſe cum patre, ſed ſine fundamento. At tantum abeſt ut hac ratione nodus ſoluatur,utadſtringatur potius, inde enim ſequetur Achazum infra annum undecimum genuiſſe Ezechiam,& totidem anni quot regnoEzechiæ adſcribentur,detrahentur ætati Achazi.

III. Probabilior in ſpeciem videtur conciliatio aliorum qui hariolantur interregnum aliquot annorum interceſſiſſe inter Achazi mortem & initium regni Ezechiæ,& inde nodum incidendum eſſe.Si enim mortuo Achazo vacuum fuiſſe ſolium Regum Iuda ad annos 3.vel 4.ſtatuamus,donec Ezechias ſucceſſor Patri deſignaretur,cenſeri poteſt Achaz genuiſſeEzechiam circa annū 14.vel.15.ætatis, ita utEzechias 21.vel 22.annorū ſaltem fuerit ſub mortē Achazi. Hujus ſolutionis meminit *Hieronymus Epiſt.ad Vital.* inquiens *ſe audiviſſe Hebræum quendam hujuscemodi narrare fabulam, non ſtatim poſt mortem patris filium Imperio ſubrogatum,ſed vel ſeditionibus populi,vel quibuſdam inter ſe regnis,aut certè pre-*

tè prementibus malis, & hinc inde consurgentibus bellis regnum ejus fuisse dilatum. Sanè fatendum solutionem hanc commodissimam futuram, siquidem hoc interregnum S. Scriptura potius quam conjecturâ niteretur: at non saltem ἄγραφον est, sed & ἀντίγραφον. Repugnant enim 1. verba quæ exstant II. Reg. XVI. 20. *Occubuit Achaz cum patribus suis, sepultusq́ est cum patribus suis in civitate David, regnavitq́ Ezechias filius pro eo*: quibus verbis Scriptura sacra successionem immediatam ordinariè designat. 2. Apodicticè immediata Ezechiæ successio probari potest ex collatione II. *Reg.* XVII. 1. & II. *Reg.* XVIII. 1. Hoseas enim *priori* loco dicitur cœpisse regnare anno duodecimo Achazi exeũte videlicet, *posteriori* Ezechias dicitur cœpisse regnare anno tertio Hoseæ. Inde patet cum Achaz sedecim annis regnarit, ut supra ostensum, nullum prorsus potuisse intercedere interregnum inter mortem Achazi & initium regni Ezechiæ. Authoritati sacræ addi potest ratio, non opus fuisse interregno cum sub mortem patris Ezechias jam adultus & regno maturus esset.

IV. Alii arbitrantur, inter quos Chronologus clarissimus *Calvisius*, Ezechiam vel fratrem aut privignum, vel filium fuisse Achazi, non natiuitate sed cognatione, vel adoptatione, adeóque mirum non esse Ezechiam non admodum inferiorem esse annis Achazo. Sed hæc solutio etsi in speciem egregia, repugnat S. Scripturæ, quæ utique Ezechiam ut filium naturalem Achazi proponit. Et Matthæus ambiguitatem omnem tollit quæ ex latitudine γνώσεως apud Hebræos dari poterat, dum inquit Ἄχαζ ἐγέννησε τὸν Ἐζεκίαν quod de adoptatis & successoribus non nisi durissimè dici potest.

V. Cum ergo solutio alia commodior non detur, nec investigari facile possit, dicendum mirum non esse Achazum illa ætate genuisse, cum & alia exempla similia alibi occurrant multorũ, quorum quidã ætate tenerâ, alii ætate decrepitâ & effœtâ ferè genuerunt ex singulari Dei dispensatione, quod supra & de Iudæ fœcunditate, & de vigore majorum Davidis ostensum & variis exemplis comprobatum fuit. Nec novum in multis vigorem antevertere annos, unde & *Instit. jur. lib.* I. *tit.* XXII. refert Imperator olim *veteres pubertatem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari voluisse.* Qui habitus diuersis-

ſimus pro temperamẽto inviduorum, unde quorundam juvẽtus in ætate decrepitâ, aliorum ſenium in juventute, æquè ac florum & plantarum, reperitur. Ætatem verò undecim etiam annorum quandoque fæturæ habilem fuiſſe probat Ill. *Scaliger* in *El. Orat. Chronol.* exemplo miro allato quod inquit memoriâ ſuâ cõtigiſſe in civitate Lactoratenſi Novempopulaniæ, ubi puer minor annorum duodecim genuerit ex puellâ conſobrinâ ſuâ, quæ nondum decimum expleverat. Et addit ſe rem notam narrare, & cujus adhuc memoria recens ſit in Aquitaniâ. Exempla alia à Medicorum filiis peti poſſunt. Hinc bene *Hieronymus Epiſt. ad Vital. Et alia multa dici in Scripturâ, quæ videntur incredibilia & tamen vera eſſe, nec enim valere naturam contra naturæ dominum.* Addit *Hieronymus* caſum mirum, & horrendum etiam. *Audivi, domino teſte non mentior,* inquit, *quædam muliercula cum expoſitum nutriret infantem, & inſtillaret cibos ac nutricis officio fungeretur, cubaretq; cum eâ parvulus qui uſque ad decimum jam pervenerat annum, accidit ut pluſquam pudicitia patitur ſe mero ingurgitaret; accenſaq; libidine obſcænis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis & cæterarum deinceps fecit conſuetudinem. Nec dum duo menſes fuerunt evoluti, & ecce fœminæ uterus intumuit. Quid plura? diſpenſatione Dei factum eſt, ut quæ contra naturam ſimplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, à naturæ domino proderetur: impleto ſermone quo dicitur.* Nihil occultum quod non reveletur. Addit ibidem *Hieronymus. Simulq; cõſideremus quod occultè Scriptura & Salomonem & Achaz voluptatis & impietatis accuſet.* Et paulò poſt peccatis aliquot Salomonis & Achazi enarratis, ſubjicit: *Ex quo perſpicuum eſt, homines à parvâ ætate libidini deditos, immaturâ eorum ſobole demonſtrari, quod etiam eo tempore peccare cœperint, quo natura non patitur.* Concludit *Hieronymus* paulò commotior ob diſſonãtiam annorum inter reges Iudæ & Iſraelis, *hujuſcemodi hærere quæſtionibus non tam ſtudioſi quam otioſi hominis eſſe videri.*

VI. Tametſi verò ſobriè in id genus quæſtionibus ſit ſapiendum, Hieronymo tamen hac in parte ſuſcribere non poſſumus, cum & ad Chronologiæ ſacræ integritatem, & ad compeſcendos latratus canum illorũ, qui ſacras literas ob ἐναντιοφανῆ ejuſmodi inſectantur, pertineat, & hominis Theologi interſit talia noſſe, nec difficultas in deſperationem vertenda. Proinde non diſſimulabimus δυσάπορα imò ἄπορα in ſpeciem multa hîc adhuc ne-

huc necti posse, ostensâ tamen etiã ratione conciliationis commodâ satis & firmâ. Nam II.*Reg.*XVII.I.legimus Hoseam cœpisse regnare anno duodecimo Achazi. II.verò *Regum* XV.30.dicitur idem regnasse anno vicesimo Iothami, qui annus incidit saltem in annum quartum Achazi, ut ex supputatione annorum patet. Hinc diversa *Dubia* emergunt

1. Contradictio evidens in speciem inter hæc loca.

2. Contradictio inter versus 30. & 33. II.*Reg.* XV. versu enim 30. regnum viginti annorum adscribitur Iothamo, versu verò 33. sedecim saltem annis regnasse legitur.

3. Sic videtur planè everti quod supra allatum ex II.*Reg.* XVIII.I.Ezechiam cœpisse regnare anno tertio Hoseę.cum enim initium regni Hoseæ incidat II.*Reg.*XV.30.in vicesimum Iothami annum,& hic in quartum Achazi, annus tertius Hoseæ erit annus septimus Achazi. Quî verò vel Achaz sedecim annis regnare potuit Ezechia regnante jam anno ejus septimo, vel Ezechias annorum viginti & quinque fuisse,ut habetur II.*Reg.*XVIII. 2. cum cœpit regnare? Sic enim cadit solutio quorundam hariolantium Ezechiam regnasse aliquot annis unà cum patre Achazo,manet enim semper difficultas hæc,si Ezechias cum cœpit regnare fuit annorum 25.ut habetur II.*Reg.*XVIII.2.& cœpit regnare anno septimo Achazi, & Achaz saltem viginti annorum fuit cum cœpit regnare,ut legitur II.*Reg.*XVI.2.inde sequetur Ezechiam genitum fuisse ab Achazo anno ætatis secundo, & eodem anno in cunis statim regnasse cum patre.

4. Sic Hoseas dicitur novem saltem annis regnasse II. *Reg.* XVII.I. Si verò anno quarto Achazi regnare cœpit,qui coincidit cum vigesimo Iothami, & Achaz regnavit sedecim annis, quî vel primus annus regni Ezechiæ potest esse tertius Hoseæ ut habetur II.*Reg.*XVIII.I.vel annus quartus Ezechię,septimus Hoseæ? ut habetur II.R*eg.*XVIII.9. Sic enim opus Hoseam longè pluribus quam nouem annis regnasse.

VII. Fatendum sanè hæc omnia δύσπορα esse, ἄπορα tamen non esse,& ἐναντιοφανῆ saltem non ἀντιφατικά. *Distinctionibus* enim aliquot propositis & applicatis,omnia illa loca inter se conciliari possunt, quibus non animadversis res intricatissima red-

ditur, & nodi inexplicabiles. 1. Anni *alicujus* interdum in Scripturâ dicuntur *originaliter & terminativè* ſimul, ſive vitæ, ſive regni quot aliquis aut vixit, aut regnavit, interdum verò anni alicujus dicuntur *originaliter* ſaltē non verò *terminativè*: qui nimirū ab initio vel vitæ vel regni illius numerátur, etſi excedant numerum annorum vitæ vel regni ejus. 2. Regnum duplex in Scripturâ obſervare poſſumus quorundam Regum, & inter alios Hoſeæ, *liberum* & *tributarium*, unde ſine contradictione unus idémque pluribus vel paucioribus annis regnaſſe dici poteſt κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. 3. Sic Regnum aliud *legitimum* aliud *uſurpatum*, aliud per tyrannidem occupatum, aliud legitimâ electione vel confirmatione acquiſitum. Ex applicatione harum diſtinctionum patebit reſponſio ad *Dubia* propoſita.

Ad 1. dicendum ex *diſtinctione ſecundâ*, Hoſeam cœpiſſe regnare & anno quarto & duodecimo Achazi ſine contradictione, anno quarto ut Regem liberum, anno duodecimo ut regem tributarium & vectigalem factum Aſſyriis, poſtquam à Salmanaſſare ſubjugatus fuerat. II. *Reg*. XVII. 3. Dici etiam poteſt ex *diſtinctione tertia* Hoſeam per tyrannidem occupaſſe regnum occiſo per conſpirationem Pekach Rege legitimo anno vigeſimo Iothami, h. e. quarto Achazi II. *Reg*. XV. 30. anno verò duodecimo demum Achazi, h. e. octennio poſt ſive populi, ſive Regis Aſſyriorum conſenſu id illi confirmatum fuiſſe: quam diſtinctionem innuit *Funccius*.

Ad 2. reſpondendum ex *diſtinctione primâ*, v. 30. viginti annos vocari Iothami *originaliter non terminativè*, non quod totidē annis præciſè regnarit, ſed quod annorum illorum ſupputatio ducatur inde ab initio regni Iothami. Cum ergo Hoſeas dicitur regnaſſe v. 30. anno vigeſimo Iothami, id ſic intelligendum, quod regnaverit anno vigeſimo inde ab initio regni Iothami, quod non obſtat quo minus Iotham ſedecim ſaltem annis regnarit ut legitur v. 33. id enim factum quadriennio à morte Iothami. Vnde id non dicitur contigiſſe anno viceſimo *regni* Iothami, ſed ſaltem *anno viceſimo Iothami*, etſi phraſes hæ etiam aliter interdum accipiantur.

Ad 3. reſpondendum ex ſupra dictis, Ezechiam videlicet cœpiſſe regnare anno tertio regni Hoſeæ non *liberi* vel *uſurpati*, ſed

tribu-

tributarii & *confirmati*. Vnde tametsi illius initium incidat in quartum Achazi, istius tamen incidit in duodecimum saltem Achazi. Sic annus tertius Hoseæ est quidem septimus Achazi, sed annus tertius regni *liberi*, non *tributarii*: Ezechias verò regnare cœpit anno tertio regni Hoseæ *tributarii*, non *liberi*. Vnde nec Achaz negatur regnasse annos sedecim, nec Ezechias statuitur regnasse septimo Achazi, nec evertitur Ezechiam habuisse viginti-quinque annos cum cœpit regnare, nec sequitur Ezechiam genitum fuisse anno secundo Achazi, vel in cunis statim cum eo regnasse, quod ex *Distinctionis* illius applicatione clarissimè patet, ut & conciliatio locorum omnium ἐναντιοφανῶν.

Ad 4. pari ratione ex superioribus respondendũ Hoseam regnasse in universum octodecim annis, novem annis liberum, tributarium itidem novem annis. Vnde sine absurditate annis illis in complexo acceptis anno quarto Achazi cœpit regnare vel usurpare regnum, & tamen annus ejus tertius regni non liberi sed tributarii incidit in primum Ezechiæ, & quartus Ezechiæ se extendit ad initium septimi Hoseæ.

Et hæc quidem ad solutionem nodorum intricatissimorum solidè dici posse videntur: Iudicium sit penes Lectores. Neque enim mihi probatur quorundam conciliatio qui existimãt Tiglath-pileserem Regem Assyriæ accersitum ab Achazo Rege Iudâ & muneribus pellectum subjugasse Israelitas æquè ac Syros anno quarto Achazi & primo Hoseæ, adeóque Hoseam per octo annos ut tributarium Assyriorum censeri non regnasse usque dum rebellavit contra Assyrios anno duodecimo Achazi II. *Reg*. XVII. post quam rebellionem regnarit novem annis usque ad decem tribuum trãsportationem, quæ anno nono Hoseæ acciderit, nimirum à rebellione ejus, qui annus nonus Hoseæ fuerit sextus Ezechiæ. Nam 1. gratis dicitur & sine fundamento certo scripturæ Tiglath-pileserem subjugasse regnum Israelis, Syros quidem sub jugum misisse dicitur II. *Reg*. XVI. 9. Israelitas non item. 2. Repugnare id ipsum videtur narrationi quæ II. *Reg*. XVII. 3. ubi à Salmanassare demum Hoseas vectigalis factus legitur, adeóque prius liber fuit, & suæ spontis, post quam subjectionem demum cœpit conspirare cum rege Ægypti, & hac ratione Assyriorum impetum & regni Israelis de-

ſtructionẽ accelerare, quæ πανολεθρία narratur II.*Reg.*XVII.5. 6. Anni ergo tributarii Hoſeæ non incipiunt ab anno quarto Achazi & primo Hoſeæ, ſed ab anno duodecimo Achazi & nono Hoſeæ. 3. Non negantur in Scripturâ Reges regnaſſe eò quod vectigales fuerint aliis, adeóque nec Achaz. 4. Non tollitur contradictio, quia & cenſetur & dicitur diſertè Hoſeas regnaſſe anno vigeſimo Iothami & quarto Achazi. II.*Reg.*XV.30. nec primo ſaltem anno, antequam ſubjugatus ſtatuitur à patronis ſententiæ illius, ſed & annis ſequentibus cum de illâ ſubjugatione Hoſeæ à Tiglath-pileſere ne verbum quidem, quod meminerim, reperiatur in Scripturâ. Dicitur quidem II.*Reg.*XV.29. Tiglath-pileſer urbes multas occupaſſe & tractum Naphthali, ſed non integrum regnum decem tribuum. Quin & id ipſum factum ſub regno Pekach, non Hoſeæ, ut diſertè contextus ſacer refert, hoc contigiſſe *in diebus Pekach Regis* Iſraelis. Huc ergo trahi nequit.

DVBIVM VI.

Quî Ioſias dicatur à Matthæo *cap.* I. II. genuiſſe Iechoniam? cum tamen ex libris *Regum* & *Paralipomenωn* conſtet Ioſiam habuiſſe filios quatuor ἑτερωνύμους, Iohanan qui & Ioachaz, Iojakim qui & Eliakim, Sedekiam qui & Mattanias, & tandem Sallum. Vnde ſequitur Ioſiam avum fuiſſe Iechoniæ non patrem, quia hic fuit filius Iojakim vel Iehojakim filii Ioſiæ II.*Reg.* XXIV.XXV. I.*Par.*III.15.16. II.*Paral.* XXXIV.XXXV. *Ier.*XXII.II.12.

EXAMEN

EXAMEN.

Diversæ Interpretum Classes & sententiæ. Epiphanii opinio. Lectiones variæ ad restituendum Textum. Necessitas emendationis. Rationes quorundam. Ἐπίκρισις Authoris. Rationes oppositæ. Confutatio priorum. Gomari objectio expensa. Salmeronis opinio confutata. Alia opinio rejecta. Vera solutio proposita & probata. Scrupulus duplex & motus & discussus.

I. EX hoc *versu* 11. *capitis primi* Matthæi varia necti possunt dubia perplexa admodum & intricata, quæ & Lectoribus & Interpretibus crucem figunt, quorum quædam jam olim à Porphyrio & Iuliano Christianis objecta fuêre. *Primum* sanè *Dubium* quod hic propositum non parum vexat interpretes & veteres, & recentes. Varii varia respondent, quidam minus solidè, solidius alii.

II. CL. *Gomarus* varias variorum responsiones accuratè & prolixè exequitur in *Examine Controv. de Geneal. Christi cap.* III. non ita pridem publicato. Possunt verò omnes ad duas revocari Classes. Quidam enim ex interpretibus contextum Matthæi corruptum & emendatione opus habere contendunt. Alii contextum integrum esse, & vindiciis ac declaratione saltem opus habere arbitrantur.

III. Primæ classis Interpretes, qui contextum Matthæi corruptum statuunt, in eo omnes conveniunt, id non Matthæi sed Librariorum vitio factum: in eo dissentiunt, quod quidam putent eos nominum *Iojakim* qui fuit filius Iosiæ, & *Iojacin*, qui fuit ejus nepos affinitate deceptos prius ex illis quasi redundans expunxisse, & Iojacin seu Iechoniam juniorem ex Nepote filium Iosiæ fecisse. Alii volunt Iojakimum binominem fuisse, & ei etiam hæsisse nomen Iechoniæ, adeóque cum non observarint Librarii cognomines esse patrem & filium, per im-

peritiam unum ex nominibus illis fuiſſe expunctum, tanquam ſine cauſâ duplicatum. In hac ſententiâ fuit jam olim *Epiphanius*, cujus verba ſunt *Hæreſ. ſextâ* Ἐπικούρειοι *Lib.* 1. ἐπειδὴ τινὲς ἰεχονίαν ἅμα ἰεχονίᾳ ἑτέρῳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ εὑρόντες, ἐνόμισαν τὸν ἀριθμὸν δεδισσολογισμένον εἶναι. οὐκ ἔστι δὲ δισσολογία, ἀλλὰ ἀριθμὸς σαφής. εἰς ὄνομα γὰρ πατρὸς ὁ παῖς ἐπεκλήθη ἰεχονίας τοῦ ἰεχονίου. ἀφελόμενοι οὖν τινὲς ὡς κατὰ φιλοκαλίαν τὸ ἓν ὄνομα, ἀγνοίᾳ φερόμενοι, ἐλλειπὲς ἐποιήσαντο τῆς ὑποθέσεως, κατὰ τὴν ὁμάδα τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δεκατεσσάρων ὀνομάτων τὴν ὑπόσχεσιν, καὶ τὸ πολύπειρον τῆς σχέσεως ἠφάνισαν. Qui *Epiphanius* quoque *eâdem Hæreſi* Iojakimum etiam Selum & Amaſiam vocatum contendit, ſed ſine fundamento, Ἰωσίας, inquit, τὸν ἰεχονίαν τὸν καὶ σελοὺμ καλούμενον, ὃς Ἀμασίας ἐλέγετο. Addit ὁ Ιεχονίας οὗτος γεννᾷ τὸν Ιεχονίαν τὸν καλούμενον σεδεκίαν, καὶ ἰωακείμ.

IV. Secundum aliquos ergo reſtituenda foret lectio Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιακεὶμ, vel Ιωακεὶμ, Ιακεὶμ vel Ιωακεὶμ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν. Secundum alios ſupplendum, Ιεχονίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν. Prior emendatio firmari poteſt authoritate tum vetuſti Codicis, quo uſus *Robertus Stephanus*, & poſt eum *Henricus* filius, tum priſci illius archetypi Græci, cujus mentionem facit *Stapulenſis*. Poſterior nititur authoritate *Epiphanii*. Vtraque probabilis videtur *Bucero*. Prior placet *Pareo*, *Chemnitio*, & aliis viris magnis & eruditis, qui hunc locum ita reſtituendum cenſent, *Ioſias genuit Iakim vel Iojakim, & fratres ejus, Iakim vel Iojakim genuit Iechoniam. Maldonatus* in eandem ſententiam pedibus it. *Gomarus* utramque emendationem in medio relinquit. Emendationem verò ejuſmodi videtur exigere 1. Codicum aliquot priſcorum fides. 2. ratio evidens, quod alioquin vel in ſecundâ vel in tertiâ teſſaradecade numerus truncatus & tredecim ſaltem generationes reperiantur. 3. quia facilis fuerit lapſus, eò quod Græci utrumque nomen, ex aliquorum ſententiâ, & Iojakim & Iojacin per Ἰεχονίαν expreſſerint. 4. Spiritum Sanctum etiam permiſiſſe hoc mendum in contextum ſacrum irrepere, eò quod facilis eſſet correctio ex veteri Teſtamento, & ea ſatis ſupérque ab ipſo Matthæo ſuggereretur verſu 17. ubi ſupplementi generationis alicujus neceſſitas declaratur. Si cauſa omiſſionis quæratur, reſpondet *Bucerus* ad v. 8. ad Dubium ſimile, *fortaſſe negligenter hujus generis pleraque non maximi*

maximi momenti attigisse sacros Scriptores, ut ad magis seria nos inuitarent, & harum rerum non adeò scitu necessariarum curiosos ad Scripturam remitterent. Ordinem certè & numerum majorum Christi rem externam esse ad salutem per se nihil facientem.

V. Vt vero ἐπίκρισιν nostram liberè subjiciamus, salvâ virorum cætera magnorum authoritate, nec priorem nec posteriorem emendationem in contextum Matthæi inserendam censemus. Vnde meritò Doctissimus Interpres *Beza* quam in priore editione admiserat lectionem, in posteriore expunxit, & sententiam ingenuè mutauit. 1. Quia recepta lectio vetustissima est, ut ex Scriptis *Epiphanii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi*, & aliorum patrum constat. 2. quia causæ nihil est, cur hoc mendum in contextum sacrum irrepsisse statuamus, cum commodior nodi hujus solutio detur, salvâ & illibatâ contextus sacri authoritate. 3. quia utraque emendatio ex paucorum saltem Codicum authoritate est, contra fidem plerorumque. 4. quia falsum Iechoniam à Iojakimo genitum habuisse fratres, cui tamen disertè attribuuntur v. 11. Lectio sanè quam *Maldonatus* & cum eo CL. *Pareus* noster substituunt, nodum hunc tollit, sed παρεγχειρήσει violentâ. Merâ enim conjecturâ nititur, non authoritate Codicum. Atqui si tantum nobis permittamus in libros sacros, quanta infirmis vacillandi, procacibus insectandi, omnibus de sacri contextus αὐθεντίᾳ dubitandi dabitur ansa? 5. quia à Salomone ad Iechoniam inclusivè quatuordecim generationes reperiuntur. Si vero inseratur Iojakim vel Iakim præter Iechoniam, quindecim reperientur & numerus excedens.

VI. Nec verò rationes oppositæ ponderis & momenti multum habere videntur. Non 1. quia paucis Codicibus plurimorum fidem opponere possumus, & probabilius longè paucis vitium factum quàm plerisque. Non 2. quia retentâ lectione ordinariâ numerus integer in utraque tessaradecade expleri potest, ut infrà ostendetur. Non 3. quia falsum Iojakim patrem & Iojacin filium apud LXX. in versione quæ hodie exstat eodem nomine designari, imò ille vocatur disertè Ἰωακεὶμ & Ἰωακὶμ, iste Ιεχονίας, ut patet ex II. *Paral.* XXXVI. 8. Non 4. quia præstat à mendi permissione vindicare stylum Spiritus Sancti, quàm de causâ ejus reddendâ laborare.

VII. Non dissimulandum nobis, CL. *Gomaro* rationem quintam petitam à fratribus Iechoniæ videri leviorem, eò quod contrarium ex 1. *Paral.* III. 16. inferri possit, Iehojakimum videlicet filios habuisse, adeóque & Iechoniam fratres, nimirum Tzidkiam juniorem patruo suo cognominem, & posteros illius qui fratres vocentur instar Lothi *Gen.* XIII. 8. Subintelligendá ergo esse copulá, *Filii Iehojakimi Iechonia filius ejus* (&) *Tsidkia filius ejus*. Sed nec sic videtur *Bezæ* ratio convelli posse, nec aptari Iechoniæ filio, quod de fratrib. ejus apud Matthæū dicitur. 1. Quia ponamus Tsidkiam juniorē fratrē fuisse Iechoniæ, & filiū Iehojakim, quod verū, quia dicitur ובני יהויקים, opus ergo ad minimū duos ei filios fuisse, non tamen inde sequitur Iechoniam filium fratres habuisse, sed fratrem saltem. 2. Quod de posteris Tsidkiæ adducit CL. *Gomarus*, qui hoc nomine censeri possint, tum à conjecturâ est, nec enim constat ex S. Scripturâ an posteros habuerit, tum paulò durius in serie genealogicâ nepotes sine causâ vocare fratres, & in eundem censum referre patrem cum filiis ambiguitate non necessariâ. Nec vel latitudo vocis אח opponi potest, vel exemplum Lothi & alia id genus, quia aliud est in serie genealogicâ de fratribus loqui, ubi generationis saltem ratio habetur, aliud extra seriem genealogicá, ubi cognationis, vel affinitatis, vel affectus & conjunctionis & aliorum id genus ratio haberi potest in nomenclaturâ illâ imponendâ. 3. Quia præstat ἀδελφοὺς Iechoniæ hîc in strictâ & propriâ significatione accipi, & Iechoniæ patri. h. e. Iojakimo attribui.

VIII. Secundæ classis Interpretes qui textum Matthæi integrum esse, & non emendatione sed vindicatione ac declaratione saltem opus habere existimant, in varias etiam abeunt sententias.

Salmero Tract. XXVI. *de sec. tessarad.* probat sententiam *Authoris operis imperfecti in Matthæum*, quæ exstat in *Operibus Chrysost. Tom.* II. *Homil.* I. qui unum saltem Iechoniam ponit, cujus mentio 1. *Paral.* III. & *Ierem.* XXII. & XXVIII. qui etiam vocetur Ioachim. Vult verò illum bis nominari, (quod & *Augustinus* satagit. *Lib.* II. *de Cons. Evang. cap.* IV.) *Semel ante trāsmigrationem, iterum post transmigrationem, & duorum numerum hic tenere, patris sui & suū. Habuisse enim duas conditiones, fuisse Regem ante transmigrationē, post factum*

factũ esse privatum, ſublatũ verò de numero Regum Ioachim, & juſtè, ut malum Regem, & à Pharaone conſtitutum, & ſepulturâ aſini ſepultum. Et ut propter commiſtionem Iorami cum Athaliâ filiâ Achabi prętermiſſi tres Reges, ſic & Ioachim prætermiſſum. Et ut Ioram dicitur ſuprà genuiſſe Oziam non proximè & immediatè, ſed per intermedios tres alios, ſic Ioſiam intermedio Ioachim genuiſſe Iechoniam, *Non obeſt*, inquit ibid. Author. Op. imperf. *quod filius Ioſiæ dictus eſt, cum ſit nepos, quoniam & nepotes rectè filii appellantur.*

Sed ſententia hæc admitti nequit 1. quia ſic una generatio deeſſet vel ſecundæ vel tertiæ teſſaradecadi. 2. Quia cauſa nulla ſufficiens adfertur cur illum voluerit prætermittere Spiritus Sanctus. Neque enim hoc nomine cenſenda vel impietas, vel evectio ad regnum à Rege extero, vel ſepultura inhoneſta, quia ſic & alii tribu mouendi forent. Alia ratio trium Regum omiſſorum ob maledictionem ſingularem, ut oſtenſum ſupra. De duplici conſideratione & conditione Iechoniæ agetur infra in *Dubio* de teſſaradecadum integritate.

IX. Alii putant Iohanan qui & Ioachaz primogenitum Ioſiæ fuiſſe binominem & vocatum etiam Iechoniam, quod probari ſolet ex *lib.* III. *Eſdræ cap.* I. 34. 35. vbi Iechonias Ioſiæ filius ad regnum evectus dicitur, & tamen ea quæ de eo ibidem loci narrantur convenire videntur cum iis quæ de Ioachaz recenſentur II. *Paral.* XXXVI. Et fallitur *Maldonatus* qui putat ibi intelligendum Iojakimum, cum tamen conſtet ex II. *Paral.* XXXVI. 4. Iojakimum loco Ioachaz fratris demum à Rege Ægypti fuiſſe regno præfectum, de quo alia prorſus quam de Iechoniâ apud Eſdram referuntur. Hunc *Ianſenius* & *Barradas* putant eſſe eundem cum Sallum ex collatione *Ierem.* XXII. cum iis quæ in *Paralip.* de Ioachaz dicuntur. Sed nec hoc caret difficultate.

Quicquid tamen ejus ſit, nec hæc ſententia admittenda videtur. 1. Quia Eſdræ Apocryphi authoritas non vrget, & ſanè manifeſtè ibidem contradicit S. Scripturæ, ſi per Iechoniam Ioachaz intelligi debeat: à *Pſeudo-Eſdrâ* enim v. 34. annorum *triginta trium* fuiſſe dicitur cum Rex conſtitueretur, & tamen II. *Paral.* XXXVI. 2. *vigintiq́ tres* ſaltem annos habuiſſe fertur, cũ ad ſolium paternum eveheretur, etſi reliqua quæ apud Eſdram de

eo dicuntur conveniant cum iis quæ in *Paralipomenis* recensentur ibidem. 2. quia Ioachaz hic non fuit pater Iechoniæ sequentis, qui post genuit Salathielem, ut benè observavit *Abulensis*, utpote qui abductus in Ægyptum, ibíque mortuus II. *Reg.* XXIII. 34. nec unquam in Babylone fuisse legitur. 3. Quia illum liberos habuisse non constat ex historiâ sacrâ, unde inter majores Christi referri nequit.

X. Verissima ergo & simplicissima sententia, quam etiam *Gomarus* probat, hæc esse videtur, per Iechoniam priorem intelligi versu 11. Iojakim Iosiæ filium, qui & Eliakim vocatur, cúmque vel fuisse binomium, & dictum etiam Iechoniam: quod non mirum vel infrequens in historiâ sacrâ, cum Zedekiæ hæserit etiam nomen Mattaniæ, Osiæ nomen Azariæ, aliis alia: vel dici potest nomen Iehojakim יהויקים à Matthæo per euphoniam redditum Ιεχονίαν. Cujus sententiæ Authores & approbatores laudari possunt *Epiphanius lib.* 1. *de Hær. Hær.* 6. *Ambrosius Comm. in Lucam cap.* III. cujus verba sunt, *Duos Ioachim, hoc est duos Iechonias fuisse Historia indicat, unum ante transmigrationem, alterum in ipsâ transmigratione generatum, id est patrem & filium. Ergo pater inter superiores generationes est computatus, qui successit Iosiæ, filius inter posteriores qui successit patri, id est, nepos Iosiæ.* Et paulò post addit *Ambrosius. Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrúmque signavit, quod uterque Iechonias dictus sit.* Addamus *Hieronymum* in hunc locum cujus verba sunt, *Sciamus*, inquit, *Iechoniam priorem ipsum esse quem & Ioakim, secundum autem filium non patrem, quorum prior per K & M. sequens autem per CH & N. scribitur. Quod scriptorum vitio & longitudine temporum apud Græcos Latinósque confusum est.* Hinc patet duos fuisse Iechonias, patrem & filium, & primum eundem esse cum Iojakim, secundum filium ejus, de quo versu sequente. Et sanè cum nomina Hebræa Patris & filii valde affinia sint, nec alia differentia detur præterquam quod Patris nomen scribitur cum ק & ם יהויקים, filii cum כ & ן יהויכין non mirum Iojakimum dictum Ιεχονίαν, κ conversa in χ & μ in ν. ob Euphoniam, quia, ut rectè observavit *Beza*, terminatio in μ, vel insolita planè vel rudis saltem est auribus Græcis. Adde quod nomina hæc in origine Hebræâ idem prorsus designent יהויקים *Deus excitabit*, vel *stare faciet* & יהויכין *Deus parabit*: qui Iechonia filius

etiam

etiam יכוניה & כניהו per contemptum interdum vocatur per *ἀφαίρεσιν* primæ literæ. Nomen verò אליקים alterum, quod Iehojakim obtinuit significatione ei prorsus est conforme. Vnde bene monet Ill. *Scaliger in Animadv. in Eusebium, horum Regum nomina in Latinis exemplaribus culpâ librariorum sæpe confundi, & utriusque Regis ut nomina, sic gesta.* Vt verò Iojakimo nomen Iechoniæ attribuit Matthæus, sic ex adverso Iechoniæ nomen Iojakimi *Clem. Alex. strom. lib.* 1. & utrúmque *ὁμώνυμον* facit, loquēs enim de Iojakimo patre inquit, *μετὰ τοῦτον ὁ ὁμώνυμος αὐτοῦ Ἰωακεὶμ ζ´ μῆνας βασιλεύει*, quos longè melius distinguit Hieronymus. Hac verò sententiâ positâ difficultates omnes facile videntur posse componi. Sic enim utrique tessaradecadi suus constabit numerus, distincto hoc Iechoniâ Patre, qui aliâs Iehojakim, à Iechoniâ filio, qui alias Iehojachin; de quo versu sequente. Sic etiam locum habebit id quod de fratribus ejus adjicitur, nam reverâ Iehojakim pater fratres habuit, nō Iehojachin filius: alioquin probabilius Nebucadnezarem, qui hunc solio dejecit & Babylonem abduxit, patruo ejus Mattaniâ vel Sedekiâ regno præfecto, aliquem ex fratribus Iechoniæ potius quam patruum in locū ejus substituturum fuisse, quod tamen factū legimus II. *Reg.* XXIV. 17. ubi Mattanias sive Sedekias Iechoniæ subrogatus disertè vocatur דודו *patruus ejus*, ut LXX. ibi *vertunt ἀδελφὸς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*, sicut alibi eandem vocem per *πατράδελφον* interpretantur. Quomodo etiā intelligendū nomen fratris quo designatur II. *Paral.* XXXVI. 10. vbi rectè vertunt LXX. *τὸ* אחיו *ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*. Facilis ergo solutio hujus *Dubii* si attendatur consuetudo Græcorum nomina ejusmodi affinia Hebræa eodem modo reddendi, quam hic secutus Spiritus Sanctus.

XI. Sed adhuc Scrupulus duplex hic moveri potest, quod non dissimulabo. 1. Quî fiat quod hic Iechonias pater, siquidem distinctus sit ab altero Iechoniâ, de quo versu sequente 12. non dicatur genuisse illum, prout idem de omnibus aliis dicitur? II. Quî fiat quod Spiritus Sanctus nominibus *διακριτικοῖς* prætermissis ambiguitate illâ unius ejusdémque nominis crucem nobis figere voluerit, cum tamen proclive ei fuerit nomē Iojakimi patris aliter exprimendo omnem nobis dubitandi ansam præcidere? Responderi tamen potest ad 1. id factū ut evitaretur ingrata ejusdem nominis repetitio, in qua *κακοφωνία*

Iechonias genuit Iechoniam. 2. id factum ob intervallum illud captivitatis Babylonicæ interjectum:unde ſatis conſtare poterat alium eſſe Iechoniam qui poſt captivitatem Babylonicam genuit Salathielem à priore Ioſiæ filio, quod innuit *Caietanus*, *iſte Iechonias*, inquit in Commentario in Matthæum, *qui poſt tranſmigrationem genuit Salathiel,eſt nepos Ioſiæ,nō filius*,&c. *Nec Evāgeliſta omittit hanc generationē ſed ſufficienter ſignificavit dicendo, & poſt tranſmigrationem Iechonias genuit. Satis enim clarè conſtat ex Hiſtoriâ libri Regum,& Paralip.quod iſte generans poſt tranſmigrationem non eſt ille filius Ioſiæ,ſed nepos ſub aliis tamen nominibus,quia utérque appellatur Iojakim.* Nec novum eſſe in ejuſmodi Genealogiis generationem innui interdum potius quam exprimi CL. *Gomarus* exemplis ſatis appoſitis probat,quæ ibidem videri poſſunt. Ad II. dici poteſt 1. tametſi eodem nomine utatur Spiritus S. diſcrimen tamen ſatis innui inter Iojakim & Iojachin, tum per adjectam mentionem fratrum, quibus caruit Iojachin filius,tum per commemorationem geniti à Iechoniâ Salathielis μετὰ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος.v.12. Atqui ſolus Iechonias filius Babylonem abductus fuit,Iojakimo enim patri mors ignominioſa denuntiatur extra portas Hieroſolymæ in Iudæâ *Ierem.* XXII.18.19.quod *Ioſephus* impletū narrat *lib.*X.*Antiq.Iud.cap.*VIII. 2. Dici etiam poteſt ambiguitatem nominis Iechoniæ ſatis eo tolli,quod in diverſis teſſaradecadibus conſtituantur Iechonias primus & ſecundus:prior enim ad ſecundam pertinet,poſterior ad tertiam,vnde argumentum evidens ad diſtinctionem utriúſque.Subintelligendum ergo verſu 12. *Iechonias* videlicet filius prioris *genuit Salathiel.* 3. Eadem hic obſcuritatis cauſa ſubeſt, quæ innumeris locis aliis perplexis & involutis,ubi pari ratione quæri poteſt, cur Spiritus Sanctus non hoc vel illo modo locutus fuerit,clarius videlicet & facilius pro noſtro captu.Scilicet nos Spiritui S.legem figemus,nec illi integrum erit ad nos exercendos & ſubigendos ejuſmodi vocibus in ſpeciem obſcurioribus pro arbitrio vti, quæ & faſtum noſtrum retundant, & diligentiam accendant in examinandis& conferendis Scripturis,& verò etiam inſerviant probandis & detegendis ingeniis deſultoriis,quæ S.Scripturæ Majeſtatem & veritatem ob pauca illa ἐναντιοφανῆ in rebus ad ſalutem non neceſſariis in dubium vocare ſatagunt.Hoc tamen mirandum, tametſi in *nominibus*

& *nume-*

& *numeris* pleráque ἐναντιοφανῆ occurrant in S. Scriptura quæ salvâ fidei integritate, & sine ullâ salutis jacturâ ignorari possunt, cautum tamen voluisse Spiritum Sanctum nobis in necessariis ad formandam fidem & componendam vitam ad cultum & obsequium Dei, nec in iis ejusmodi Dubia perplexa reperiri, ut plena nobis esset possit eorum ἀσφάλεια in quâ pia mens securè conquiescat, prætermissis illis quæ hic à *viatoribus* in *lumine gratiæ* ignorari possunt, donec in *comprehensorum* statu constituti id in *lumine gloriæ* comprehendant, quod hic apprehendunt.

DVBIVM VII.

Quî Iechonias fratres habuisse dicatur *Matth.* I. 11 cum tamen nullos habuerit? Item cur fratrum ejus hic facta fuerit mentio, cum tamen aliorum non meminerit Spiritus Sanctus?

EXAMEN.

Solutio Dubii primi prima. Secunda solidior ex superioribus. Solutiones leviores secundi Dubii. Solidiores aliæ. Collatio cum exemplis aliis Zaræ & fratrum Iudæ. Allegoriæ Patrum.

I. QVÆSTIONE superiore discussâ facilis ad hoc *Dubium* datur responsio ex solutione quam ibidem proposuimus. Posset quidem simpliciter dici fratrum nomen hic laxè sumi, & ἀδελφὸς Hebraismo usitato esse sæpe συγγενεῖς & omnes qui vel cognatione & sanguine, vel affinitate nos contingunt. Vnde Sedekias etsi Iechoniæ patruus, tamen frater ejus vocatur II. *Paral.* XXXVI. 10. sic Loth vocatur frater Abrahami, qui tamen nepos ejus. *Gen.* XIV. 14. sic *Gen.* XXVII. 32. Isaacus dicit se servos addixisse Iacobo *omnes fratres ejus*, cum tamen nullum ha-

buerit præter Esavum, adeóque nomine illo ibi & nepotes ejus ex Esavo & agnati alii designantur. Eadem nominis Græci usurpatio frequens in Novo Testamento. *Matth.* v.22. pro quovis proximo ponitur ἀδελφὸς &c. v.23. 24. *Quicúnque irascitur fratri*, &c. *dixerit fratri suo*, &c. sic *Matth.* VII. 3. 4. 5. & innumeris aliis in locis. Sic per fratres Christi designantur agnati & consanguinei. *Marc* III. 31. Et ita solvit *Salmero* hunc nodum, *aptè dici potest*, inquit *Tract.* XXVII. *Ioachaz ac Sedekiam patruos ejus eorúmque filios more Scripturarum appellari fratres* Iechoniæ, *quomodo Loth & Abraham fratres dicuntur*, &c.

Sed tametsi responsione hac Dubium allatum solvi videatur, quia tamen hic de stemmate genealogico agitur, præstat nomẽ *fratrum* strictè & propriè sumi. Convenientior ergo & solidior est responsio allata ad *Dubium* præcedens, de Iechoniâ Patre hoc est Iojakimo sermonem esse versu illo 11. qui plures habuit fratres, Ioachaz, Sedekiam & Sallum, ut patet ex 1. *Paral.* III. 15.

II. Si verò quæratur quî fiat quod fratres Iechoniæ hujus commemorentur, cum tamen ab illis non descẽderit Servator noster, respondent quidam id ideò factum quod is plures fratres haberet. Sed ratio hæc frigida est & elumbis, quia & alii plures habuerunt fratres, quorum tamen nulla in hac Genealogiâ mentio. Nec tamen existimandum quicquam supervacui & sine gravi causâ proponi à Spiritu Sancto. Quid verò inde vel boni vel documenti ad nos, Iojakimum sive Iechoniam illum primum plures habuisse fratres? Annon & Salomon & Asa, & multi alii ex majoribus Christi plures habuerunt, quorum tamen nulla injicitur mentio? Existimant ergo alii illos in honorem Iosiæ viri sanctissimi recenseri. Atqui illi ut degeneres omnino à virtute paternâ potius erant prætermittendi, & impiorum filiorum commemoratio ad ignominiam potius patris pii quam ad decus ejus pertinere videtur.

III. *Abulensis* existimat id ideò factum, 1. Quia fratres hi omnes ad regiam dignitatem fuerint evecti, primo Ioachaz, deinde Iojakim & tandem Sedekias post Iehojachin vel Iechoniam nepotem ex fratre abductum ab Assyriis, quod de nullis aliis legitur in eâdẽ genealogiâ, unde horum mentionẽ potius fieri quam aliorum. Eandem rationem proponit *Caietanus in Comm. in*

Comm. in Matth. id factum *ad commendandam memoriam Iosiæ in multitudine filiorum Regum. Fuerunt enim tres,* inquit, *filii Iosiæ Reges.* Addit *Caietanus,* hic ἀντίθεσιν observandam Iosiæ & Iorami, illius nimirum pietati datum fuisse, quod istius impietati negatum fuit.

IV. Mihi præferenda videtur solutio aliorum, qui mentionem fratrum Iechoniæ ideò factam arbitrantur, quod in tempora illorum inciderint insignes & extraordinariæ prorsus mutationes, & omnes illi fratres Iechoniæ patris h. e. Iojakimi eandem cum Iojakimo sortem experti fuerint, tragicos nimirum exitus. Omnes enim à Regibus exteris solio avito excussi, & quidam hac quidam illac captivi abducti fuêre, unde non sine causâ μετοικεσίας etiam mentionem facit Matthæus. Ioachaz enim in carcerê conjectus à Pharaone legitur II. *Reg.* XXIII. & in Ægyptum abductus II. *Paral.* XXXVI. Sedekias à Nebucadnezare Babylonem pertractus narratur ibidem, æquè ac Iechonias nepos. Iechoniam patrem quod attinet sive Iojakimum, certum est eum II. *Paral.* XXXVI. 6. dici vinctum fuisse à Nebucadnezare, eo fine ut duceretur Babylonem, ut habet disertè contextus sacer ibidem, cui respondet quod legitur *Ezech.* XIX. 9. Vtrum tamen id ipsum executioni mandatum fuerit de eo nihil certi reperitur in Scripturâ. *Author* סדר עולם רבא Chronici mundi majoris id disertè negat *capite* XXV. dum inquit *Ioachin alio Scripturæ loco dici vinctum fuisse compedibus, nempe vinctum fuisse, at mox in vinculis interiisse, indéque raptatum & objectum bestiis ad implendum quod ex Ieremia commemoratum est.* Et sanè ex relatione quæ instituitur II. *Reg.* XXIV. 6. probabiliter videtur concludi posse, Iojakim in Iudæa mortuum fuisse. Accedit testimonium *Iosephi lib.* X. *Antiqu. Iud. cap.* VIII. disertè narrantis eum occisum cum aliis Hierosolymitanis à Nabuchodonosore, & insepultum illius iussu extra mœnia projectum. Verisimile etiam vel Nebucadnezarem mutato consilio Iojakimum reliquisse Hierosolymis, vel semel abductum Babylonem fuisse remissum Hierosolymam vectigalem factum Nebucadnezari, cõspiratione verò contra illum initâ denuò solio excussum à Chaldæorum copiis, crimen perduellionis capite luisse II. *Reg.* XXIV. 1. 2. & extra portas Hierosolymorũ ignominiosè raptatũ, & in sterquilinium post conjectum fuisse. Meritò ergo conjungun-

tur à Matthæo cum Iechoniâ patre fratres ejus, utpote quorum eadem fuit & culpa & pœna, regnum impium & catastrophe tragica & funesta. *Author* libri *Seder Olam Rabba* capite XXVIII. inquit hunc planctum de Sedekiâ fuisse institutum *illum bibisse fæces omnium ætatum.* Idem Author refert capite XXV. Nebucadnezarem de Iechoniâ filio solitum fuisse dicere, בכלבא בישא גורא טבא לא נפיק *è malo cane catulum probum non prodire.*

V. Quid obstat etiam quominus dicamus Iojakimi sive Iechoniæ patris fratrum mentionem factam à Matthæo, ut notâ hac διακριτικῇ Iechonias pater, qui fratres habuit, facilius dignosci posset à Iechoniâ filio, qui fratribus caruit. Et sanè ex hujus adjectionis observatione ambiguitas & confusio omnis, quæ alioquin ex ejusdẽ nominis repetitione & apud Matthæum & apud *Iosephum*, ubi unius literæ distinctio saltem occurrit, facile evitari potest, ut enim patrem Ιωάκιμον, sic filium Ιωάχιμον vocat *Iosephus Lib.* X. ἀρχαιολ. Capitibus pluribus.

VI. Sic quando causa ejusmodi extraordinaria suberat, aliorum etiam fratrum meminit Matthæus in serie hac genealogicâ, à quibus tamen Christus non descendit, verbi gratiâ Zaræ v. 3. non tam ut vult *Abulensis*, quod non ex legitimâ uxore, sed ex nuru procreatus fuerit à Iudâ: nec ut volunt alij, quia non saltem ὁμοπάτριος fuerit τῷ Phares, sed etiam ὁμομήτριος, verùm quia eodem partu cum fratre Phares in lucem editus fuit. Adde quod insigne quid & mysticum uterque in nativitate passus legatur *Gen.* XXXVIII. Zara videlicet primum manum extendisse ex utero, illámque coccino illigatam fuisse ab obstetrice, tanquam manum prius egressuri, sed tamen post Zara manum retraxisse, & fratrem ejus Phares primum exivisse & ab hac eruptione nomen sortitum, postmodum demum egressum fuisse Zara manum coccino illigatam habentem. Patres hic se diffuderunt in varias allegorias. I. *Theophylactus* contendit Zara primò manum extendẽtem & post retrahentem, exeuntem verò integrè saltẽ post Phares, designasse Evangeliũ, quod apparuit tẽpore Abrahami & Patriarcharũ, quo tamẽ quasi retracto processerit lex, post legis verò promulgationẽ demum clarè manifestatũ fuisse Evãgeliũ coccino hoc est sanguine Christi insignitũ. Σημαίνει (verba sunt *Theophylacti* in locũ illum Matthæi) αὐτὴ

ἡ ἱςο-

ἡ ἱστορία μυστήριόν τι. ὥσπερ γὰρ ὁ Ζαρὰ ἔδειξε μὲν πρῶτον τὴν χεῖρα, συνεστάλη δὲ πάλιν, οὕτω καὶ ἡ κατὰ Χριστὸν πολιτεία, ἐφάνη μὲν ἐν τοῖς πρὸ τοῦ νόμου καὶ τῆς περιτομῆς ἁγίοις. Πάντες γὰρ οὗτοι, οὐκ ἐκ τῆς τοῦ νόμου παρατηρημάτων καὶ ἐντολῶν ἐδικαιώθησαν, ἀλλὰ ἐκ τοῦ κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν πολιτείαν ζῆσαι. Et paulò pòst. ὥσπερ δὲ ἐκεῖ τοῦ Φαρὲς γεννηθέντος, ὕστερον πάλιν ἐξῆλθεν ὁ Ζαρὰ, οὕτω τοῦ νόμου δοθέντος, ὕστερον ἔλαμψεν ἡ εὐαγγελικὴ πολιτεία ἡ τῷ κοκκίνῳ σπαρτίῳ, ἤτοι τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ σφραγισθεῖσα. Addit ideò illorum puerorum meminiſſe Evangeliſtam, ὡς μυστηριώδη τινὰ δηλούσης τῆς γεννήσεως αὐτῶν. 2. *Alii* contendunt gemellos hos deſignaſſe duos populos ex eadem matre natos, & ad eundem Chriſtum pertinentes, quorum ordo in nativitate inverſus fuerit. Priorem quidem gentem Iudaicam manum extendiſſe ſatagentem operibus juſtificari & ſeipſam regenerare: ſed fruſtra, alligatum enim manui ejus fuiſſe coccinum, eò quod à Lege damnaretur cum ſuis operibus, ideò retraxiſſe manum, & per hanc retractionem ſignificaſſe impotentiam ſuam. Perez perrupiſſe, hoc eſt populũ gentilem & in locũ Zaræ primogenitum factum. Et hunc Perez perruptorem fuiſſe & patrem Chriſti ſecundum carnem, & ſimul typum, Chriſtum enim virtute ſuâ omnia perrupiſſe, nec vinculis mortis detineri potuiſſe, ſed mortis carcere effracto tandem victorem erupiſſe. 3 *Alii* volunt in eo Zara deſignaſſe Iudæos, quod primi apparuerint Dei filii, & cocco circumciſionis inſigniti fuerint, ſed quamvis viderentur eſſe primogeniti, tamen oppoſitâ illis maceriâ Legis, eos non potuiſſe pervenire ad vitam, ſed priorem egreſſum Phares, h.e. Eccleſiam gentilium ſuſcipientium Chriſtum, deinde poſt ingreſſum plenitudinis gentium tandem ſucceſſurum & ſalvũ futurum Iſraelem. 4. *Alii* volunt contendiſſe duos hos inter ſe uter primò naſceretur, & primogenitus eſſet futurus, ac Chriſti parens. Quia ergo veluti jus aliquod acquiſierit Zara, & parum abfuerit, quin Chriſti eſſet parẽs, ideò meruiſſe ut in Chriſti poneretur Genealogiâ, quæ ſententia eſt *Vincentii Regii in Dilucidat. Evang.* Quicquid verò ſtatuatur de allegoricis his expoſitionibus ſubtilioribus potius quam ſolidioribus, tamen certum manet cauſam fuiſſe Matthæo gravem ſatis cur mentionem faceret Zaræ, etſi non debeat referri inter majores Chriſti.

Vt verò Zaræ meminit Matthæus, ſic & fratrum Iudæ, dici-

tur enim Iacob.v.2. genuiſſe *Iudam & fratres ejus*, tametſi & hi inter progenitores Chriſti numerari non poſſint, ad evitandam nimirum vel amoliendam Iudæorum invidiam ne eos offenderet, & videretur ſolum Iudam à Iacobo genitum ſtatuere, capita reliquarum tribuum non item. Adde quod cum fuerint Patriarchæ, & integrarum tribuum quaſi radices, meritò illorum adjecta mentio. Non verò exprimit diſertè Matthæus nomina eorum ut Zaræ, non magis quam nomina fratrum Iojakimi, non tam quia infelices fuerunt, ut vult *Salmero*, quam quia Zara unus, fratres & Iudæ & Iojakimi plures fuere, quorum nomina nota ſatis, nec neceſſaria ad contexturam Genealogiæ quæ à ſolo Iudâ deducitur.

DVBIVM VIII.

Quomodo dicatur à *Matthæo cap.* I. II. Ioſias genuiſſe Iechoniam & fratres ejus in deportatione Babylonicâ? cum tamen conſtet ex Hiſtoriâ Veteris Teſtamenti illum diu ante occubuiſſe, idque ex promiſſione peculiari, quâ calamitati illi ſubtrahendus dicitur, quæ & reverâ adimpleta legitur. II. *Paral.* XXXIV. 28. & XXXV. 24.

EXAMEN.

Solutio quorundam rejecta. Bezæ interpretatio probabilis. Alia adjecta & probata. Obſervatio erudita Gomari.

I. D hoc *Dubium*, quod ex intuitu tum promiſſionis tum complementi naſcitur, variè reſpondetur à variis. Quidam arbitrantur ideò dici Iechoniam & fratres genitos à Ioſiâ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, quia tametſi non fuerint geniti

niti tempore captivitatis Babylonicæ, tamen illis temporibus geniti fuerint, quibus ea inciderunt quæ captivitati occaſionem dederunt & impulerunt Deum ad illam populo immittendam. Sed ſolutio hæc coacta, & nodum non ſolvit ſed ſcindit, nam regnum Ioſiæ patris pium & moderatum fuit, & peccata quæ captivitatis Babylonicæ immittendæ cauſa fuêre, non ſub Ioſiæ, ſed ſub anteceſſorum & filiorum Regno admiſſa leguntur.

II. Melius longè reſpondet *Beza* noſter τὸ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας non eſſe referendum ad τὸ ἐγέννησε, nec cum eo conſtruendum quaſi Ioſias genuerit in captivitate Babylonicâ, ſed hoc eſſe referendum ad filios genitos, hoc modo: Ioſias genuit Iechoniam & fratres ejus, ſubaudito articulo præpoſitivo τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος ſcilicet γεγονότας, ut rectè ſupplet *Piſcator.* Nam cum in tempora Iechoniæ inciderit captivitas, & ipſe captivus fuerit abductus Babylonem, non tum demum potuit gigni. Et hanc interpretationem amplectitur *Salmero* poſt *Caietanum*, inquiens tranſmigrationem non poni *ut menſuram generationis*, quia ante illam genuerit Ioſias, ſed *ut menſuram generatorum*, quod illis viventibus acciderit, & omnes fuerint μετῳκισθέντες vel μετῳκισμένοι.

III. Etſi verò ſolutio hæc commodè ſatis nodum ſolvat, præferenda tamen videtur alia minus coacta, quę ducitur ex ſignificatione præpoſitionis ἐπὶ, quæ non ſtrictè tantum certum aliquod temporis intervallum deſignat, ſed cum latitudine aliquâ multa & diſtincta ſæpe tempora includit, ut *Mar.* 11.26. *Luc.* III.2. & alibi. Vnde hæc verba ἐπὶ τῆς μετοικεσίας non vertenda *in tranſportatione*, ſed *circa eam*, vel ſub tempora tranſportationis, h.e. nutante iam ſtatu populi Iudaici & inſtante tranſportatione Babylonicâ, utpote inter quam & Ioſiam nulli alii interceſſerũt Reges ab eâ immunes. Huc *Lyranus* Matthæi verba refert, & *Tremellius* in בגלותא ב pro ל ſive על poſitum contẽdit. Sic fames quæ dicitur fuiſſe ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος tempus cum aliquâ latitudine ſignificat *Act.* XI.28. Et ſanè hæc ſæpe ſignificatio eſt præpoſitionis ב apud Hebræos ut non ſaltem notet ſtrictè tempus ipſum in quo res ſolet peragi, ſed & tempus quod anteceſſit. *Gen.* 11.2. Et perfecit Deus ביום השביעי *in die ſeptimâ* opus ſuum, cum tamen illud perfecerit ante diem ſepti-

mam, unde ſeptima dies quieti deſtinata fuit ob quietẽ DEI. Vbi ſine cauſa LXX. non animadverſâ vi præpoſitionis ב mutant diẽ & ſubſtituunt ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. Exemplum geminum occurrit *Exod.* XII. 15. Eadem ergo hic ſignificatio præpoſitionis ἐπὶ quæ ibi τοῦ ב quod ſæpe circa vel propè deſignat. Idem etiam probari poteſt ex ipsâ rei naturâ de quâ ſermo. Cum enim de plurium generatione agatur, Iechoniæ videlicet & fratrum, ſanè non ſimul & ſemel potuerunt generari, ſed ſaltem in latitudine aliquâ temporis & complurium annorum.

Nec diſplicet nobis erudita obſervatio CL. *Gomari*, qui τὸ ἐπὶ pro εἰς cum quarto caſu poſitum arbitratur ex Hebraiſmo, antiptoſeis enim & enallagæ hæ frequentes in Scripturâ S. Videri poſſunt apud eundem *Gomarum* exempla varia & ex profanis Scriptoribus & ex ſacris adducta, ut ſenſus ſit Ioſiam genuiſſe Iechoniam (patrem nimirum h. e. Iojakimum) *in* vel *ad* transportationem Babylonicam, & non tempus generationis, ſed genitorum ſors & infelicitas indicetur, vel nomina eorum qui ante deportationem ſive uſq; ad eam geniti fuerunt. Et ἀντίθεσις quam conſtituit *Gomarus* inter ἐπὶ τῆς μετοικεσίας v. 11. & μετὰ τὴν μετοικεσίαν v. 12. egregia eſt, & ſic ἐπὶ τῆς μετοικεσίας coincidet cum eo quod dicitur v. 17. ἕως τῆς μετοικεσίας, quemadmodum & τὸ μετὰ τὴν μετοικεσίαν cum verbis illis ἀπὸ τῆς μετοικεσίας v. 17. Nec verò opus videtur parentheſi, quam conſtituit *Gomarus*, cum enim Ioſias octennio ante captivitatem Iojakimi mortuus fuerit, dubium non eſt quin Iechoniæ prioris h. e. Iojakimi fratres Ioſiæ filii nati fuerint ante captivitatem, & ſic ſenſus verborum Matthæi optimè ſibi conſtat hoc modo, *Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres ejus uſque ad deportationem Babylonicam: poſt illam Iechonias genuit Salathiel, &c.* Quin & abſurdi nihil inde ſequitur, tametſi referamus τὸ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας ad omnes generationes antecedentes, illas videlicet præceſſiſſe tranſportationem, & ad illam uſq; ſe extendiſſe, quos terminos ſibi figit Mattheus etiam verſu 17. ita ut verſu 12. poſt incipiat deſcribere generationes, quæ ſubſecutæ fuerunt deportationem Babylonicam.

DVBIVM IX.

Cur Matthæus *cap.* I. 11. de μετοικεσίᾳ in numero singulari loquatur? cum tamen plures fuerint, tres videlicet. I^a. Sub Iojakimo. II^a. Sub filio Iojachin vel Iechoniâ. III^a. Sub Sedekia.

EXAMEN.

Responsio Bezæ. Aliæ responsiones. Ἐπίκρισις. *Distinctio Comestoris & Maldonati inter* μετοικεσίαν *&* αἰχμαλωσίαν *expensa & rejecta.*

I. RESPONDET *Beza* unicam dici, eò quod intra paucos annos omnes acciderint, & potius continuata quædam μετοικεσία quam diversæ videantur, utpote cœpta sub Iojakimo, continuata sub Iechoniâ, & consũmata sub Sedekiâ. 2. Potest etiam dici, μετοικεσίαν hic eodem sensu sumi posse quo גלות & גולה *collective* videlicet ad plures transmigrationes designandas. 3. Verisimile aliis videtur non quamvis hic designari transmigrationem, sed δεικτικῶς aliquam ex illis, primam videlicet quæ sub Iojakimo incidit, quamvis responsio prima & secunda solidiores videãtur. Nam si *primam* intelligamus, de aliâ μετοικεσίᾳ erit sermo versu sequente, *si secundam*, non ita aptè cohærebit hoc cum solutione supra allatâ, Iosiam videlicet genuisse filios sub tempus deportationis, quod utique melius ad primam refertur. *Theophylactus* postremam intelligit.

II. Distinguit cæteroquin subtiliter *Maldonatus* & ante ipsum *Comestor Magister Historiæ Scholasticæ* inter *transmigrationem & captivitatem*, inter μετοικεσίαν & αἰχμαλωσίαν, quod illa sequatur voluntariam deditionem, ista violentam expugnationem. Sed discrimen hoc subtilius quam solidius, & promiscuè גולה & גלות modò per αἰχμαλωσίαν, modò per μετοικεσίαν LXX. reddunt ut *Ier.* XXIX. 16. 20. interdum per ἀποικισμὸν *Ier.* XLVI. 19. interdum per ἀποικεσίαν ut II. *Reg.* XXIV. 47. interdum

per ἀποικίαν ut *Ier.* XIII. 19. Adde quod τὸ μετοικίζειν II. *Reg.* XXV. 11. dicatur de transmigratione illâ, quæ tempore Sedekiæ contigit, quæ tamen maximè violenta fuit. Sic τὸ גלה promiscuè etiam vertitur à LXX. per ἀποικίζειν, μετοικίζειν, & αἰχμαλωτεύειν ac αἰχμαλωτίζειν. Et ipse *Maldonatus* fatetur conjungi utrúmque *Esdr.* II. 1. ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας τῆς ἀποικίας.

DVBIVM X.

Quî Iechonias dicatur *Matth.* I. 12. genuisse Salathielem? cum tamen *Ier.* XXII. 30. denuntietur ei expressè eum futurum sterilem & orbum ex singulari DEI maledictione.

EXAMEN.

Responsio Tremellii Iunii & Piscatoris rejecta. Melior aliorum solutio. Barradas Iesuita confutatus. Aliorum responsio expensa & rejecta. Gomari solutio duplex probabilis. Authoris opinio. Casaubonus notatus.

I. RESPONDENT quidam, inter quos *Tremellius*, *Iunius* & *Piscator*, Iechoniam dici genuisse Salathielē impropriè, eò quod illi successerit in principatu. Sed videtur hæc interpretatio dura esse & coacta, nec respondet emphasi verbi ἐγέννησε, & meritò rejicitur à *Gomaro*. 2. Melius verò fatentur alii reverâ Iechoniam genuisse Salathielem, ut *Hieronymus* in *Comm.* in *cap.* XXII. *Ier.* prout & idipsum habetur expressè adhuc I. *Par.* III. 17. Imò Iechoniam plures habuisse liberos patet ex v. 28. ejusdem capitis Ieremiæ. Maledictionem autem Iechoniæ denuntiatam quod attinet, quidā inde concluserunt diversos esse Salathieles, quorum unus privatus vixerit Iechoniæ videlicet filius, alter principatum obtinuerit, sed non ex Iechoniæ posteris, verum ex li-

neâ *Nathanis*: Sic duos etiam diverſos Zorobabeles filios fuiſſe, unum privatum ex lineâ Salomonis, alterum Ducem ex lineâ Nathanis. Sed de hoc infrà videbitur. 3. Alij putant per ſemen intelligi filios, nõ nepotes vel poſteritatem: ſufficere ergo quod filii Iechoniæ non ſucceſſerint patri. Hanc ſolutionem amplexatur *Barradas* Ieſuita Hiſpanus, ſed ſine ratione. Nota enim eſt latitudo vocis זרע quâ utitur Spiritus S. apud Ieremiam, quæ referri poteſt æquè ad nepotes ac ad filios. Quid enim frequentius quam hunc vel illum eſſe *ſemen* vel ex *ſemine* alterius, h.e. ex eo oriundum ſive *mediatè* ſive *immediatè*? 4. Reſpondent alii maledictionem Ieremiæ in eo impletam, quod in poſteritate Iechoniæ facta fuerit mutatio poteſtatis & faſtigii Regii, præfuiſſe quidem Salathielem populo, ſed non nomine regio, verum nomine Ducis ſaltem & fuiſſe duntaxat פחה vel נשיא vel ראש הגולה ſive αἰχμαλωτάρχην, quamvis Rabbini hæc diſtinguant interdum. Sed tamen nec hæc ſolutio videtur poſſe conſiſtere cum verbis Ieremiæ, quia Propheta addit phraſin generalem, non ſeſſurum ex ſemine Iechoniæ ſuper ſolio Davidis ullum non ſaltem Regem, ſed nec מושל dominatorem in Iudâ.

II. *Gomarus* ſolutionem duplicem aliam proponit unam ex voce ערירי, & inquit eam non ſaltem ſignificare orbum liberis ſed *deſtructum*, ſive infelicem & miſerum in genere, quod ex *Hieronymo* probat & Interpretibus Græcis, qui illam genericis vocabulis exprimunt, *Aquila* per ἀναύξητον, LXX. & *Theodotion* per ἐκκήρυκτον. Altera *Gomari* ſolutio diſtinguit tempus ante captivitatem exactum à tempore captivitatis, & ſtatuit Iechoniam fuiſſe improlem *ante* captivitatem, non *poſt*. Minas verò quæ *Ierem.* XXII. conditionatas fuiſſe idem *Gomarus* ſtatuit non abſolutas, & ſubintellectam fuiſſe tacitam pertinaciæ conditionem, quâ deſinente & è carcere fuerit exẽptus, & ſobole donatus. Vtraque ſolutio non incommoda. *Sixtus Senenſis Lib.* VIII. *Bibl.* inquit *Ieremiam loqui non de orbitate prolis, ſed de orbitate regni.*

III. Addi tamen poteſt & alia quædam ſolutio, ſi verba Ieremiæ accuratè expendantur, DEVM videlicet non negaſſe ſemen Iechoniæ, nec principatum vel dominationem aliquam ſemini illi, ſed negaſſe ei ſaltem ſucceſſum & proſperitatem in

dominatione, expresſè enim dicit Propheta לא יצלח מזרעו *nō proſperè aget vir de ſemine ejus*, &c. Quod & LXX. videntur expreſſiſſe οὐ μὴ αὐξηθῇ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ ἀνὴρ καθήμενος &c. Quod revera etiam adimpletum legitur. Tantum enim abeſt ut acceſſio quædam dignitatis facta ſit poſteris Iechoniæ, ut contra faſtigio regio exciderint, & in ſtatum inferiorem fuerint redacti, illúmque maximam partem luctuoſum & variis calamitatibus inſignem. Eruditiſſimus *Caſaubonus Exerc.* I. *ad Appar. Annalium Bar. Num.* III. maledictionem hanc de totali regni deſtructione in ſtirpe Davidicâ accipit, & ita interpretatur verba Prophetæ *non erit de ſemine ejus vir qui ſedeat*, &c. Sed ſalvâ viri maximi authoritate, & repugnat codex Hebręus, & verſio LXX. Sic enim τὸ יצלח prætermittitur, quod tamē non fruſtra à Spir. S. prolatum, & quidem bis eodem verſu non ſine ſingulari emphaſi repetitum. Tametſi ut infrà videbitur, ſi cui magis placeat ſenſus alter, quaſi omnis poteſtas abrogata fuerit hâc maledictione poſteris Iechoniæ, dici poteſt Salathielē, & Zorobabelē Iechoniâ ortos privatos fortè vixiſſe poteſtate tranſlatâ in Salathielem & Zorobabelē oriundos ex lineâ Nathanis, ut dictum. Nec urget authoritas Rabbinica in סדר עולם זוטא in Chronico Mundi minore, Zorobabeli in principatu ſucceſſores aſſignans Meſullam filium & Nepotes Hananiam, Barachiam, &c. cum nullo S. Scripturæ fundamento nitatur. Non magis quam cōmentum quod *Author* libelli illius adjicit, circa tempora Rab-Hona finem habuiſſe domum Davidis, ad cuius rei probationem fabulæ joculares prorſus ibidem ſubjiciuntur. Non diſſimulanda verò eſt objectio quædam quę movetur ab aliquibus, Salathielem dici filium Neri *Luc.* III. 27. adeóque Iechoniæ non eſſe, imò nec eſſe poſſe, eò quod Neri ex Nathanis poſteris ſit, Iechonias ex poſteris Salomonis. Sed *Dubium* hoc infrà in Collatione Genealogiæ Matthæi & Lucæ expedietur.

DVBIVM XI.

Quî Iechonias dicatur *Matth.*1.12. genuiſſe Salathielem poſt tranſportationem Babylonicam? cum tamen conſtet eum à Iechonia genitum in captivitate Babylonica, ut patet ex Hiſtoria & Chronologia *Paralipomenon.*

EXAMEN.

Solutio per Diſtinctionem. Novus ſcrupulus & propoſitus & diſcuſſus.

I. AD hoc *Dubium* reſpondetur ab aliquibus τὸ μετὰ cum quarto caſu æquipollere interdum præpoſitioni ἐν: ſed quia illud & rarius eſt & poeticum magis, præferenda ſolutio alia Salathielem dici poſſe genitum à Iechoniâ & *in* tranſportatione Babylonicâ, & *poſt* eam abſque ullâ contradictione per diſtinctionem *homonymiæ* latentis in voce μετοικεσίας; vel enim illa deſignat totum tempus à Iudæis in Babylone tranſactum vnà cum actu tranſportationis, vel actum tranſportationis Iudæorum Babylonem tantummodò. Si *prius*, genitus ſanè fuit Salathiel à Iechoniâ ἐν τῇ μετοικεσίᾳ vel ἐπὶ τῆς μετοικεσίας. Si *poſterius*, rectè dicitur Iechonias genuiſſe Salathielem μετὰ τὴν μετοικεσίαν. Et in hoc ſenſu ſumitur μετοικεσία à Matthæo videlicet pro μετοικισμοῦ ſeu ipſa tranſlatione Iudæorum & Iechoniæ in Babylonem. Et huc redit diſtinctio quam nonnulli adhibent μετοικεσίας *inchoatæ* & *conſummatæ*, poſt illam genitum Salathielem à Iechoniâ, non poſt iſtam.

II. Objici tamen poteſt durante captivitate vix videri veriſimile Salathielem genitum à Iechoniâ, cum vinctus & duriter admodum in carcere habitus legatur. Sed tamen & hoc Dubiũ facile ſolvi poteſt ex diſtinctione temporum. Ad tempus ſanè malè habitus fuit Iechonias à Nebucadnezare & quoad ille vixit, illo tamen mortuo ab Evilmerodacho filio è carcere edu-

ctus & regiè habitus in aulâ illius legitur II. *Reg.* XXV. 27. & *Ierem.* LII. 31. quod & Author libelli *Seder Olam Sutha*, Chronici mundi minoris observat. Quo tempore Salathielem sine ullâ absurditate genuisse censeri potest. Et reverâ illud fuit post μετοικεσίαν, cum non amplius in squalore & carcere viveret Iechonias, sed unà cum Rege cibum caperet, & thronus ejus sublimaretur supra thronos aliorum Regum, ut ibidem narratur.

DVBIVM XII.

Quomodo dicatûr *Matth.* I. 12. Salathiel genuisse Zorobabelem? cum tamen constet ex I. *Paral.* III. 17. 18. 19. Iechoniam quidem genuisse Salathielem, Malchiram, Pedajah, & alios: Pedajæ verò filium demum fuisse Zorobabelem, non Salathielis.

EXAMEN.

Solutio quorundam rejecta. Ἔνστασις *discussa. Quatuor solutiones aliæ examinatæ & rejectæ. Authoris sententia. Objectio & proposita & discussa de Nomenclaturâ genitorum per Leviratum.*

I.  VIDAM respondent Pedajam fuisse filium Salathielis & Pedajæ Zorobabelem, adeóque Zorobabelem censeri filium Salathielis, quia Nepos, qui genitus ab avo generatione mediatâ per filium. Sed solutio hæc non videtur admittenda. 1. quia non potest probari ex *Paralipomenis* Pedajam fuisse filium Salathielis, imò potius ex inspectione textus patet eum fuisse ejus fratrem. Interpunctio enim & distinctio per alium versum nec argumentum sufficiens, nec à sacris scriptoribus est. Nam & Malchiram & Pedajah, & qui sequuntur, conjungun-

junguntur in eâdem ſerie cum Salathiele, ut ejuſdem Patris filii. 2. Adde quod neceſſarium ſit Pedajam cum reliquis cenſere fratrem Salathielis, quia alioquin falſum foret Iechoniam plures habuiſſe filios, quod tamen expreſsè dicitur in Textu ובני יכניה *& filii Iechoniæ. Inſt.* Excipiunt quidam præter Salathielem alium fuiſſe filium Iechoniæ, nimirum *Aſsir. Reſp.* ſed reverâ in eo hallucinantur, quia אסיר vel אסר ibi nomen *appellativum* eſt, nō *proprium*, & notat vinctum vel captivum, eſtq; epitheton Iechoniæ, illum videlicet adhuc captivum in Babylone filios illos genuiſſe μετὰ μετοικεσίαν, poſt actum nimirum tranſportationis, etſi adhuc in captivitate, cum nondum eſſet ſui juris. 3. Huc accedit & illud, quod ſententiâ hâc admiſsâ nondum ſolvatur nodus: quæſtio enim redit, cur Matthæus denuò ſaltum faciat, & ab avo deſcendat immediatè ad Nepotem prætermiſſo Patre Pedajah. Etſi autem reſpondeatur à quibuſdam Matthæum non exactè ſervare ordinem, ſed interdum quoſdam prætermittere, id verò mihi probari nequit. Admiſimus quidem ſuprà tres Reges fuiſſe prætermiſſos à Matthæo, ſed ob gravem cauſam, quæ ibidem fuit indicata, hic verò cauſa ſimilis dari nequit, cur hoc loco idem factum fuerit, vel fieri debuerit.

II. Alij reſpondent Salathielem dici genuiſſe Zorobabelem, quia in Principatu ei ſucceſſit, Malchiram & Pedajah mortuis. Sed nec hæc ſolutio ſolida, repugnat enim τὸ ἐγέννησε, & durum ac crudum nimis dicere aliquem genitum ab eo cui ſucceſſor datur in munere vel dignitate aliquâ, etſi interdum à quibuſdam ſucceſſores filii civili ratione dicantur.

III. Alii dicunt Zorobabelem fuiſſe filium adoptivum Salathielis. Sed 1. hoc precarium eſt, & ſine fundamento. 2. repugnat emphaſi verbi ἐγέννησε. 3. Manet quæſtio, cur prætermittatur Pedajah.

IV. *Alph. Toſtatus* ſecutus *Gloſſam* (in quâ ſententiâ etiam *Caietanus*) putat iſtum Zorobabelem, de quo in Paralipomenis, non eſſe eundem cum eo qui filius Salathielis à Matthæo conſtituitur, ſed alium cognominem ex Pedajah genitum. Rationem adfert *Abulenſis*, quia Zorobabel Matthæi dicatur genuiſſe filium Abiud, & tamen 1. *Par.* III. inter filios Zorobabelis nullus nominetur Abiud, ſed Meſullam, Hananias, & alii. Sed

parum videtur probabile diverſos fuiſſe Zorobabeles, quorum mentio in *Paralipomenis* & apud Matthæum, cum alia ſolutio commodior dari poſſit, tametſi non multiplicentur. Interim ratio quam adducit ibidem *Abulenſis* novo *Dubio* locum facit, quod ſeorſim diſcutiendum.

V. Quidam, quod refert *Ianſenius*, Aſſir, Salathielem & Pedajah eandem prorſus eſſe perſonam exiſtimant, ſed trinominem. Verùm nec hæc ſolutio admitti poteſt, tum quia precaria, tum quia falſa, poſt Salathielem enim additur בכר & expreſsè alius, Malchiram nimirum, interponitur inter illum & Pedajah.

VI. Optima & ſimpliciſſima nodi hujus ſolutio videtur mihi duci poſſe ex diligenti inſpectione & collatione Matthæi cũ loco Paralipomenων, ex quâ apparet Salathielem fuiſſe primogenitum Iechoniæ captivi. Vnde *κατ' ἐξαίρετον* vocatur בכר hoc eſt בכורו primogenitus ejus. Valde itaque probabile Salathiele abſq; liberis extincto, Pedajam fratrem poſt obitum ejus, pro jure Leviratus, ductâ Salathielis uxore ſemen ei ſuſcitaſſe, & ſic Zorobabelem ex illo genitum cenſeri filium Salathielis, & quaſi ab eo generatum, non verò Pedajæ, etſi ab hoc propriè genitus fuerit. Quæ quidem ſolutio mihi videtur ſoluere nodum perplexum ſatis ſine difficultate, & rationem evidentem habere, tum cur Zorobabel ſtatuatur filius Salathielis, tum cur prætermittatur à Matthæo Pedajas, quorum utrumque in quæſtione erat. Iudicium ſit penes alios. Ob hanc cauſam etiam & *Eſdras cap.* III. 2. ut & *Aggæus cap.* I. 1. Zorobabelem non Pedajæ ſed Salathielis filium faciunt, quos dubio procul etiam ſecutus Matthæus: tametſi enim Pedajæ filius naturalis fuerit, legalis tamen fuit Salathielis. Vnum eſt, quod huic ſolutioni opponi poteſt probabiliter in ſpeciẽ ex *Deut.* XXV. 7. ubi videtur in deſcriptione juris & exercitii Levitatus præcipi, ut primogenitus ſuſcitatus fratri vel agnato defuncto à fratre vel agnato nomen patris legalis, cui ſuſcitatur, ſortiatur. *Primogenitus ex illâ filius nomine fratris ſui defũcti ſtabit*, LXX. *κατασταθήσεται ἐκ τοῦ ὀνόματος τοῦ τετελευτηκότος*, &c. Sed ad hác difficultatem reſpondere poſſumus cum *Auguſtino lib.* II. *Retract.* c. XII. falſum eſſe, filium patris legalis nomen obtinere debuiſſe: adeóque loco Zorobabelis Pedajæ filium debuiſſe vocari Salathielem. *Nomen defuncti*, inquit *Augu-*

Augustinus, ad hoc lex valere præcepit, ut filius defuncti diceretur, nõ ad hoc, ut quod ille uocaretur. Idẽ docet Aug. quæst. XLVI. in Deut. *Quod additum est,* Et nõ delebitur nomẽ ejus ex Israele, *potest ita intelligi, non quod nomen ejus puer consequenter accipiat, sed quod ille non sine posteritate mortuus esse videatur, & ideò permanet ejus nomen, h.e. memoria. Neque enim etiamsi ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen ejus non deleretur ex Israel: sed ex hoc utique non deleretur, quia non sine liberis ex hâc vitâ emigraret.* Sufficit ergo secũdum legem, ut Zorobabel Salathielis filius dicatur. Qui sensus legis adhuc declarari potest & ex multis exemplis aliis, & ex verbis & praxi Boozi. *Ruth.* IV. 10. quod etiam exemplum citat ibidem *Augustinus: Qui de illâ* (scilicet Ruth) *natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus: atque ita factum est ut nomen defuncti non deleretur ex Israel, nec tamen ejus nomine appellatus est.* Et sanè textus sacer habet *Ruth.* IV. 10. *Ruth Moabitidem uxorem Mahalonis comparo mihi in uxorem ad excitandum nomen demortui, &c. ut non exscindatur nomen demortui à fratribus suis.* Et tamen filius Boozi non Mahalon sed Obed vocatus fuit, quamvis Mahaloni suscitatus fuerit à Boozo.

DVBIVM XIII.

Quomodo Matthæus sit conciliandus cum 1. *Par.* III 19? ubi filii Zorobabelis dicuntur fuisse Mesullam & Hananias, nulla facta mentione Abiud illius, cujus meminit Matthæus v. 13. Idem scrupulus in sequentibus, nam posteri Abiud alii prorsus sunt ab iis qui recensentur 1. *Paral.* III.

EXAMEN.

Solutiones variæ. Scrupuli duo alii. Solutio utriusque. Tabularum genealogicarum cura apud Iudæos. Causæ variæ sacræ & civiles. Iudæorum corruptela. Gen. XLIX. 10. *Herodis molitio. Matthæi integritas.*

I.  ESPONDENT aliqui Mesullá fuisse binominem, & vocatum etiam Abiud. *Alii* putant *Hasubah* vel *Ohel* posteritatem, quæ non describitur in *Paralipomenωn* libro, à Matthæo recenseri. *Alii* arbitrantur Zorobabelem præter filios, quorum nomina habentur primo Paralipomenωn libro, adhuc habuisse alios, & inter illos Abiud, cuius genealogia texitur à Matthæo.

II. Etsi verò solutiones hæ probabiles satis sint, non dissimulandum tamen, illas posse urgeri duplici scrupulo. 1. Quî factum fuerit, quod Spiritus S. in *Paralipomenis* non observaverit seriem genealogicam Abiud, qualis describitur à Matthæo, ut hâc ratione Harmonia Veteris & Novi Testamenti eò melius constaret, cum tamen filios Hananiæ recensuerit, quorum minus necessaria cognitio. 2. Vnde Matthæus petierit hanc Genealogiam Abiud quam contexit hoc loco extra sacras literas, an ex Traditione, an aliunde?

Reverâ fatendum scrupulum primum nō exiguum esse, & ejus rei rationes vix sufficienter à quoquam explicari posse. Dici tamen potest 1. Genealogiam à Matthæo contextam & ad Iosephum deductam per Abiud fuisse quidem hominum è Davidis familiâ descendentium, sed obscurorum admodum, & redactorum ex singulari Dei dispensatione ad statum privatum & conditionem vilem & abjectam. Et quia ista declinatio facta statim in Abiud, inde fortè factum quod nec illius, nec posterorum ejus majorum Iosephi obscuram prorsus vitam agentium meminerit Scriptor seriei genealogicæ in *Paralipomenis*, sed illos descripserit, qui tum temporis in majori dignitate & æstimatione erant constituti. 2. Sufficit Harmoniam

Veteris & Novi Testamenti satis sibi constare in essentialibus & fundamétalibus fidei articulis, tametsi ἐναντιοφανῆ occurrant in talibus, quæ salvâ fide & salute ignorari possunt, nec anxiè urgeri & vexari debent, secundum admonitionem etiam Pauli 1. *Tim.* I. 4. *Tit.* III. 9.

III. Si verò quæratur unde Matthæus hanc Genealogiam contexuerit inde à Zorobabele, & quibus Authoribus, cum hac de re nihil habeatur in Veteri Testamento? Respondent quidam Spiritum Sanctum dictâsse hanc Genealogiam Matthæo. Quod quidem verum, & apud Christianos certum, sed tamen non satisfacit nec Iudæis, nec Paganis, apud quos Matthæi authoritas vel nulla, vel dubia. Imò cum Matthæum in Iudæorum potissimùm gratiam Evangelium suum conscripsisse probabile sit ex tot locis Veteris Testamenti, quos præ aliis N. Testamenti Scriptoribus adducit ad confirmationem Evangelii, sanè videtur debuisse ab illo peti hæc contextura genealogica ex authoritate notâ & perspectâ Iudæis. Et reverâ illorum sententia valde probabilis, qui putant Matthæum descripsisse hanc Genealogiam ex tabulis genealogicis Iudæorum, à quibus illæ solebant summâ diligentiâ & conscribi & asservari, vel in primis eorum qui erant oriundi sive ex *tribu Iudâ*, sive ex *tribu Levi*. *Ex tribu Levi*, ne sacerdotium quisquam invaderet, qui non esset ex tribu illâ, cui peculiari ratione DEVS honorem illum destinaverat. *Ex tribu Iuda*, ob Messiam ex illâ nasciturum. Et quia promissio generalis postmodum restricta fuit ad domum Davidis, dubium non est, quin posterorum Davidis quorumcunque major fuerit habita ratio quam aliorum, ut constaret qui à Davide, quâ lineâ & quo gradu descenderent. Vnde etiam singulari DEI providentiâ factum ut, statim post Messiam exhibitum, & abolitum ministerium Veteris Tabernaculi, Iudæorum tribus inter se confunderentur, & hodiéque ipsi Iudæi fateri cogantur, nec bene, nec certò tribus à se invicem discerni posse: unde dicunt hoc inter alia Messiæ officium futurum, Genealogias renouare, tribus distinguere, veros Abrahami posteros discernere ab iis qui tales non sunt nisi δοξαςῶς. Et sic conantur illi elabi, quando urgentur à nobis Oraculo Iacobi. *Gen.* XLIX. Schilo videlicet oriturum ex tribu Iudâ, non verò constare hodie quinam certò ex illâ tribu descenderint. Inquiunt illi Messiam præ-

ditum fore Spiritu discretionis, & Tribus distincturum esse. Atqui annon hac ratione se quibusvis impostoribus & imposturis prostituunt? Adde quod invertant argumentum Scripturæ, & illud prorsus inutile reddant. Voluit DEVS peculiari ratione tribum, ex quâ nasciturus esset Messias, designare, ut hoc κριτήριον conjunctum cum aliis ad illius agnitionem Iudæos duceret, & illi contra volunt non Messiam ex tribu, sed tribum ex Messiâ, vel à Messiâ dignoscendam & distinguendam.

IV. Observandum verò etiam præter causas *sacras* varias rationes *civiles* fuisse in populo DEI ob quas DEVS volebat olim & Genealogias illas exstare & asservari. 1. Vt sic servaretur distinctio tribuum, & familiarum in tribubus, ne vel gentiles commiscerentur populo DEI, qui Dei peculium tum erat, vel ipsi Israelitæ inter se sive sponte & ultrò, sive per conjugia, sive casu ex defectu observationis seriei genealogicæ. 2. Ne confunderentur hæreditates tribuum, quas DEVS distinctas volebat. Etsi enim venditio possessionum & fundorum licita esset, tamen illa omnia primò contribulibus erant offerenda, vel si aliquando contigerat ea in tribum alienam transire, Iubilæo succedente pristinis possessoribus vindicabantur. Hinc & Nabothi factum excusari potest negantis vineam suam Achabo, eò quod esset fundus hæreditarius, quem à majoribus suis acceperat. 3. Poterat etiam Genealogiarum illarum conscriptio & asservatio inservire distinctioni primogenitorum & eorum qui ab illis descendebant, cum ad illos, præter duplam hæreditatis portionem, dominium in fratres pertineret, quod etiam in primogeniti primogenitum, & sic deinceps derivabatur. 4. Vtilis etiam esse poterat observatio illa tum ad cavendas lites, quæ ex prætensione jurium & possessionum oriri poterant inter Iudæos, tum ad componendas vel decidendas illas, quæ jam erant obortæ sive hac de causâ, sive aliâ ratione. Sic *Esdræ* 11.59. narratur aliquos non potuisse ostendere domum patrum suorum & semen suum utrum ex Israele essent, qui גרים & προσήλυτοι dubio procul erant vel πάροικοι. Sic versu 62. quidam qui vel candidati erát sacerdotii, vel jam actu sacerdotium exercebant, eo pulsi & dejecti leguntur, eò quod cum in Genealogiam illorum inquireretur, an videlicet essent ex tribu Levi & fami-

familiâ Aaronis, nullis documentis authenticis de eo cõstaret; quod & repetitur *Nehem.*VII.64. Sic versu 5. ejusdem capitis Nehemias censum populi acturus id præstat Genealogiarum beneficio. Quæ exempla clarè docent jam tum Esdræ & Nehemiæ temporibus studiosè de conscriptione, asservatione & inquisitione Genealogiarum laboratum fuisse, ad quas recurreretur, siquidem vel census esset agendus, vel dubium aliquod, aut lis oboriretur, inde enim constare poterat ex quâ gente, ex quâ tribu, ex quâ familiâ quisque oriundus esset, quid cuique iuris in has vel illas dignitates, possessiones & successiones esset, quod hodiéque etiam in litium forensium decisione multum momenti habet, & utramque sæpe paginam facit.

V. Hæ verò tabulæ genealogicæ non saltem à privatis contexebantur & asservabantur studiosè, sed etiam exstabant descriptiones publicæ familiarum, quæ ne obnoxiæ essent falsariorum manibus & fraudibus, solebant asservari in locis publicis, Archivis urbium, & vel imprimis in templo Hierosolymitano. Et reverâ privatæ tabulæ memoriæ quidem & recreationi privatorum inservire poterant, fidem verò facere in casu dubio nisi publicæ non poterant, ut quæ non essent extra periculum & suspicionem fraudis.

Ejusmodi tabulæ exstabant dubio procul adhuc tempore Matthæi inter Iudæos, & inde ea derivavit quæ hoc capite proponit v.g. inter alia quod Salmon genuerit Booz ex Rachab, de quo nihil habetur in scripturâ Veteris Testamenti: quod docet *Eusebius lib.*1. *Hist. Eccles.*c.VII. Qui & addit Herodem studiosè inquisivisse in ejusmodi Genealogias, & omni conatu eas abolere sategisse, eo quod ignobili loco oriundus esset, ne quisquam Iudæorum eum nobilitate superare, & genus suum referre posset ad Patriarchas. Ex ejusmodi tabulis publicis deducere potuit Matthæus Genealogiam majorum Iosephi per Abiud & posteros. Cum enim hoc ipso Catalogo Iudæos convincere voluerit Christum natum ex posteritate Davidis, utpote oriundum ex matre desponsâ viro de domo Dauidis, & tamen nõ secutus fuerit seriem Genealogicã quæ exstat in V. Testamento inde à Zorobabele, dubium non est, quin ejusmodi tabulas descripserit, quæ & veritatem continerent, & quarum authoritas esset ἀξιόπιστος & indubitata inter Iudæos: alioquin nec scopum suum

attigiſſet, & ſe ſine cauſâ obnoxium feciſſet cavillis hoſtium Chriſti, ut qui ſtatim in limine adeò graviter impegerit, & ſic totum ſuum de Chriſto Evangelium ſuſpectum reddiderit. Niſi ergo Genealogia hæc ex publicis documentis tum temporis notis inter Iudæos petita fuiſſet, ſanè Iudæi, Phariſæi, Scribæ, hoſtes acerrimi Chriſti avidè arripuiſſent hanc πρόφασιν invehendi in Chriſtum & Evangelium falſi arguendi, & tamen non legimus ullam vel ipſi Chriſto, vel primis Chriſtianis, poſtquam jam extiterat Evangelium Matthæi, litem hac de re unquam motam aut intentatam fuiſſe, nec Matthæum multis poſt conſcriptum Evangelium annis à quoquam ob id in jus vocatum uſq; ad *Celſi, Porphyrii & Iuliani*, aliorúmque id genus profanorum canum ætates, qui rabiem ſuam in Genealogiâ hac arrodendâ exeruerunt.

Et ſanè ſiquidem vel obſcura vel dubia ſaltem fuiſſet ſeriei hujus veritas, integrũ erat Matthæo æquè ac Marco & Iohanni vel nullam majorum Chriſti per Ioſephum Genealogiam texere, vel deſcribere aliquam ex iis quæ habentur in Codice V. Teſtamenti, & Ioſephum ex illâ deducere, ne committi poſſet à Iudæis cum Scriptore Genealogiæ illius quæ habetur in Paralipomenis. Sed tametſi hoc facile fuiſſet Matthæo ad convictionem Iudæorum, tamen id committere noluit, nec affectare conſenſum cum Catalogo qui ibidem texitur, quem ignorare non poterat, quia reverâ Ioſephus ab iis non deſcenderat qui ibidem commemorantur, ſed ab aliis obſcurioribus quidem, & in ſtatum privatum redactis, interim tamen è familiâ Davidicâ oriundis, quod ex inſtrumentis Authenticis tum temporis exſtantibus conſtabat.

DUBIUM XIV.

Cur Genealogia Chriſti ducatur à *Matthæo* v. 16. *cap.* 1. ad Ioſephum & non potius ad Mariam, cum tamen Chriſtus nec Ioſephi filius fuerit, nec ab eo deſcenderit?

EXAMEN

EXAMEN.

Causæ graves hujus Dubii. Cavilli Celsi, Porphyrii, Iuliani & Marcionitarum. Opinio Chrysostomi & Ianſenii. Confutatio ejus. Solutio alia ſolidior Patrum. Fœminarum Genealogiæ unde ductæ inter Iudæos. Ἐνστάσεις *ſex contra ſolutionem allatam. Singularum examen. Salmeronis error & blaſphemiæ.*

I. DVBIVM hoc non parum exercet multos ex Interpretibus tum veteribus, tum recentioribus, nec ſine gravi causâ de eo decidendo laboratur. Non ſine ratione enim Lector ſive Chriſtianus, ſive Paganus, aut infidelis alius hic pedem figere poteſt, & quærere cur hanc Genealogiam Ioſephi contexuerit Matthæus, & cui bono? Annon ipſe hac ratione præjudicare videatur nativitati Chriſti ex virgine? Nam vel à Ioſepho Chriſtus genitus cenſetur, vel non. Si *prius*, non poteſt nec debet haberi pro Meſſiâ, ut qui debuit naſci ex virgine. Si *poſterius*, fruſtra à Ioſepho genus ejus ducitur. Quæri quinetiam poteſt, quid & quomodo hoc faciat ad ſcopum Matthæi? qui erat Chriſti, non Ioſephi Genealogiam texere, ut patet ex *Theſi* propoſita verſu 1. quod iam olim objiciebatur à *Celſo* referente *Origene*, & à *Iuliano* Apoſtata referente *Cyrillo Alexandrino*. Videretur utique ſanè melius & ſibi & Chriſto proſpexiſſe, ſiquidem contexuiſſet Genealogiam Mariæ ex quâ Chriſtus natus, quod & potuiſſet & debuiſſet præſtari per enumerationem Majorum Mariæ. Imò hinc *Marcionitæ* & *Docitæ* veteres occaſionem olim arripuerunt cavillandi, Chriſtum non fuiſſe verum hominem ex Mariâ virgine natum, ſed φαινομένως ſaltem & *putativè* talem, cum à Ioſepho non Mariâ Genealogia ejus deducatur, qui *putativus* tantummodò Chriſti Pater fuerit, non *verus*.

II. Ad Dubii hujus ſolutionem reſpondent quidam, ideò Matthæum contexuiſſe Genealogiam Ioſephi, ut ſe accommo-

daret opinioni communiter receptæ inter Iudæos, qui putabant Christum esse filium Iosephi, & sic demonstraret ex eorum hypothesi Iesum esse ex semine Davidis. Hanc opinionem diffusè admodum proponit *Chrysostomus Homil.* 111. *in Matth. Tomo* 11. Eò quod aliâs Iudæi non fuissent credituri Christum esse ex semine Davidis, & nondum tempus esset propalandi mysterii incarnationis: οὐκ ἐβούλετο, inquit *Chrysostomus*, τοῖς Ἰουδαίοις εἶναι δῆλον παρὰ τὸν τῶν ὠδίνων καιρὸν, ὅτι ἐκ παρθένου γεγέννηται ὁ χριστός. Et addit *Chrysostomus* ibidem hanc fuisse mentem patrum θαυμαστῶν καὶ ἐπισήμων ἀνδρῶν, Christum etiam se occultasse, ut & æqualitatem suam cum Patre. Sic Christum mirum quid hic spectasse, nimirum τὸ διασωθῆναι τὴν παρθένον, καὶ ὑποψίας ἀπαλλαγῆναι πονηρᾶς. Cui sententiæ accedit *Iansenius Commentario in Conc. Evāg. cap. vi.* ubi inter alia inquit, *Cum Christus putaretur esse filius Iosephi, sicut reverâ erat filius Ioseph, non quidem naturalis, sed legitimus (utpote legitimo matrimonio natus ex uxore) debebat etiam ostendere & ipsum Ioseph putativum & legitimum Christi patrem esse ex semine David: alioquin enim & infideles mysterium virginei partus ignorantes, qui Ioseph putabant esse naturalem Patrem Iesu, non credidissent filium Mariæ esse ex semine David,* &c. Sed responsio hæc non saltem falsa est, sed & absurda. 1. An enim credibile Spiritum Sanctum voluisse probare veram conclusionem per falsum medium? 2. Tantum abest ut Matthæus reticeat hoc capite mysterium incarnationis, ut id pluribus in locis & indicet & probet disertè. Docet enim Mariam gravidam fuisse ex Spiritu Sancto, probat ex Esaiâ Christum debuisse nasci ex virgine, & ostendit Mariam fuisse gravidam πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. Sic versu 16. non sine ratione postquam de Iosepho & Mariâ verba fecisset, non inquit ἐξ ὧν, nec ἐξ οὗ, sed ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, adeóque stylum sapienter mutat, nec τὸ ἐγέννησε de Iosepho respectu Christi usurpat.

III. Solidior longè est responsio communis & veterum & recentiorum Interpretum quam proponit & tuetur *Augustinus lib.* 11. *de Cons. Evang.* non fuisse in more positum apud Hebræos generationum Catalogum per fœminas texere. In hac sentētiâ etiā est, *Chrysostomus Homiliâ* 11. οὐκ ἦν νόμος παρὰ Ἰουδαίοις γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας. ἵνα οὖν τὸ ἔθος φυλάξῃ καὶ μὴ δόξῃ παραχαράττειν ἐκ προοιμίων, καὶ τὴν κόρην ἡμῖν γνωρίσῃ, διὰ τοῦτο τοὺς προγόνους αὐτῆς σιγήσας

γήσας τὸν Ἰωσὴφ ἐγενεαλόγησεν. εἴτε γὰρ ἀπὸ τῆς παρθένου τοῦτο ἐποίησεν, ἔδοξεν ἂν καινοτομεῖν &c. Sic *Ambrosius Comment. in Lucam.* lib. III. *Cur autem Ioseph magis quam Mariæ generatio describatur, cum Maria de Spiritu Sancto generaverit Christum, & Ioseph à generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quæ semper viri originem quærit.* Sic *Hieronymus in caput* I. *Matthæi. Quærat diligens Lector,* inquit, *& dicat: Quum Ioseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Ioseph? Cui respondebimus primū, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex unâ tribu fuisse Ioseph & Mariam.* Sic *Theophylactus* respondet in *cap.* I. Matthæi, Ἐπειδὴ νόμος ἦν μὴ γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας, διὰ τοῦτο οὐκ ἐγενεαλόγησε τὴν παρθένον; Πλὴν τὸν Ἰωσὴφ γενεαλογήσας, καὶ ταύτην ἐγενεαλόγησεν, ἦν γὰρ νόμος μὴ ἀπὸ ἑτέρας φυλῆς λαμβάνειν γυναῖκας &c. Sic *Damascenus lib.* IV. *Orthod. fidei cap.* XV. Χρὴ οὖν εἰδέναι, ὡς οὐκ ἦν ἔθος Ἑβραίοις, οὐδὲ τῇ θείᾳ γραφῇ γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας: νόμος δὲ ἦν μὴ μνηστεύεσθαι φυλὴν ἐξ ἑτέρας φυλῆς. Ideò ergo Genealogia Iosephi contexta à Matthæo, non Mariæ, eò quod fœminarum genealogiæ non solerent ordinariè conscribi, sed virorum saltem: innuptarum verò puellarum genealogiæ petebantur à Patribus, nuptarum à maritis, ut & desponsarum etsi nondum domum ductarum, quia scortatio ab illis admissa etiá ante matrimonium consummatū habebatur pro adulterio secūdum legem. Et rectè *Iansenius: Apud Iudæos non reputabatur aliquis esse ex aliquo semine, nisi ratione patris sui.* Hinc axioma Iudaicum protritum משפחת אם לא משפחה *familia matris non familia.* Et sanè videmus in Catalogis populi Iudaici qui proponuntur in Scripturâ S. plerunque non fœminas sed viros solùm numerari. *Num.* I. XXVI. & sub initium *lib.* I. *Paralipomenων.* Vnde satis fuit Iosephi genealogiam contexi, ut inde Mariæ genus dignosceretur, cum nuptiæ non quærerentur extra tribus secundum legem latam *Num.* XXXVI. 8. 9. præsertim à piis qualis Iosephus. Hinc & *Chrysostomus* & *Damascenus* ibidem, & alii ex Patribus disertè observant non sine causâ Iosephū δίκαιον vocari, utpote tenacem patriæ Legis. Hujus rei gratiâ & expressè additum à Matthæo, postquam deduxisset Genealogiam illam ad Iosephum usque, Iacobum genuisse Iosephum τὸν ἄνδρα Μαρίας versu 16.

IV. Tametsi vero solidè ita solvatur *Dubium* propositum, tamen solutio hæc vindicanda est; patitur enim scrupulos nec paucos, nec leves, qui non sunt dissimulandi.

1. Objici potest hanc legem de non ducendis uxoribus ex aliis tribubus non fuisse universalem. Vnde *August. quæst.* XLVII. *Solebant nubere fœminæ de aliis tribubus*, *unde* & *Saul cum esset de tribu Benjamin dedit filiam suam David homini de tribu Iuda.* Idem patet ex occasione latæ illius Legis, *Num.* XXXVI. Ob filias nimirum Zelaphead, & querelam patrum tribus Manasse, Deum videlicet eâ ratione saltem voluisse cavere confusioni possessionum, ne illæ de tribu in tribum transferrentur, tum cum nuberent puellæ, quibus ex obitu patrum & fratrum obtigerant fundi hæreditarii, & sic proprii fierent ἀλλοφύλοις sponsis ex alienâ tribu. Hoc vero non videtur pertinere ad Virginem Mariam, cum causa eadem in illâ non reperiatur, utpote quam pauperem, adeóque sine hæreditate fuisse satis constat ex Historiâ Evangelicâ.

2. Non saltem sanctio hujus legis non fuit universalis, sed nec praxis. Dantur enim plurima exempla confusarum tribuum per matrimonia in Scripturâ. v. g. Aaron conjugem duxit ex tribu Iudâ. *Exod.* VI. 23. David duxit filiam Saulis qui erat è tribu Benjamin. Imò nupsit alienigenæ Mahacæ filiæ Regis Gessur II. *Sam.* III. 3. Sic I. *Sam.* XVII. 25. Saul promittit filiam suam in matrimonium obvio cuíque ex quacúnque tribu foret, modò prosternat Goliathum, & avertat probrum ab Israele. Sic Israelitæ juramento se obstringunt, *Iud.* XXI. 1. se non elocaturos filias suas residuis ex tribu Benjamin: quo juramento utique opus non fuisset, siquidem lege hoc ipso prohiberentur, illi verò non ullâ lege se eo prohiberi, sed juramento saltem suo testantur. Sic Salmon duxit Rachab, Booz Ruth, alienigenas. Sic *Deut.* XXI. 11. 12. 13. Deus permittit Israelitis ut uxores ducerent ex puellis vel fœminis quas in bello captivas abduxerant. Sic Iojada Sacerdos oriundus ex tribu Levi pro conjuge habuit Iehosçabath filiam Iorami Regis Iuda II. *Par.* XXII. 11. Exempla alia id genus magno numero passim in Sacrâ Scripturâ occurrunt.

3. Annon etiam Iosepho integrum erat ducere conjugem ex tri-

ex tribu Levi? quod licebat quibusvis ex quavis tribu, cum ibi non metuenda esset causa latæ legis: proinde non poterit certò inferri Mariam esse è tribu Iudâ, eò quod nupserit Iosepho oriundo ex illâ tribu. Imò contrarium videtur ex S. Scriptura probari posse, B. videlicet Virginem fuisse ex tribu Levi, vocatur enim συγγενὴς cognata Elizabethæ uxoris Zachariæ sacerdotis de tribu Levi, quæ tamen disertè dicitur fuisse ex filiabus Aaron. *Luc.* 1.5. quod urserunt vel in primis olim contra Christianos *Celsus, Porphyrius, Iulianus, Faustus Manichæus*, aliique. Vide *Augustinum lib.* XXIII. *Contra Faustum Manichæum capitibus* IV. IX. & X. ubi tum Fausti hominis vafri cavilli, tum Augustini responsiones prolixè describuntur.

4. Etsi concedatur Christiano Iosephum fuisse ex tribu Iudâ & Mariam ei fuisse contribulem, semper tamen adhuc manet scrupulus gravis, unde constet Mariam fuisse ex eadem familiâ Davidis ex qua Iosephus erat oriundus, poterat enim illa esse ex aliâ familiâ in eadem tribu. At Christum oportebat nasci non saltem ex matre quæ esset è tribu Iuda, sed etiam quæ esset ex familiâ Davidis.

5. Non desunt descriptiones genealogicæ mulierum in Scripturâ 1. *Paral.* 1.32.11.16.17.21.24.26.29. Sic multa talia eodem capite. Falsum ergo id non moris fuisse inter Iudæos. Sic *Iudithæ* familia describitur à majoribus à quibus illa descendit *capite* VIII.

6. Vt omnes genealogiæ denominationem suam accipiunt à personâ in quâ terminantur, sic & hæc Matthæi: cum verò terminetur in Iosepho non videtur sibi constare Matthæus, qui descriptionem Genealogiæ Christi promiserat versu primo, non Iosephi.

V. Tametsi autem scrupuli hi, saltem aliqui ex illis, non videantur leviter urgere solutionem allatam, tamen omnibus accuratè expensis non desunt responsiones & solidæ, & commodæ.

Ad 1. responderi potest: Legem sanè inde originem traxisse, sed tamen postea eam redditam fuisse universalem, quia tametsi pauperes actu trásferre possessiones per nuptias non possent, quid obstabat tamen quominus & illis ex obitu fratrũ aut agnatorum fundi & possessiones hæreditario jure obtingerent,

quarum hac ratione alienatio fieri poterat. Cum cæteroquin Deus tribus & familias diſtinctas maximè voluerit ob Meſſiam futurum, & uſque ad illius exhibitionem, ut certò conſtaret ex quâ tribu quiſque eſſet, & ex quâ familiâ tribus: ſanè pluſquam probabile pios in gente Iſraeliticâ communiter hanc legem obſervaſſe, adeóque & Ioſephum, cum & eximia ei elogia tribuantur ab Evangeliſtâ, & actiones ejus oſtendant evidenter, illum fuiſſe virum probum & Legis obſervantem. Idem de Mariâ dici debet, cui etiam hæreditates obvenire poterant, & quæ tenacior dubio procul fuit legis quã ut fidẽ dare vel nubere vellet ſponſo non cõtribuli. Imò eruditiſſimus Caſaubonus ex Epiphanio probat beatã virginem reverâ fuiſſe ἐπίκληρον. *Exerc.* I. *Num.* XXX. quamvis fatendum ſit ex ſtabuli Bethlehemitici, & oblationis tenuioris, de quâ *Luc.* II. 24. mentione, κλῆρον actu ei fuiſſe tenuem, tamen quia erat ex familiâ regiâ poterant κλῆροι opulenti per mortem fratrum aut agnatorum ad eam devolvi.

Ad 2. reſpondetur exempla allata non præjudicare nec Legi, nec praxi communi, tum quia pauca, tum quia quędam ex illis ἀπροσδιόνυσα: v.g. conjugium *Aaronis* quippe quod contractum longè antè latam legem, & conjugium *Iojadæ*, quia licebat ſacerdotibus & ex aliis tribubus uxores ducere, & filias ſuas elocare aliis, etſi non contribulibus, eò quod in eo nec lex, nec cauſa legis periclitaretur, cum ſacerdotibus nullæ eſſent poſſeſſiones, quæ ad hæredes transferrentur. *Num.* XVIII. *Ioſ.* XIII. Sic *Saulis* trepidantis exemplum non præjudicat Legi, ut qui quocúnque modo ſublatum vellet Goliathum, & cautum ſecuritati ſuæ, unde ut quoſvis ingenti præmio propoſito excitaret ad facinus hoc patrandum, nullum incentivum majus à ſe offerri poſſe putabat præterquam nuptias filiæ. Adde quod Reges impii qualis jam tum erat Saul, multa ſibi ſolebant indulgere, vel inprimis in civilibus & forenſibus. Exemplum *Davidis* quod attinet, duxit ſanè ille alienigenam, ſed iis non prohibebantur Iudæi penitus, modò illæ eſſent aggregatæ ad populum & cultum Dei, & proſelytæ redditæ, adeóque quæ *originaliter* quidem & *antecedenter* eſſent alienigenæ, nõ verò *conſequenter*. Huc referenda exempla *Salmon* & *Booz*. Sic *fœminæ in bello captæ* ſolebant interdum domum duci, ſed poſtquam nuntium miſiſſent idolis

& con-

& conſuetudinibus patriis.Et ad hoc teſtandum voluit Deus illarum capita radi,ungues præcidi,veſtimenta mutari,planctum menſtruum excitari & continuari. *Deut*.XXI. & illas quaſi totas immutari antequam tranſirent ad populum Dei.Id etiam extraordinarium erat & rarum,& indultum potius à Deo, quam approbatum ob duritiem populi Iudaici.Hic verò ſermo de ordinariâ Iudæorum conſuetudine. Adde quod Legibus ſtandum non exemplis. Extraordinarium etiam cenſeri poteſt factum *Davidis* ducentis filiam Saulis,quo teſtatum volebat Deus ſceptrum cum hæreditate transferendum à domo Saulis in domum Davidis.*Iſraelitarum* etiam exemplum non urget,quando illi iræ & vindictæ cupiditate abrepti ob clades antegreſſas iuramento ſe obſtrinxerunt ſe non ſaltem exciſuros tribum Benjamin,ſed & ſiqui reſidui forét ex illâ πανολεθρία, ſe ne extraordinarium quidem remedium iſti cladi adhibituros, quò videbantur poſſe compelli vel commiſeratione,vel defectu remedii ordinarii,ne tribus aliqua exſcinderetur ex Iſraele, quod extraordinarium remedium erat elocatio filiarum ſuarum in tribum Benjamin.

Ad 3. reſponderi poteſt,ſanè integrum fuiſſe Ioſepho ducere conjugem ex tribu Levi,ſed tamen id ab eo non factum,quippe quem conſtat nupſiſſe contribuli è tribu Iuda ex Genealogiâ Mariæ virginis quæ texitur à Lucâ, & deducitur ab Eli Patre Mariæ,ut videbitur in ſequentibus.Nec officit quod Maria dicatur συγγενὴς Elizabethæ: quid enim obſtabat quò minus aliquis ex Mariæ majoribus conjugem duceret ex tribu Levi, vel ſacerdos aliquis filiam ex cognatione Mariæ? unde Elizabetha συγγενὴς Mariæ vocatur,vel quatenus ex tribu Iuda genus ducebat,vel quatenus Maria ſecundum genus maternum erat ex tribu Levi. Et *Greg.Nazianz*. obſervat divinâ providentiâ factum, ut ſtirps regia cum ſacerdotali quaſi coaleſceret in majoribus Chriſti, quia opus erat Chriſtum utramque perſonam induere & ſuſtinere,& Sacerdotis & Regis.Inane ergo cavillum *Porphyrii,Iuliani* & ſequacium. Vide *Auguſtinum lib*.XXIII. *contra Fauſtum Manichæum cap*.VIII.& IX.

Ad 4.reſponderi poteſt legem quæ habetur *Num*.XXXVI. non ſaltem adſtrinxiſſe nupturos ad eandem tribum, ſed & ad eandem familiam in illâ tribu,quoad ejus fieri poterat,quia eadem

utrobique ſuberat ratio. Vt enim non erant confundendæ tribus & hæreditates tribuum, ſic nec familiæ & poſſeſſiones earum, quod & expreſsè indicatur verſu 8. fœminam hæredem nubere debere non ſaltem uni ex tribu, ſed etiam ex familia tribus patris ſui לאחד ממשפחת מטה אביה. Vnde in exercitio Leviratus non cuivis agnato, ſed proximo ex fratribus & agnatis id officii incumbebat, quod ex Boozi verbis ſatis ſupérque colligi poteſt, *Ruth.* III.12. inquientis *vindicem ſe propinquiorem eſſe*, quem etiam eo nomine compellat *capite quarto.* Sic *Theophylactus* in caput I. Matthæi non ſaltem docet legem fuiſſe μὴ ἀπὸ ἑτέρας φυλῆς λαμβάνειν γυναῖκας: Sed etiam μὴ ἀπὸ ἑτέρας πατριᾶς ἤτοι συγγενείας, ἀλλ' ἀπὸ τῆς αὐτῆς καὶ φυλῆς καὶ πατριᾶς. Sic & *Chryſoſtomus* ante Theophylactum Homil. II. οὐ γὰρ δὴ μόνον ἀπὸ φυλῆς οὐκ ἐξῆν ἑτέρας, ἀλλ' οὐδὲ ἀπὸ πατριᾶς ἑτέρας, τοῦτ' ἔστι συγγενείας, γαμεῖν &c. Hinc ergo inferri poteſt Ioſephum & Mariam utpote tenaces legis non ſaltem fuiſſe contribules, ſed & συγγενεῖς in illa tribu, adeóque conjunctim è domo Davidis. Sed apodicticè idem habetur in genealogiâ Mariæ contextâ à Lucâ, qui genus ejus refert ad Davidem. Huc referri etiam poteſt quod habetur *Luc.* II. Mariam æquè ac Ioſephum aſcendiſſe in Bethlehem in urbem David ad ἀπογραφὴν illam, & Mariam etiam fuiſſe ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ.

Ad 5. reſponderi poteſt peccari *falsâ hypotheſi*, locis enim allegatis ex libro *Paralipomenων* fœminarum genealogiæ non contexuntur, ſed nomina earũ ſaltẽ indicantur, ex quibus hi vel illi geniti, quarũ etiam patres interdũ obiter notantur. Adde quod pauciſſima exempla non debeant trahi in præjudicium conſuetudinis ordinariæ. Nequicquam etiam urgetur exemplum Iudithæ, & alia id genus, peccatur enim *Ignoratione Elenchi* vel *Elencho parium*, aliud enim eſt fœminæ alicujus genealogiam deſcribere, aliud genealogiam viri per fœminam: prius facit Author libri illius, non poſterius. Imò authoritas hujus Scriptoris exigui eſt ponderis ac momenti, & ille eo ipſo ſuſpectus eſſe poteſt quod hic recedat à conſuetudine Hebræorum, & ſe Græculum potius prodat quàm Hebræum: præterquã quod multa alia à Theologis Orthodoxis in libro illo obſerventur, quæ nec Canonicis Scripturis, nec honeſtati, vel veritati conveniunt, & imbecillitatem Scriptoris ſui ſatis ſupérque proſcribunt.

Ad 6.

Ad 6.refpondendum 1. per συγχώρησιν, Genealogiam illam Iofephi dici poffe, non ἁπλῶς, fed κατά τι, non quà ad Iofephum terminatur, fed quà per Iofephum ducitur. 2. per βίαιον, illam eo ipfo pertinere ad Chriftum, ratione matris defponfæ Iofepho, quia *de jure* debebat effe ei & ὁμόφυλος & συγγενής. Eam verò *de facto* talem fuiffe patet ex verbis Angeli *Luc* 1.35. Vnde meritò ad Chriftum terminatur.

Nec mirum foret in exemplo extraordinario, extraordinario modo actum à Spiritu S. Sed novum non eft apud Iudæos fponfarum genus in genere fpõforum connotari. Hujus verò rei gratiâ tantum ftemma genealogicum Iofephi percenferi indicat Matthæus inquiens v.16. *Iacobum genuiffe Iofephum* τὸν ἄνδρα Μαρίας, ut conftaret illũ *reduplicativè* faltẽ *quà talem* hic cõfiderari.

VI. Manet ergo certum & immotum, Matthæum morem Iudæorum fecutum Iofephi potius quam Mariæ Genealogiam contexuiffe, interim tamen fatis connotari genus Mariæ in ferie genealogicâ ipfius Iofephi. Quod ipfum ne ullâ ratione in dubium vocari poffet, ei rei cautum voluit DEVS per Lucam, qui Marię Genealogiam à majoribus ejus per Nathanem deducit ad Davidem, ut ex collatione utriúfque ὁμοφυλία & συγγένεια illa evidenter conftaret. Fallitur ergo & fallit *Salmero*, dum in enodatione tertiæ teffaradecadis contendit Mariæ parentes non recenferi, & addit id ideò factum, *ne illa refpiceretur à nobis ut filia Adæ fub peccato ejus comprehenfa, fed ut mater faltem Iefu Chrifti, & ne derogaretur perpetuæ gratiæ puritatis ejus.* Eandem etiam ob caufam Mariam cum Iefu feorfim poni, & *cum Redemptore non cum redimendis* aggregari, ut quæ fingulari Chrifti gratiâ & munere *in Redemptione mundi comes ejus effe debebat & adminiftra.* Eandem ob caufam Lucam non meminiffe Beatæ Virginis ne quovis modo filia Adæ à nobis exiftimetur. At 1. falfum Mariæ parentes non recenferi, contrarium jam oftenfum, & oftendetur ulterius infrà. Non faltem enim Elifabet vocatur Mariæ συγγενής *Luc.* 1.36. Sed & parentes ac majores Mariæ difertè à Lucâ proponuntur. 2. πρῶτον ψεῦδος, Mariam non fuiffe comprehenfam in peccato Adami, quod nec *Dominicani* concedent *Iefuitis*, vel *Francifcanis*, nec unquam probabunt, ifti, imò contrarium & verba, & facta, & origo Mariæ, & plurimi Scripturæ S. loci, & teftimonia Veterum, & rationes folidiffi-

mæ oſtendunt. 3. per *βίαιον*, eo ipſo quo conſideratur Maria ut mater Chriſti conſiderari debet ut filia Adami, nec dignitatis illius compos fieri potuiſſet, niſi talis, debuit enim Chriſtus non ſaltem eſſe particeps carnis & ſanguinis, ſed & ſemen Abrahæ aſſumere, ex lumbis Davidis prodire, adeóque & ex Adami poſteris eſſe. 4. Melchiſedeci & aliorum multorum Genealogiæ non referũtur in Scripturâ, nec tamen inde inferri poteſt illos à peccato omni fuiſſe immunes. 5. Maria ſe ex redimendis eſſe ipſa ſatis ſupérque teſtatur *Luc.* I. 47. *exultat*, inquit, *Spiritus meus* ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου. Et ſanè væ illi, niſi in redemptarum cenſu foret. 6. Blaſphemum prorſus & impium, eam in redemptione Mundi comitem Chriſto & adminiſtram adjungere. At Chriſtus ſolus torcular illud & calcavit, & calcare potuit. Nec excuſari poteſt Verſio vulgata quæ *Gen.* III. fœmininum *ipſa* היא loco maſculini הוא ſubſtituit contra analogiam verbi adjecti, & veritatem Grammaticam æquè ac Theologicam, & authoritatem tum Paraphraſtæ Chaldæi, tum LXX. Interpretum. Agno maſculo ad id opus erat, æquè ac in Paſchate. Sed non excurremus hîc in locum communem. Et hæc ad *Dubium* iſtud diſputata ſufficiant. Unum hoc adhuc obſervari poteſt, cum Matthæus in Iudæorũ potiſſimùm gratiam Evangelium ſuum conſcripſerit, niſi illis certò conſtitiſſet, Mariam eſſe contribulem Ioſephi, & ex eadem domo, & ex ſponſi genere de ſponſæ Genealogiâ iudicari poſſe, eum ſanè perquam ſtupidum futurum fuiſſe, ſiquidem ſtatim in limine ſine ullâ neceſſitate ita craſsè impingere, & ſe Iudæorum cavillis obnoxium reddere voluiſſet, quod vel cogitatu nefas.

DUBIUM XV.

Cur Matthæus *cap* I.17. partiatur Genealogiam Chriſti in certas teſſaradecades, & quidem in tres: & cur eas per *ἀνακεφαλαίωσιν* peculiarem collectas Lectori proponat?

EXAMEN

EXAMEN.

Origenis, Hieronymi & Auguſtini expoſitiones allegoricæ. Nugæ Perpiniani & Salmeronis. Reſponſiones aliæ inſufficientes. Solutio probabilis propoſita & illuſtrata. Ἔνστασις *quædam diſcuſſa. Chryſoſtomus & Ianſenius laudati. Salmero & Maldonatus notati. Caſaubonus laudatus. Conjectura Authoris. Abulenſis notatus. Maldonati conjecturæ probatæ. Rationes aliæ adjectæ.*

I. RATIONES huius diſtributionis variæ adferuntur à variis, quædam leviores, ſolidiores aliæ. 1. *Origenes Homil.* XXVII. in *Num. & Hieron.* poſt ipſum *Epiſtolâ ad Fabiolam de* XLII. *manſionibus*, quæ exſtat *Tomo* III. volunt generationes quadraginta duas à Matthæo recenſeri, ut reſpondeant quadraginta duabus ſtationibus vel manſionibus, quæ reperiuntur in itinere Iſraelitarum ex Ægypto uſq; ad terrâ Canaan: Sic enim totidem quaſi gradibus filios Abrahæ à patre ſuo ad Chriſtum portum ſalutis promiſſum perveniſſe: per hos etiam currere verum Hebræum qui de terrâ tranſire feſtinat ad cœlum. Sed hoc allegoricum eſt & coactum.

II. *Auguſtinus* etiam myſteria varia quæſivit in numero quadragenario, quo tempus illud deſignari voluit, quo in hoc ſeculo nos oportet regi à Chriſto, eò quod tempora annorum quadripertitis vicibus currant, & mundus ipſe quatuor partibus terminetur &c. quæ ibidem prolixè videri poſſunt. Sed 1. non XL. ſed XLII. generationes recenſentur, tametſi *Auguſtinus* Evangeliſtæ contradicere videatur *lib.* II. *de Conſ. Evang. cap.* IV. *Tom.* IV. 2. Expoſitio hæc allegorica eſt, & pythagorica, aliena à mente Spiritus Sancti & à conſuetudine Scripturarum. Aliò etiam trahit hunc numerum *Auguſtinus* lib. XXII. *de Civit. Dei, cap.* XXX.

III. *Guido Perpinianus Carmelita in Quatuor unum* ſubtiliorem

ejus rei rationem reddere voluit inquiens, sic ostendi quod in Christo consummetur observantia Decalogi, & veritas Evangelii in fide Trinitatis. Sed & hoc futile & coactum, & sententia *Chrysostomi* quam citat ibidem longè probabilior.

IV. *Salmero* pari ratione argutatur æquè ac nugatur in mysteriis nobis ex numero illo procudendis: inquit enim *Tract.* XXVIII. *Numero quatuor elementorum vitam nostram significari quæ in decem mandatorum* DEI *per quatuor Evangelia perfectorum observatione consistit, duo verò significare quod in duobus præceptis charitatis in* DEUM *scilicet & in proximum tota Lex & Prophetæ cum Evangelio consummentur, quodq; à solis Christo & Mariâ perfectè implenda sint propter nos.* Quæ omnia elumbia & febrilia, postremum verò etiam impium & blasphemum, & Mariam virginem ad officii Christi ἀκοινωνήτου communionem vocat. Piget referre quæ ibidem attexit de numero generationum septuagenario, qui apud Lucam reperitur. *Salmero* quidem *phantasticorum* nomen iis impingit *Tract.* XXVIII. qui hæc phantasmata rejiciunt, qui titulus potiori jure illis competit, qui hæc vel confingunt temerè, vel amplexantur stultè & sine judicio. Et sanè fatendum Patres sæpè plus nimio sibi indulsisse in ejusmodi allegoriis, sed fatendum etiam licentiam Scholasticorum longè majorem esse, & minus tolerabilem.

V. Alii volunt perspicuitatis, distinctionis & memoriæ causâ id factum à Matthæo, distributis quadraginta duabus generationibus illis in tres classes æquales. Quod verum quidem, sed non planè exhaurit *Dubium*, nam sic & aliis distinctionibus uti potuisset Spiritus Sanctus, nec causa patet, cur tres ejusmodi tessaradecades constituerit, quod tamen non sine ratione singulari factum.

VI. Alii ideò id factum contendunt, ne Genealogiæ huic quicquam addi vel detrahi posset, cum fraudi obnoxia sit narratio confusa & non distincta certis intervallis. Quod verum quidem est, sed non sufficiens, nec rationem reddit distinctionis in tessaradecades potius, quam in aliam seriem.

VII. Etsi verò potissima distinctionis hujus ratio sit Spiritus Sancti voluntas, in quâ conquiescendum, tamen probabiliter dici

dici potest cum *Chrysostomo*, id factum propter tres insignes mutationes, & totidem status diversos, quos populus DEI ante Christum exhibitũ expertus fuit. Vide *Chrys.Homil.* IV. in *Matth.* qui docet Israelitas fuisse & ἀριστοκρατουμένους & βασιλευομένους & ὀλιγαρχουμένους, & fuisse sub imperio & δημαγωγῶν & ἱερέων & βασιλέων. Sic *Theophylactus* triplicem hunc statum notat, εἰς τρεῖς καταστάσεις διεῖλε τὰς γενεάς, ἵνα δείξῃ τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι καὶ ὑπὸ κριτῶν ἀρχόμενοι, ὡς οἱ ἄχρι τοῦ Δαβίδ, καὶ ὑπὸ βασιλέων, ὡς οἱ ἄχρι τῆς μετοικεσίας, καὶ ὑπὸ ἱερέων ὡς οἱ ἄχρι τοῦ χριστοῦ, &c. Et sanè primò populus Iudaicus vixit quasi in *statu privato* sub Patriarchis, Prophetis & Iudicibus usque ad Davidem. Etsi enim Saul regio titulo populo præfuerit, tamen reverâ & occasio electionis ejus, & infelicitas regni, & tragicus exitus satis ostenderunt, illum saltem in pœnam regnasse, necdum tempus sceptri in populo constituendi accessisse. Hic *status Aristocratico* comparari potest. Secundo verò loco populus Iudaicus sub Regum imperio vixit, quorum primus meritò censetur David, utpote qui ex tribu Iudâ, cui peculiariter destinatum erat sceptrum: unde & versu 6. non sine emphasi vocatur bis βασιλεύς, quod non videmus dici de aliis qui tamen & ipsi Reges fuerunt. Regia hæc potestas duravit usque ad captivitatem Babylonicam. Et hic *status Monarchicus* vocari potest. Tertiò tandem successit imperium Ducum, Synedrii Hierosolymitani, & summorum sacerdotum ad Christum usq;, quod *Oligarchico statui* comparari potest, ubi sæpè pauci ad se trahebant potius imperium, quam legitimè illud vel accipiebant, vel exercebant.

Vt igitur æræ & computi temporum, & regnorum ac rerum gestarum descriptiones, certis intervallis & periodis distingui solent, quibus insigniores mutationes contigerunt, sic Spiritus Sanctus per συγκατάβασιν quandam se accommodans consuetudini hominum idem in contexturâ hâc genealogicâ Servatoris nostri observare voluit, ut insigniores illas mutationes uno quasi obtutu Lectori ante oculos poneret. Sic v.g. in descriptione status populi Romani distincta observantur intervalla, quibus diversa dominantium imperia expertus est, Regum, Cõsulum, Dictatorum, Decemvirorum, & Principum, seu Imperatorum. Inde *Tacitus* orditur *Annales* suos, inquiens, *Vrbem Romam à principio Reges habuisse, post Consulatum fuisse institutum, Dictaturas &*

Decemviralem poteſtatem, donec omnia Auguſtus nomine Principis ſub imperium accepit. Sic pari ratione habemus hic diſtinctas formas imperii Iudaici, & tria intervalla eximia, & quaſi *αὔξησιν, ἀκμὴν*, & *μείωσιν* ſive *ἐλάττωσιν*, *incrementum, ſtatum* & *decrementum* ejus. Et hoc optimè convenire videtur cum vaticinio quod exſtat *Gen.* XLIX. ubi Iuda proponitur primò ſine ſceptro, ſecundò cum ſceptro, tertiò ſub מחוקק legiſlatore (quem LXX. *ἡγούμενον* vocant) uſque ad *Schiloh*.

VIII. Poteſt tamen objici, non omnes qui ab Abrahamo ad Davidem recenſentur in primâ ſerie fuiſſe vel Patriarchas, vel Iudices, nec omnes illos qui in tertiâ, vel Duces vel Principes fuiſſe ad Chriſtum uſq;. Sic Iechonias in tertiâ teſſaradecade reperitur, qui tamen regio titulo præfuit, adeoq; ad ſecundam ſeriem pertinere videtur. Sed reſponſio facilis eſt, *à potiori fieri denominationem*, ſatis eſſe pleróſque vel aliquos ſaltem tales fuiſſe. Adde quod Iechonias Babylonem abductus reverâ regio titulo quaſi exciderat, & mancipium potius erat Regis Babyloniæ quam verus Rex. Quod verò non omnes in tertiâ teſſaradecade Principes populi fuerint, verum eſt, ſed & illud jamdudum prædictum ab Ezechiele *cap.* XXI. 32. auferendam non ſaltem *coronam*, quæ inſigne regium, ſed & *cidarim* quæ inſigne interdum Ducum, interdum præfectorum prætorii, interdum ſacerdotum in Scripturâ. *Zach.* III. 5. Sic prænuntiat Propheta, *ſubverſionem futuram donec veniat is cujus eſt judiciū*, videlicet Meſſias. Vnde & Meſſias dicitur proditurus ab Eſaia *cap.* XI. I. ut *virga è trunco Iſai*, & *ſurculus de radicibus ejus*, nō è trunco Davidis, qui in regiâ poteſtate vixit, ſed *è trunco Iſai*, qui privatus vixit & obſcurus. Nec ſaltem ex Iſai, ſed *è trunco ejus & radicibus*, quaſi ramis omnibus omni flore & vigore externo deſtitutis. Quod etiá jam olim innuit *Amoſus* IX. 11. & poſt repetitur *Act.* XV. 16. *σκηνὴν* Davidis inſtaurandam tempore Meſſiæ *τὴν πεπτωκυῖαν*, & erigenda denuò *τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς*. Quod non ſine ſingulari DEI providentiâ factum, ne expectaretur à Meſſiâ regnum terrenum & ſplendor externus, ſed indicaretur regnum ejus non futurum ex hoc mundo, & ſimul innueretur Iudæis, collabente externo illo populi ſtatu præ foribus eſſe adventum Meſſiæ. Et ſanè ſi hæc & alia id genus Oracula à Iudæis benè fuiſſent perpenſa, minus illos offendiſſet humilis ille Chriſti adventus.

IX. Videtur ergo Matthæus hâc ipsâ teffaradecadum diftinctione, ut bene inter alios obfervavit *Ianfenius*, voluiffe quafi manuducere Iudæos ad Chriftum, quatuordecim videlicet generationibus inde à captivitate Babylonicâ elapfis novam mutationẽ imminuiffe populo DEI, quemadmodum & mutationem infignem populus expertus erat quatuordecim generationibus elapfis ab Abrahamo, tẽpore videlicet Davidis, & prout fequẽtibus quatuordecim generationibus ĩdem contigit in captivitate Babylonicâ. Adeóque fub aduentum Chrifti periodus illa aderat quâ ex fingulari divinæ providentiæ difpenfatione regimen prius tollendum & aliud introducendum erat, *internum* Meffiæ refpectu gubernationis fpiritualis fuorum, & *externum* Principum exterorũ refpectu regiminis civilis. Et huc redit obfervatio *Chryfoftomi qui Homil.* IV. *in Matth.* innuit Evangeliftam fignificare voluiffe, DEUM antequam mitteret filium fuũ prius omnes tẽtaffe vias, ut populum fuum per Iudices, Reges, Duces & Sacerdotes in officio cõtineret, vel ad id reduceret, cúmque fruftra in eo laboraffet, tandẽ pro ultimo remedio mififfe filium fuum. Ἀναμιμνήσκει δὲ, inquit ibidem *Chryfoft.* τῆς αἰχμαλωσίας ἐκείνης καλῶς δηλῶν ὅτι οὐδὲ ἐκεῖ κατελθόντες ἐγένοντο σωφρονέστεροι, ὥστε πάντοθεν ἀναγκαίαν φανῆναι τὴν αὐτοῦ παρουσίαν. Sic *Theophylactus* εἰς τρεῖς καταστάσεις διεῖλε τὰς γενεάς, ἵνα δείξῃ τοῖς Ἰουδαίοις ὅτι καὶ ὑπὸ κριτῶν ἀρχόμενοι &c. καὶ ὑπὸ βασιλέων &c. καὶ ὑπὸ ἱερέων &c. ὅμως οὐδὲν πρὸς ἀρετὴν ὠφελήθησαν, καὶ ὅτι ἐδέοντο τοῦ ἀληθινοῦ καὶ κριτοῦ καὶ βασιλέως καὶ ἱερέως, ὅς ἐστὶν ὁ χριστός. Huc referri poteft & parabola illa, quæ *Luc.* XX. vbi Dominus vineæ ter mittit fervos ad exigendos fructus à colonis, quibus fruftrà miffis tandem mifit Filium.

X. Et hæc quidem refponfio cum fuâ ἐξηγήσει facit ad folutionem quæftionis, cur teffaradecades illæ difertè à Matthæo indicatæ fuerint, & cur DEUS per illas Genealogiam Servatoris noftri diftinctam voluerit? Si verò quæratur ulterius, cur DEUS fingulis quatuordecim generationibus elapfis voluerit infignes ejufmodi mutationes contingere potius, quam poft alias periodos & alia intervalla? Hic verò jubet nos Spiritus S. & officium noftrum παύεσθαι, quia hac de re nihil revelatum in Scripturâ: fed hac in parte unicè acquiefcendum voluntati & ordinationi divinæ, cujus eft difponere pro arbitrio & eventus omnes, &

tempora ac momenta eventuum. *Maldonati* obſervatio hic jejuna eſt, qui inquit, videri DEUM congruenter naturæ decimo quarto quoque ſeculo populi ſui ſtatum mutare voluiſſe, ut una Republica quodammodo mortuâ alia naſceretur melior: ſic Medicos quartum decimum diem criticum vocare, & omnium periculoſiſſimum in morbis cenſere. Cur enim ſic ſeptimam quamque generationem noluit DEUS inſignem eſſe ſingulari aliquâ mutatione? Adde quod non decimo quarto ſeculo ſed decimâ quartâ generatione elapsâ mutationes illæ contigêre. Falſum etiam in melius mutatum ſtatum populi, imò eum in pejus ſtatim poſt ſecundæ & tertiæ teſſaradecados initium prolapſum fuiſſe conſtat ex Hiſtoriâ ſacrâ. Sic *Salmeronis* obſervatio pariter futilis eſt & inepta, Chriſtum promiſſum Abrahæ diſtuliſſe venire ob ſcelus venditionis Ioſephi, qui annis quatuordecim ſervivit in Ægypto, poſt etſi promiſſum Davidi cum juramento, diſtuliſſe denuò ob crimen adulterii eius cum Bethſabe. Deinde promiſſum per Prophetas ſub Ezechiâ & Ioſiâ diſtuliſſe venire per XIV. generationes alias, propter peccatum Manaſſæ fundentis ſanguinem innoxium. *Tract.* XXVII. p. 198. Quanto ſatius dicere ingenuè cum eruditiſſimo *Caſaubono Exerc.* I. *ad App. Ann. Num.* XXX. eſſe quædam ἄπορα τῆς θείας γραφῆς (& providentiæ divinæ) æquè ac omnium diſciplinarum, & expectandum Eliam qui duros & inextricabiles Scripturæ nodos ſolvat. Si tamen liceat aliquid conjicere, non videtur myſterium ponendum in numero illo quarto decimo, ſed dicendum ideò ejus meminiſſe Matthæum, quod totidem generationes interceſſerint ab Abrahamo ad Davidem, ut nomina eorum inculcentur ob mentionem, quę de iis facta verſu I. & ſic innueretur ſeriem genealogicam reſpondere *Theſi* ibidem propoſitæ. Et quia tum inſignis mutatio contigit ſub Davide, voluit DEUS totidem generationibus intercedentibus aliam ſimilem ei reſpondere, tempore captivitatis Babylonicæ, & itidem adhuc aliam tempore Meſſiæ. Sed hæc à conjecturâ ſunt, & ſpongiam vel obelum pati facile poſſunt melioribus & ſolidioribus allatis.

XI. Quæſtionem verò quod attinet, cur Spiritus Sanctus voluerit has teſſaradecades diſtinctè Lectori quaſi per ἀνακεφαλαίωσιν conſiderandas exhibere v. 17. *Abulenſis Quæſt.* XVII. *in*

cap. I.

*cap.*1. mysteria allegat numerorum ternarii, quaternarii & denarii, designationem videlicet Legis veteris per decem præcepta, Novæ per quatuor Evangelia, mysterii Trinitatis per numerum ternarium. Sed hæc parum satisfaciunt Lectori veritatis potius quam argutiarum studioso. *Maldonatus* melius respondet id ideò factum 1. ut intelligeretur in eo aliquid subesse mysterii. 2. ne existimaretur Evangelistá oblivione vel errore tres Reges prætermisisse. 3. ne posset generationis Christi series augendo vel minuendo corrumpi.

Reverâ verò causa hujus *indicationis* eadem esse videtur, quæ ipsius *distinctionis* in certas tessaradecades, designatio nimirum trium illarum insignium mutationum, & statuum totidem, quos subiit populus Iudaicus, ut & manuductio ad novam mutationem ingruentem sub Messiâ, quatuordecim generationibus denuò elapsis. Mysteria enim alia, quæ hic quærunt & investigant curiosè Scriptores Pontificii, frigida sunt & elumbia, ut suprà ostensum. Adde & solenne esse in personarum & temporum enumerationibus & supputationibus certis intervallis & periodis distinctionis causâ uti. Hinc etiam patet quam sibi semper constet divinæ providentiæ ratio, quæ omnia in tempore, pondere & mensurâ producit, & quod confusum in se videri posset, ita ordinat, ut certis intervallis elapsis sæpè magnæ consequantur mutationes in iis quæ mutationi subjecta sunt, immutabili manente decreto, & volũtate ejus, apud quem nulla παραλλαγὴ, nullum τροπῆς ἀποσκίασμα. Verisimile etiam hac singulari designatione voluisse Evangelistam disertè meminisse temporum *Abrahami* & *Davidis*, ut magis inculcaret Christum esse *filium Abrahami & Davidis*, quorum nomina ob id denuò repetita, ut suprà notatum, utpote quibus insigniores promissiones tum factæ, tum continuatæ. Quia verò illæ videbantur quasi intercidisse tempore captivitatis Babylonicæ, & actum esse prorsus de posteritate Davidis, Evangelista voluit expressè notare Deum non obstante illo populi excidio promissionum suarum memorem semper & observantem mansisse, & non saltem posteritatem Davidicam conservasse, sed & integram ejus memoriam ac seriem non interruptam usq; ad Christum Dominum, ut constare posset etiam ex hoc charactere eũ esse verũ Messiá, utpote è domo Davidis per majores suos oriundũ secundum vaticinia & promissiones veteres.

DVBIVM XVI.

Quomodo reperiatur numerus trium illarum Tessaradecadum, seu quadraginta duarũ generationum? cum tamen vel secundæ vel tertiæ tessaradecadi una generatio deesse videatur.

EXAMEN.

Causæ difficultatis propositæ. Augustini & Theophylacti conjecturæ rejectæ, ut & Epiphanii ac Maldonati opinio. Thysii conjectura cum suis scrupulis. Evangelii Hebræi ἐπιχείρημα explosum. Hieronymus oppositus Epiphanio. Solutio solida Dubii allati. Maldonati quæstiones superfluæ. Ejusdem ἔνστασις confutata.

I MATTHÆUS tres illas tessaradecades sigillatim enumerando novam hîc dubitandi materiam præbet percurrentibus singulas generationes, vel personas ab eo notatas. In primâ quidem tessaradecade difficultas nulla: nam ab Abrahamo ad Davidem inclusivè reperiuntur totidem generationes quot numerat Matthæus, quatuordecim nimirum. De secundâ verò vel tertiâ laboratur. Nam si calculus ineatur à Salomone ad Iechoniam inclusivè, reperientur quidem quatuordecim Iechoniâ inserto secundæ tessaradecadi: sed sic in tertiâ deerit generatio una, & à Salathiele ad Christum usq; inclusivè reperientur saltem tredecim. Si verò Iechonias inseratur tertiæ tessaradecadi, habebit quidem ista numerum denarium completum cum quaternario, sed deerit generatio aliqua secundæ tessaradecadi, & idem hiatus in illâ deprehendetur.

II. *Du-*

II. *Dubium* hoc perplexum satis & intricatum multos ex Interpretibus exercuit. 1. *Theophylactus* recenset sententiam quorundam, arbitrantium transmigrationem Babylonicam pro personâ esse computandam, φασὶ τινὲς, inquit, ὅτι καὶ τὴν μετοικεσίαν ὡς προσώπου τάξιν ἔχουσαν ἔθηκεν. Sed hoc ἀκυρόλογον. 2. *Augustinus lib.* II. *de Cons. Evang. cap.* IV. *& Author operis imperfecti in Matthæum* existimant *Iechoniam* bis esse numerandum semel in secundâ & semel adhuc in tertiâ tessaradecade, ut qui reperiatur & in fine secundæ & in principio tertiæ, ob conditionem duplicem, regiam, & privatam, quarum illam obtinuerit ante transportationem, hanc post eam. Sed si Iechonias ob rationes illas bis numerandus, causæ nihil est, cur non & David, qui primam tessaradecadem claudit, inchoet etiam secundam. 3. Alii contendunt *Davidem* bis numerandum in fine primæ tessaradecados ut hominem privatum, in principio secundæ ut Regem, & Iechoniam sic referri posse ad tertiam tessaradecadem. 4. Addunt etiam quidam *Iosiam* bis numerandum in fine secundæ, & initio tertiæ tessaradecados, & sic quatuordecim ubiq; reperiri, Christo non numerato in tertiâ. Et hoc inde probant, quod scopus Evangelistæ non tam fuerit referre quadraginta duas personas, quam quadraginta duas generationes. Sed causæ nihil est cur repetantur bis vel David, vel Iosias, vel Iechonias. Davidem etiam primò ut privatum saltem nominari non leve solùm est, sed & contrarium textui Matthæi, qui expressè habet Iesse genuisse Davidem τὸν βασιλέα. Accedit & illud, absurdum prorsus esse in serie hac prætermittere illum cujus gratiâ tota illa Genealogia contexitur. Adde quod quemadmodum τὸ ἕως Δαβὶδ versu 17. *inclusivè* sumitur, sic & τὸ ἕως τοῦ Χριστοῦ *inclusivè* accipiendum. *Augustini* etiam ratio levis est & allegorica, Iechoniá bis numerari, *quia ab eo facta sit quædam in extraneas gentes deflexio, ubi autem ordo à rectitudine flectitur in diversum ire, & tanquam angulum facere, unde illud quod in angulo est bis numerari, in fine scilicet prioris ordinis, & in capite ipsius deflexionis.* Sed αἰδοῖα hæc Patrum argutiis interdum indulgentium tegenda sunt, non detegenda, vel traducenda, minus probanda.

III. *Epiphanius lib.* 1. *adv. Hær. Hær.* VIII. in hanc sententiam descendit librariorum & temporum vitio integram generationem

in ſecundâ teſſaradecade prætermiſſam fuiſſe. Huic ſententiæ ſubſcribit *Maldonatus*, & *Epiphanii*, *Ambroſii*, *Euthymii*, & aliorum ingenuitatē ſibi probari dicit qui unam deeſſe generationem liberè confitentur: ſed liberaliter admodum,& cum injuriâ Spiritus Sancti, quaſi vel non benè meminerit ſui ſcopi, vel paſſus fuerit tam inſigne mendum irrepere in contextum ſacrum.

IV. *Ludovicus de Dieu* in utiliſſimo Opere *Appendicis ad Evang. Matthæi*, *cap.*1. proponit opinionem aliam, & illam CL. *Thyſio* acceptam refert,ſecundam teſſaradecadem terminari Iechoniâ Nepote Ioſiæ Regis,nec Iojakimum inſerendum,quippe qui teſſaradecadem in pentadecadem mutaret: poſtremam verò teſſaradecadem inchoari à Salathiele, & ad ejus complementum accenſendam B.Virginem, ut peculiarem generationem,eò quod Virgo pepererit,hanc ob cauſam ſubjici *ex quâ natus eſt Chriſtus*,ut ei hic generationem penultimam, & ex eâ Chriſto ultimam tribuendam eſſe ſciamus: Alibi mulieres pro ſtirpe non cenſeri,quia viri,ex quibus conceperunt,progeniem faciant. Ingenioſa ſanè hæc Viri Doctiſſimi ſolutio, ſed tamen obnoxia variis Dubiis. 1. Sic quæſtio redit,cur Iojakimus pater filius Ioſiæ prætermiſſus fuerit à Matthæo? 2. obſtat verſus 12. ubi Iechonias diſertè caput & initium tertiæ teſſaradecadis conſtituitur,non ergò ex eâ excludendus. 3. Maria non peculiarem ſed unum eundémque ſaltem gradum cum Ioſepho conſtituere videtur, ſi accuratè verba Evangeliſtæ expendantur Ἰακὼβ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἄνδρα Μαρίας ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, &c. 4. Imò nec fœminarum eſt,ut ſuprà oſtenſum,in hac ſerie computari, εἰ μὲν γὰρ ἐγενεαλογεῖτο γυνὴ, inquit *Theophylactus*, εἴχομεν ἂν συντάττειν καὶ τὴν Μαρίαν, καὶ συμποσοῦν (ubi fortè legendum συμπληροῦν) τὸν ἀριθμὸν, νῦν δὲ οὐ γενεαλογεῖται γυνή. 5. Fatendum ſanè aliam eſſe rationem Mariæ in hoc partu, aliam aliarum fœminarum, ſed eam ob id pro ſtirpe vel gradu peculiari cenſendam ſeorſim à Ioſepho vix putamus, quandoquidem ſtemma genealogicum à Matthæo contextum à majoribus Ioſephi non Mariæ ducitur, nec Mariam directè tangit,niſi quatenus illa per nuptias velut in familiam Ioſephi tranſiiſſe cenſetur.Non ergo gradum diverſum intermedium hic Maria conſtituere poteſt, quod probabiliter cæteroquin ob rationem à viro

ViroDoctiſſimo allatam affirmari poſſet,ſiquidem ſtemma Genealogicum majorum Mariæ inde à Davide contexeret Matthæus, non Ioſephi.

V. Evangelium Hebræum expedit nodum hunc inſerto *Abnero* quodam inter Abiud & Eliakim *verſu* 13. Sed meritò rejicitur hæc ſolutio à *Ludov.de Dieu:* Nam.1. quæſtio redit & de prætermiſſione Iojakimi, & de iteratâ repetitione Iechoniæ. 2. *Abner* ille ſtramentitius eſt & ὑποβολιμαῖος prorſus, non γνήσιος.

VI. Tutius longè acquieſcere reſponſioni in ſuperioribus allatæ ad verſum 11.duos videlicet diſtinctos Iechonias à Matthæo commemorari,unum filium Ioſiæ, alterum patrem Salathielis,prioris Iechoniæ filium:Reddidiſſe videlicet Matthæũ, ut ſuprà oſtenſum, duo nomina Hebræa affinia יהויכין & יהויקים per unum idémque nomẽ græcum Iechoniæ. Qua in re Epiphanio opponimus Hieronymũ qui in *Matth.cap.*1.inquit. *Sciamus igitur Iechoniam priorem ipſum eſſe quem & Ioacim,ſecundum autem filium non patrem, quorum prior per k.& m.ſequens per ch.& n. ſcribitur,quod ſcriptorum vitio & longitudine temporum apud Græcos Latinóſque confuſum eſt.* Priore ergò Iechoniâ, patre videlicet, ſecundæ teſſaradecadi adnumerato,poſteriore tertiæ, nodus ſolvitur,nec ulla deeſt perſona.Hinc ſuperflua *Maldonati* quæſtio, cuinam deſit, an ſecundæ,an tertiæ,& inepta deciſio, nec in ſecundâ nec in tertiâ, ſed in utriúſque confinio & angulo deeſſe, quaſi verò non limitentur teſſaradecadum principia & fines verſu 17.adeóque ſi quid deſit,non neceſſariò deeſſe debeat uni ex illis. Hinc etiam & illa Quæſtio ſupervacanea, quam addit *Maldonatus*,quâ de causâ deſit, an de induſtriâ ab Evangeliſtâ prætermiſſa fuerit, an ſimilitudine nominis inſinuata, an myſterio, an vitio ſcribentium præterita? Supponitur enim falſa hypotheſis omiſſionem illam reperiri, quod negandum & pernegandum.

Nec ſcrupulus *Maldonati* tanti eſt,ut ſententiam allatã everſum eat. Objicit ille *in Canonicis Scripturis non legi Ioacim Ioſiæ filium vocatum fuiſſe unquam Iechoniam.* Sed 1. Ιεχονίας nomen Græcum eſt non Hebræum,non ergo mirum illud non attribui Iojakimo in Canonicis Scripturis V.Teſtamenti. 2. Nec Iojachino adſcribitur niſi à LXX. Quid miri verò ſiquidem cogna-

tum nomen Iojakimi à Matthæo eâdem voce expressum fuerit? adjectis κριτηρίοις sufficientibus distinctionis Patris & Filii, quæ suprà ostensa *Dubio* VI. 3. Si instet Iesuita, nomen יכניה respondens voci Græcæ filio saltem adscribi, non patri: id quidem verum est, sed parum urget, præterquam enim quod non omnia veterum nomina expressa legantur in Scripturâ, quæ illi obtinuerunt, integrum fuit Matthæo pro arbitrio nomen cognatum efferre sine anxiâ adstrictione ad totidem literas. Nec voces שאלתיאל רחבעם & aliæ id genus per nomina multò affiniora redduntur.

DVBIVM XVII.

Cur Matthæus versu 1. 17. deducat primam generationem ad Davidem, tertiam ad Christum, & utrobique personam designet, secundæ verò tessaradecados finem & tertiæ initium non ad personam referat, sed ad statum populi, μετοικεσίαν videlicet Βαβυλῶνος?

EXAMEN.

Rationes & conjecturæ variæ ad Dubium propositum.

QVAMVIS in eo parum situm, & liberum fuerit Spiritui Sancto principia æquè ac fines vel terminos tessaradecadum pro arbitrio efferre, rationes tamen probabiles aliquot adferri possunt, cur sic loqui voluerit. 1. Id factum vt hæc ἀνακεφαλαίωσις responderet Thesi propositæ v.1. ubi, cum meminerit Matthæus trium saltem, Christi, Davidis & Abrahami, probabile est eum voluisse in conclusione etiam illorum solummodò meminisse. 2. Noluisse etiam dubio procul Matthæum impium Regem Iechoniam in eandem quasi classem

ſem referre cum Abrahamo, Davide & Chriſto. 3. Voluiſſe etiam Iudæis ſic inculcare inſigne illud DEI judicium illis immiſſum in tranſportatione Babylonicâ. 4. Sic magis diſertè innuiſſe mutationem illam inſignem ſtatus populi Iudaici, quæ tempore Iechoniæ contigit, quæ ſub nomine ejus nonniſi obſcurè & implicitè fuiſſet indicata, ut ſic clarius conſtaret, ſecundam, æquè ac primam & tertiam teſſaradecadem, inſigni mutatione fuiſſe terminatam. 5. Addi poteſt & hoc, ſuavem admodum eſſe ἀντίθεσιν tacitam Iechoniæ captivi & liberatoris Chriſti, & meditationem captivitatis Babylonicæ vt figuram & indicem captivitatis ſpiritualis terminatæ per Chriſtum: habet enim illa ſe ut *terminus à quo* in ſerie propoſitâ, iſte ut *terminus ad quem*.

DVBIVM XVIII.

Quomodo ſit accipienda vox γενεὰς vel γενεῶν *Matthæi* I.17. & quo ſignificatu?

EXAMEN.

Diſtinctiones variæ vocis homonymæ. Earum applicatio.

RESPONDERI poteſt, hanc vocem interdum à ſacris Scriptoribus *impropriè* ſumi, interdum *propriè*. *Impropriè* ſignificat ætatem, ſeculum. Sic reperitur *Act.* XIV.16. & XV.21. & reſpondet vocibus Hebræis דור & יום quas LXX interdum reddunt per γενεάν: unde & Syrus Interpres locis illis ſubſtituit τὸ דרא plurale. *Propriè* ſumitur vel *formaliter*, ſed rarius, pro geniturâ & ortu, vel *objectivè* ſive *antecedenter* deſignãdo progenitores, ſive *conſequenter* deſignando progenitos vel progeniem, idque *collectivè* maximam partem. Vnde LXX. per γενεὰν exprimunt voces Hebræas זרע תולדות מולדת משפחה עם & alias id genus quæ latiſſimæ ſignificationis. Hoc ſenſu plerunque occurrit γενεὰ in N. Teſtamento, & à Syro Interprete redditur modò per שרבא ſimplex, modo per שרבתא emphaticum. Hic

non *collectivè*, sed *distributivè* vel *personaliter* ſumitur vox γενεὰς, & deſignat perſonas ſingulares & individua vel generantia, vel genita. Quidam enim in ſtemmate hoc genealogico numerantur reſpectu *generationis activæ* tantum, ut Abraham, quidam reſpectu *generationis paßivæ* tãtum, ut Ioſephus & Chriſtus, reliqui intermedii reſpectu utriuſque. Et ſanè per γενεὰν hic perſonas ſingulares potiſſimùm deſignari ex eo evidens eſt, quod in ſingulis teſſaradecadibus reperiamus quidem quatuordecim perſonas generantes vel genitas, totidem vero generationes non item.

DVBIVM XIX.

De συμφωνίᾳ & ἀσυμφωνίᾳ Matthæi & Lucæ, an & quomodo conveniant vel diſſentiant inter ſe hi duo Evangeliſtæ in deſcriptionibus ſuis genealogicis?

EXAMEN.

Cautela ad ſobrietatem. Modeſtia Centuriatorum & Auguſtini. Conſenſus Evangeliſtarum in quibus. In quibus diſſenſus. Conciliationis rationes. Auguſtini, Abulenſis & Maldonati argutationes.

I. QVÆSTIO hæc, quam moverunt viri pii ad veritatis inquiſitionem, exagitarunt & vexârunt profani ad ſuam & aliorum perniciem, ex illarum numero eſt, in quibus ſobriè ſapiendum, & memoriâ repetendum dictum Paulinum, non eſſe attendendum γενεαλογίαις ἀπεράντοις, quæ contentionis potius quam ædificationis materiam præbent. Et reverâ in his cardo ſalutis noſtræ minimè vertitur, nec periclitatur fides Chriſtiana, ta-

na, tametsi multa occurrere videantur, ubi & interpreti hærendum, & Lectori. Intellectus quippe noster non est mensura rerum, sed suæ saltem cognitionis, & semper oculis nostris multæ hic adhærebunt λεπίδες, donec velo omni remoto in cœleste sacrarium translati illum de facie ad faciem contemplabimur, in cujus conspectu & plenitudo lucis, & plenitudo gaudii. Vnde valde probamus *Centuriatorum Magdeburgensium* modestiam, qui *Cent.* 1. *lib.* 1. c. x. inquiunt *difficile admodum esse nimis scrupulosè Genealogiam rimari & excutere, posteaquam jam Genealogiæ interierunt, & non omninò exploratum est nobis, qualis earum tum fuerit ratio. Nec ignotum esse Apostolum modestiæ nos omnes in hoc negotio commonefacere* Tit. III. *Non tamen dubitandum esse Apostolos suo tempore exploratissima & certissima litteris mandasse, & contentos nos esse debere genealogiarum illarum intentione quæ manifesta est & indubitata, licet in aliquibus partibus, quæ parvi sunt momenti, aliqui adhærescant & maneant scrupulosi scrupuli.* Sic & piè *August. lib.* III. *contra Faustum Man. cap.* V. *Vnitate gaudent* (loquẽs de Evangelistis, eò quod Faustus, relictis Matthæo & Lucâ, adhæreret Marco & Iohanni) *& in Christo unum sunt, etsi alius aliud, & alius aliud, aut alius aliter, & alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius lector accedat, si mitis legat, & si non hæretico animo unde rixetur, sed fideli corde unde ædificetur, inquirat.* Nec malè *Sebast. Barradas Comment. in Conc. Evangelic. Divino afflatos Spiritu Evangelistas, ut cætera ita etiam Christi Genealogiam descripsisse, nec vllâ in re alterum cum altero pugnare, difficultates verò quæ dissensiones proximo aspectu videntur, cum dissensiones non sint, in literis sacris reperiri voluisse Deum, ut ardẽti in illas studio incumbamus, veritatem sedulò scrutemur, iuxta illud* Iohannis quinto, *Scrutamini Scripturas, intellectúmque nostrũ in obsequium fidei redigamus.* Hac in limine admonitione præmissâ sufficiat nobis ostendere nullam ἐναντιόματα vel ἀντίφασιν inter duos hos Evangelistas exstare, & tametsi non liceat minutissima quæq; ubique ἐξονυχίζειν, rationes tamen probabiles admodum non deesse Matthæi cum Lucâ conciliandi. Quod ut commodè fiat, observandus I. *Consensus* utriusque Evangelistarum. II. *Dissensus.* III. *Conciliatio.*

II. *Convenientia & consensus* datur I. *In scopo generali*, qui est, ostendere Christum esse verum Messiam ex Abrahamo & Da-

uide ortum. 2. *In materiâ subjectâ* vel *argumento*, quod est, contexere Genealogiam Christi. 3. *In personis* primæ tessaradecadis ab Abrahamo ad Davidem, eædem enim prorsus personæ ab utroque Evangelistarum recensentur. Tametsi enim ascendat Lucas ad Adamum usque, Matthęus non item, tamen Matthæus seriem illam non impugnat, sed præsupponit, eo ipso quo Christum ab Abrahamo deducit.

Dissensus inter duos hos Evangelistas reperitur. 1. *In formâ seriei.* Matthæus progreditur descendendo, Lucas ascendendo. Matthæus includit generationes suas in certas classes, & tessaradecades, Lucas non item. Matthæus utitur restrictiori verbo ἐγέννησε, Lucas phrasi latiore, τοῦ scilicet υἱοῦ, prout *Syrus* Interpres explet ellipsin adjectâ voce בר, qui fuit hujus vel illius filius. 2. *In capite* aut *origine* quam Matthæus constituit in Abrahamo, Lucas in Adamo vel Deo. 3. *In ordine descriptionis*, Matthæus præponit Genealogiam conceptioni & nativitati Christi, Lucas postponit. 4. In quibusdam quæ ἐναντιοφανῆ, quæ seorsim discutienda.

III. Sed in his parum situm. Primum enim quod attinet, promiscuum Hebræis in serie genealogicâ uti modò καταβάσει, modò ἀναβάσει, & modò ab inferioribus ascendere ad superiores, modò à superioribus descendere ad inferiores. Vtriusque Methodi exempla passim in Scripturâ occurrunt. *Aug. lib.* II. de *Cons. Evang.* in rationem diversi hujus ordinis inquirit, & argutatur *cap.* IV. Matthæum generationes ab Abrahamo ad Christum descendendo commemorasse, ut designaret Christum descendentem ad istam mortalitatem nobiscum participandam, Lucam ascendendo generationes narrasse, ut Christum tanquam sacerdotem ascendentem ad Deum, & nos ad eum reducentem describeret. Eandem etiam ob causam Matthæum à Davide per Salomonem descendere, in cujus matre ille peccavit: Lucam ad ipsum Davidem per Nathanem ascendere, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiavit. *Abulensis* etiam hic philosophatur, inquiens hominem se habere dupliciter ad Deum, vel ut ab eo venit, vel ut ad eum redit: Evangelistas ergo utrumque significare voluisse in generatione Christi, Matthæum illum deducere ad nos, Lucam nos reducere ad Deum. Sed hæc omnia subtiliora quam solidiora. Sufficiat observasse,

Hebræis

Hebræis in more poſitum utroque modo pro arbitrio genealogias contexere, & voluiſſe Deum diverſum modum obſervari ab Evangeliſtis, ne velut ex compacto ſcripſiſſe viderentur.

IV. Sic leve etiam eſt quod de teſſaradecadibus objicitur, quas Matthæus obſervat, Lucas non item. Cauſæ enim ſuprà oſtenſæ, cur illæ à Matthæo propoſitæ, quas cum Lucas non ſpectarit, non mirum nullam apud eum teſſaradecadum mentionem exſtare. Sic diverſitas in phraſi quoad τὸ ἐγέννησε, quod ſolus Matthæus habet, exigui eſt momenti, modò in re ſit conſenſus. Quidam id referunt ad diſtinctionem *lineæ legalis* à *naturali*, & contendunt hanc recenſeri à Matthæo, illam à Lucâ: unde quia ad naturalem requiritur generatio, Matthæum uti τῷ ἐγέννησε, Lucam non uti, quia ad legalem ſufficit quoquo modo aliquem cenſeri filium alterius vel *adoptione*, vel *arrogatione*, vel *affinitate*, vel *ſucceſſione*, vel aliâ aliquâ ratione conſimili, quâ υἱωσις dabatur inter Iudæos. Sed de hac diſtinctione agetur prolixius, & accuratius in ſequentibus.

V. Cauſa diverſitatis, cur *Matthæus* aſcenderit ad Abrahamum ſaltem, *Lucas* ad Adamum uſque, & ipſum Deum, ex diverſo utriúſque ſcopo petenda. *Matthæo* propoſitum ſaltem erat oſtendere Chriſtum eſſe filium Abrahami & Davidis *antonomaſticè*, adeóque verum Meſſiam, cum promiſſio Adamo in genere data poſt ad ſemen Abrahæ & familiam Davidis fuerit reſtricta à Deo. *Lucas* verò voluit aſcendere ad Adamum uſq; 1. ut oſtenderet antiquitatem Evangelii. 2. ut doceret beneficia Meſſiæ non ſaltem pertinere ad Abrahamum, & eos qui Abrahamum ſecuti, ſed & ad patres Abrahamo anteriores, imò ad ipſum etiam Adamum cui prima promiſſio facta. 3. ut indicaret Meſſiæ gratiam non ſaltem ſe extendere ad gentem Iudaicam & filios Abrahæ, ſed & ad multos Adæ filios extra Abrahami poſteritatem, qui benedictionis eius debeant eſſe participes, Iapheto adducto in tabernacula Semi. *Gen.* IX.27. *Epheſ.* III.6. 4. Idem à Lucâ factum, ut suppleret quod prætermiſſum fuerat à Matthæo, & perfectam omnibus modis genealogiam Servatoris texeret, & primi ac ſecundi Adami originem referret ad Deum, à quo ille per creationem temporariam, iſte per generationem æternam, & miſſionem œconomicam in ple-

nitudine temporis. Nulla ergo ſpecies ἀντιφάσεως inter Matthæum & Lucam, ſed Matthæus implicitè includit, quod explicitè exequitur Lucas, ut ſic clarius adhuc conſtet illum Abrahami & Davidis filium eſſe etiam gentium extra familiam Abrahæ ſalvatorem, utpote illius quoque filium cui prima promiſſio facta; inter quem & Chriſtum Apoſtolus egregiam antitheſin conſtituit 1. *Cor.* XV. 4. & ad cuius peccatum delendum Chriſtus natus, æquè ac ad poſterorū peccata, quippe qui primā cauſam adventus & incarnationis ſuæ Chriſto præbuit. Elumbe verò eſt quod inter alia *Maldonatus* hic notat. *Neſcio*, inquit, *an modum etiam generationis utriúſque reſpexerit, Adamum ex virgine terrâ formatum, Chriſtum ex virgine Mariâ, & ſolum Deum patrem habuiſſe utrumque.*

VI. Ordo deſcriptionis diverſus, qui apud *Matthæum & Lucam* occurrit, arbitrarius prorſus eſt, & à Scriptorum voluntate pendet. Sic Genealogia Adami in Geneſi refertur ad *caput quintum*, *in Paralipomenis* ponitur in principio. Nec quicquam in eo ſitum, ſive nativitas, & facta hominis præponantur, ſive origo vel genealogia ejus. *Abulenſis* ratio frigida & inepta, Chriſtum poni à Lucâ ut ſacerdotem, qui cum ſit miniſter expiandorum criminum, & illa expiatio primò fiat in Baptiſmo, Genealogiam ejus poſt Baptiſmum poni: Matthæum autem generationem naturalem Chriſti deſcripſiſſe, adeóque ab illâ debuiſſe initium facere.

Quod verò adjectum, de quibuſdam quæ ἐναντιοφανῆ videntur, id peculiarem diſquiſitionem meretur. Singula enim totidem *Dubiis* notatu dignis locum faciunt, quandoquidem multa ex illis urgentur hodiéque à Iudæis, & multa jam olim *à Celſo, Porphyrio, Iuliano*, aliíſque Religionis Chriſtianæ oſoribus vexata & flagellata fuerunt.

DVBIVM

DVBIVM XX.

De deſcriptione diverſarum linearum: Quomodo conciliandi ſint Matthæus & Lucas, qui Ioſephi genus per diverſiſſimas lineas Salomonis & Nathanis ducunt? Et quî ab utroque & à poſteris utriuſque diverſis deſcendere potuerit Ioſephus?

DVBIVM XXI.

De numero perſonarũ vel generationum: Quomodo conciliandi ſint Evangeliſtæ, quoad numerum perſonarum vel generationum? cum Matthæus quatuordecim ſaltem numeret à Davide uſque ad tranſportationem, multò verò plures Lucas. Sic Matthæus à Zorobabele ad Ioſephum novem ſaltem generationes numerat, Lucas octodecim.

DVBIVM XXII.

De ipſis perſonis: Quî fiat quod alias recenſeat perſonas Matthæus, alias Lucas? 1. Salathielem Matthæus facit filium Iechoniæ, Lucas filium Neri. 2. Matthæus Zorobabelis filium ponit Abiud, Lucas Rheſa. 3. Sic ab Abiud ad Ioſephum alios planè recenſet Matthæus, alios à Rheſâ ad Ioſephum Lucas 4. Matthæus Patrem Ioſephi facit Iacobum, Lucas Heli.

EXAMEN trium illorum Dubiorum.

Fausti Manichæi cavilli. Sanctißima Augustini responsio. Solutiones variæ Dubiorum. Confutatio singularum. Baronius notatus. Iulii Africani sententia. Applausus veterum. Oracula typica mista. Rejectio sententiæ Africani. Rationes. Conciliatio solida Matthæi & Lucæ. Fundamenta ejus. Diversitas Authorum. Scrupuli diversi. Tossani ἐνστάσεις. Ἐπίκρισις *Authoris. Scrupulorum utriúsque partis solutio. Vis vocis* עולם. *Responsio ad* ἐνστάσεις *allatas. Solutio generalis Dubiorum propositorum: Specialis singulorum. Salathiel quî filius Iechoniæ & Neri? Solutiones infirmæ rejectæ. Vera subjecta. Chemnitii error. Solutio difficultatis de Abiud & Rhesa. Scrupulus novus discussus. De duobus patribus Iosephi. Augustini conjectura rejecta. Aliorum ex veteribus opinio ab Eusebio proposita. Rejectio ejus. Rationes. Duplex solutio probabilis & commoda. Bezæ observatio. Ant. de Dominis sententia cum examine.*

I. HÆC *Dubia* primâ fronte non tam ἐναντιοφανῆ quam ἀντιφατικὰ omninò esse videntur: unde à Religionis Christianæ osoribus avidè semper arrepta, & Christianis impacta fuerunt, quasi Evangelistæ duo inter se arietarent, & alter alteri disertè contradiceret. Sic olim *Faustus Manichæus*, ut refert *Augustinus lib.* III. *contra Faustum cap.* I. cavillabatur *se offensum duorum maximè Evangelistarum dissensione, qui Genealogiam Christi scribunt, Lucæ & Matthæi, hæsisse incertum quemnam potißimùm sequeretur.*

Fieri enim posse putabam, inquiebat Faustus, *ut quia præscius non sum, quem mentiri existimarem, ipse diceret verum : & quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur. Infinitâ ergo eorum prætermissâ lite & interminabili mihi, ad Iohannem Marcúmque me contuli, &c.* Cui *Augustinus* inter alia piè & egregiè respondet, *ibidem cap.* 11. *O si pio studio legisses Evangelium, & ea, quæ te in Evangelistis tanquam repugnantia movissent, diligenter quærere, quam temere damnare maluisses, ut saltem propter ipsam, quæ quasi prima fronte occurrit, apertissimam repugnantiam cogitares, nisi aliquid illic magnum lateret, difficile fieri potuisse, ut tanta eis authoritas in terrarum orbe præberetur, quâ sibi tot hominum doctissimorum ingenia subigerent.* Et paulò post subjicit ibidem Augustinus : *Acutos & doctos viros divinarum Scripturarum pertractatores vidisse quidem hanc diversitatem: sed piè cogitantes tantæ authoritatis eminentiam latere ibi aliquid credidisse, quod petentibus daretur, oblatrantibus negaretur, à quærentibus inveniretur, reprehendentibus subtraheretur, pulsantibus aperiretur, oppugnantibus clauderetur, petierunt, quæsiverunt, pulsaverunt, acceperunt, invenerunt, intraverunt.*

II. Quibus sanctissimi viri verbis præmissis in *Dubia* illa sobriè inquiremus. Tria verò conjunximus de *Descriptione lineæ diversæ*, de *Numero personarum*, & de *Ipsis personis*, in quibus varii adhuc nodi alii nectuntur, quia ab una solutione generali pendent, quâ animadversâ & explicatâ patebit responsio ad singula. Fatendum verò *Dubia* hæc præstantissimos Theologos & veteres & recentiores graviter exercuisse. Conciliationis utriusque Evangelistæ quæsitæ fuerunt rationes variæ. Nos solutionibus variis allatis, falsas confutabimus, & veram tum subjiciemus, tum confirmabimus, & ex eâ postmodum respondebimus ad singula Dubia sigillatim. Inde constabit *Faustum* & sequaces ejus, quod olim impegit Porphyrio *Hieronymus* in casu simili, *calumniam struendo Ecclesiæ suam ostendere imperitiam, dum Evangelistarum arguere nituntur falsitatem.* cap. 1. in Dan.

III. Quidam existimarunt olim, unum ex Evangelistis enarrare veram Christi Genealogiam, per quam secundum carnem descendit ex patribus, alterum progenitores ejus spirituales indicare, sive texere Catalogum virorum sanctorum, qui propter pietatem & sanctitatem inter majores Christi sint referendi. Sed solutio hæc infirma est. 1. Quia pietas & sanctitas non sunt

bona hæreditaria, quæ ſecundum naturæ & generationis ſeriem à Patribus derivari poſſint ad poſteros, & in eâdem ſerie reperiantur. Imò, ut patet ex Hiſtoriâ ſacrâ, piorum ſæpè parentum impia, impiorum pia fuit progenies, unde Iehoachaz malus optimum patrem habuit Ioſiam: Ioſias optimus peſſimum patrem Amon: Sic vice versâ Manaſſes peſſimus optimum patrem Ezechiam, & Ezechias optimus impium patrem Achazum. Non ergo poteſt texi genealogia ſaltem piorum & juſtorum, ſine maximis & plurimis hiatibus: utérque verò Evangeliſtarum continuam ſeriem deſcribit, & non interruptam, niſi uno loco, ut ſuprà oſtenſum. 2. Hoc ipſum etiam repugnat conſuetudini apud omnes receptæ, ubi in genealogicâ ſerie non habetur ratio probitatis vel improbitatis, *ſed anterioritatis vel deſcendentiæ* in generatione ſaltem. Tametſi etiam ferat conſuetudo Hebræa aliquem vocari filium alterius, ratione conformitatis in hâc re vel aliâ, non tamen dicitur aliquis genuiſſe alium, niſi reſpectu generationis naturalis, vel ſimilis naturali in Leviratu, pietas verò gratiæ donum eſt, non naturæ, nec ullâ ratione huc referri poteſt. 3. Si hic fuiſſet ſcopus Matthæi, utíque retuliſſet in Catalogum majorum Chriſti vel omnes, vel pleroſque ſaltem Prophetas & viros Sanctos ex quibuſvis tribubus, qui ante Chriſtum vixerunt, quod tamen ab eo præſtitum nõ videmus: nec enim vel Moſis, vel Eliæ, vel Eliſæi, vel Eſaiæ, vel Danielis, vel aliorum id genus virorum ſanctorum ulla mentio. 4. Hoc ipſum etiam repugnaret prorſus ſcopo utriúſque Evangeliſtarum, qui fuit oſtendere Ieſum Chriſtum eſſe filium Davidis, & Abrahami, adeóque promiſſum Meſſiam, cum deſcenderit ex natione, tribu & familiâ, ex quâ olim prædictum, Meſſiam oriturum. 5. Nec ulla ex his Geneal. ſanctos ſaltem deſcribit.

IIII. Alii aliter hunc nodum incidendum putarunt dicendo, eaſdem prorſus perſonas referri à Matthæo & Lucâ, ſed ſub diverſis nominibus, ſolenne verò fuiſſe inter Iudæos unum eundémque variis nominibus inſigniri, & non binominem ſolùm, ſed & trinominem ſæpe reperiri. Sic v.g. Iethronem ſocerum Moſis vocari etiam in Scripturâ Hobab. *Num.* X.29. filium Davidis Kileab vocari Danielē. II.*Sam.* III.3. I.*Par.* III.I. Aza, Hoziam. II.*Reg.* XV.13. Sedekiam, Mattaniam: Ochoziam, Ioachaz: Matthæum, Levi: Simonem, Petrum: & alios id genus, adeò que

nihil

nihil obstare quo minus eosdem intelligant Matthæus & Lucas sub diversis nominibus, & Iotham sit idem qui Ionam, Achaz qui Eliezer, Ezechias qui Iosè &c. Idem & authoritate *Philonis* solet propugnari,& ratione,quia quædam nomina affinia & conformia, quem Mathan vocat Matthæus, Lucas potuit vocare Mathat, quem ille Eliud, iste Eli, quem ille Ioram,iste Iorim.

V. Sed nec hæc sententia tolerari potest, 1. quia convenientia illa in paucissimis; & tametsi Mathan & Mathat unâ saltem litterâ differre videantur, adeóque iidem esse, tamen ex majorum utriusque enarratione patet, non esse eosdem,diversi enim utriusque patres,diversi avi,proavi, vt & Eliud & Eli,Iorã & Iorim. 2. Siquidem de paucis sermo esset, concedi fortè posset,aliquos inter illos fuisse binomines,& secundum diversa nomina diversimodè recenseri. Nullo modo verò credibile omnes tales fuisse. 3. Ponamus etiam omnes fuisse binomines, quæ veri species Spiritum S.voluisse easdem personas tam diversis nominibus insignire,duos Evangelistas inter se committere,illorúmque scripta Iudæorum & hostium Christi cavillis exponere? Imò cum Lucas scripserit post Matthæum, annon absurdum statuere illum voluisse disertè hac in parte contradicere Matthæo diversâ illâ nomenclaturâ, cum quo tamen universalis ipsi consensus in aliis omnibus? 4. patet ex Scripturâ V.Testamenti 1.*Paral.*111.Salomonem,per quem genus Christi deducit Matthæus,diuersum fuisse à Nathane, & fratrem eius à quo Lucas genus Christi deducit. 5. Ponamus adhuc hæc omnia posse conciliari inter se, quæ *ἀσύςατα,* saltem totidem personæ vel generationes reperirentur in utróq; Evangelistarum,quod falsum.Numerus enim & generationum & personarum longè alius apud Lucam,alius apud Matthæum, ille plures habet,iste pauciores.Vnde alia conciliationis ratio quærenda, tametsi enim in genere verum sit multos in S. Scripturâ non saltem binomines,sed & trinomines sæpe reperiri,translatio tamen Theseωs ad hypothesin ob rationes allatas hoc loco precaria est,& sine fundamento.Vnde bene *Augustinus lib.*11.*quæst. Evangel.cap.v.Neque hoc loco illud dici potest,quod unus homo, sicut non solùm apud gentes,sed etiam apud Iudæos accidere solere manifestũ est,duo nomina habuerit.Cæterâ enim serie generationum qui hoc putat*

facile refellitur. Quid enim de avis, atavis, proavis, cæterísque majoribus dicturus est, quorum diversa nomina singuli Evangelistæ in suâ quisque narratione contexuerunt? Quid postremò de ipso numero? quandoquidem Lucas à Domino usque ad David quadraginta tres generationes enumerat, Matthæus autem à David usque ad Dominum viginti octo, vel viginti septem.

VI. Existimarunt alii *Augustini* conjecturam secuti ex libro *octoginta trium quæst. quæstione* LXI. & libro II. *de Cons. Evang. cap.* 2. Matthæum regium Christi genus enarrare, Lucam sacerdotale, adeóque mirum non esse, si diversi ab utróque recenseantur. Sed sententia hæc 1. ἄγραφος & sine fundamento. 2. *ἀντίγραφος*, ex sacerdotum enim Catalogo qui habetur in Vet. Testamento patet plerosque non fuisse sacerdotes qui à Lucâ commemorantur. 3. Semper manet nodus & de nominibus quibusdam, & de numero personarum vel generationum. 4. Christus secundum Scripturam non debebat descendere è genere Sacerdotali, sed Regio, & ex majoribus oriundis è tribu Iudâ: Sacerdotium enim Christi aliud esse debebat à Levitico *Hebr.* VII. 12. factâ *μεταθέσει ἱερωσύνης*: quod & *Augustinus* ipse fatetur libro *octoginta trium quæst. quæst.* LXI. Meritò ergo sententia hæc utut *Hilarii*, *Iuliani Toletani*, & aliorum multorum authoritate suffulta, exploditur à *Casaubono*, & *Baronius* sine judicio illam amplectens *in Appar. Annal.* ab eodem arguitur *Exerc.* I. *ad Appar. Num.* XXX.

VII. Alii putarunt adoptivos quosdam filios recenseri pro naturalibus ab alterutro Evangelistarum, secundum consuetudinem tum Patriarcharum *Gen.* XLVIII. tum gentilium, quale exemplum *Exod.* II. Sed sententia hæc etiam precaria est, nec scrupulos motos ullâ ratione tollit.

VIII. Opinio maximè recepta ad conciliationem utriúsque Evangelistæ est, unum ex Evangelistis descripsisse genealogiam Christi *naturalem*, alterum *legalem*, adeoque mirum non esse, si & diversa utrínque occurrant nomina, & diversus personarum & generationum numerus. *Naturalem verò genealogiam* vocant, quâ per viam generationis ordinariam descendunt filii à patribus; *Legalem*, quâ secundum jus Leviratus præscriptum à DEO *Deut.* XXV. fratre moriente sine liberis, frater superstes tenebatur ducere uxorem fratris defuncti & ei semen suscitare,

quod

quod semen referebatur ad fratrem defunctum, & pro progenie ejus reputabatur: quò pertinet exemplum illud de septem fratribus qui eandem conjugem duxisse narrantur *Matth.* XXII. Quod Leviratus jus se extendebat ad agnatos usque & propinquos, quibus jus aliquod (ut rectè *Maldonatus* & *Barradas lib.* V. *Comm.in Conc.Evang. cap.*XXX. contra *Iansenium*,) esse poterat ad bona & hæreditatem defuncti, ut constat ex exemplo Boozi in libro Ruth. Hinc patere inquiunt sententiæ hujus patroni, absurdum non esse unum eundémque filium duos habere patres, *legalem* unum *cui genitus, naturalem* alterum, *à quo genitus*. Ejusmodi verò filius legalis non saltem nomen ducebat à patre legali, sed & ei succedebat in hæreditate & honoribus. Succedere quinetiam poterat patri naturali aliâ sobole destituto tum in bonis, tum in dignitatibus, & sic in utriúsque serie collocari sine absurditate. Hos filios legales *Aug.*lib. II. de Cons. Evang. c.III. appellat *genitos non carne, sed charitate.*

Sententia hæc authorem habet *Iulium Africanum* in *Epistola ad Aristidem*, ut patet ex *Euseb. Hist.Eccles.cap.*VII. *lib.*I. quem sequuntur *Augustinus lib.*II.*de Cons.Evang.cap.*III. *Ambrosius in cap.* III.*Lucæ*, *Anselmus in Enarr.in Matth.* *Eucherius in quæst.in N.Test.* *Damascenus lib.*IV.*cap.*XV.*Beda* aliíque & veteres & recẽtes Theologi tũ Pontificii, tũ Orthodoxi magno numero. Africani hujus opera recẽset *Eusebius lib.*VI.*cap.*XXIV.& vel in primis Epistolam scriptam ad Aristidem περὶ τῆς νομιζομένης διαφωνίας τῆς παρὰ Ματθαίῳ τε καὶ Λουκᾷ τοῦ Χριστοῦ γενεαλογιῶν, ἐν ᾗ, inquit *Eusebius*, σαφέστατα τὴν συμφωνίαν τῶν Εὐαγγελιστῶν παρίστησιν ἐξ ἱστορίας εἰς αὐτοὺς κατελθούσης. Vocatur idem ab *Euseb. lib.* I. *cap.* VI. συγγραφεὺς οὐχ ὁ τυχών. Floruit verò circa annum Christi CC. Summa corũ quæ in *Thesi ab Eusebio lib.*I.*Hist.Eccles.cap.*VII.& à *Nicephoro Hist.Eccles. lib.* I. *cap.* XI. ex Africani Epistolâ in hanc rem citantur, hæc est: Familiarum nomina inter Israelitas numerari solita aut φύσει aut νόμῳ, prius in generatione ordinariâ, posterius in legali per Leviros ad conservandam defunctorum memoriam in spem resurrectionis: in *Hypothesi* vtriusque generationis mẽtionem fieri ab Evangelistis καὶ τῶν γεγεννηκότων, καὶ τῶν ὡς γεγεννηκότων, οἱ ἑτέροις μὲν ἐγεννήθησαν, ἑτέροις δὲ προσετέθησαν κλήσει: Confusas fuisse familias posterorum Salomonis & Nathanis per sobolem suscitatam à Leviris, inde eosdem liberos diversorum patrum

putari, τῶν μὲν δοκούντων πατέρων, τῶν δ' ὑπαρχόντων.

IX. Notandũ verò illos *qui Africanum* ſequuntur, etſi in fundamẽto progeniei *naturalis* & *legalis* conveniant, in diverſas tamen abire ſententias. Quidam enim contendunt *Matthæum* majores Chriſti *naturales* enumerare, *Lucam legales*: alii in alia omnia eunt & contendunt, *Lucam* deſcribere *naturales*, *Matthæum legales*. Qui primam ſententiam ſequuntur, nituntur tum *phraſi* Matthæi, tum *ratione*. *Phraſi*, quod Matthæus utatur perpetuò verbo ἐγέννησε, adeóque id relatum velit potius ad generationem naturalem quam ad legalem, quod maximè urget *Auguſtinus lib.* II. *de Conſ. Evang. cap.* III. *Matthæus dicens* Abraham genuit Iſaac *atque ita in hoc verbo quod eſt* genuit *perſeverans, donec in ultimo diceret*, Iacob autem genuit Ioſeph, *ſatis expreſſit ad eum patrem ſe perduxiſſe originem generantium, à quo Ioſeph non adoptatus, ſed genitus erat. Rationem* ejuſdem ſententiæ aſſertores addunt, Chriſtum debuiſſe deſcendere à Davide per Salomonem juxta promiſſionem quæ habetur II. *Sam.* VII. 12. *Excitabo ſemen tuum poſt te, quod prodierit è viſceribus tuis, & ſtabiliam regnum ejus. Ipſe ædificabit domũ nomini meo, & ſtabiliam ſoliũ regni ejus uſq; in ſeculum. Ego ero illi pater, & ipſe erit mihi filius*, &c. Quæ verba non ſaltem ad Salomonem referenda, ſed & ad Chriſtũ docet Angelus *Luc.* I. 30. Mariæ annuncians conceptionem & nativitatem Chriſti inquiens: *Hic filius altiſſimi vocabitur, & dabit ei Dominus* DEUS *thronum Davidis patris ipſius, & regnabit ſuper domum Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis*. Qualia multa typica miſta in Scripturâ reperiri certum, quorum quædam typo, quædam antitypo conveniunt, ut hìc nativitas immediata ex Davide, ſucceſſio in regno externo, ædificatio externa templi, Salomoni competunt, ut & lapſus ac caſtigatio ſequens: Regnum verò ſpirituale, & perpetuitas ejus ad Chriſtum pertinent, cum ſtatim in filio Salomone decem tribuum ſeceſſio & diminutio ſceptri contigerit. Sic *Gen.* III. 14. maledictio quæ à Deo ſerpenti denuntiatur ex parte convenit ſerpenti, ex parte Diabolo per ſerpentem loquenti: ſerpenti, *gradieris ſuper pectus, & terram comedes*; Diabolo, *ponam inimicitiam* &c. Sic *Eſa.* XIV. 12. quando Propheta deſcribit caſum Regis Babylon per caſum luciferi, quædam à Patribus ad Regem Babylonis, quædam ad Diabolum referuntur. Sic quæ de ſemine

ſemine Abrahami, de Prophetâ ſuſcitando, de liberatione Eccleſiæ ex Babylone, & alia id genus, duplex complementum habent.

X. Illi verò qui volũt à *Matthæo* recenſeri genus Chriſti *legale*, à *Lucâ naturale*, ad ſententiæ ſuæ confirmationem has potiſſimùm rationes adducunt. 1. Matthæum pauciores enumerare, Lucam plures, plures verò ſemper eſſe naturales, legales pauciores. 2. Lucam aſcendere ad Adamum uſque, adeóque contexere genealogiam Chriſti naturalem, illámque integram & completam. 3. Matthæi ſcopum ſaltem fuiſſe, oſtendere Chriſtum legitimè ſucceſſiſſe in Regnum Davidis, ſecundum promiſſionem Davidi factam II. *Sam*. VII. adeóque Matthæum à Davide Rege deſcendere per Salomonem & ſucceſſores ejus uſque ad Iechoniam, in quo non ſaltem regnum fuerit extinctum, ſed & progenies Salomonis, eò quod Iechonias orbus obierit ſecundum maledictionem quæ *Ierem*. XXII. Iechoniæ autem Salathielem ſubjici ut legitimum ſucceſſorem in Principatu, & Salathieli Zorobabelem eadem de causâ. Etſi enim poſt Iechoniam regnaverit Sedekias, tamen illum inter Reges non numerandum, tum quia à profano Nebucadnezare ad regnum fuerit evectus, tum quia Iechoniæ adhuc vivo inter Babylonios, adeóque præter naturam & rationem, ſubrogatus fuerit. Quamuis non deſint qui contendant Matthæum ſtatim à Ioramo deflexiſſe ad lineam legalem Nathanis.

Obſervandum verò eos, qui ſunt in alterutrâ ex his opinionibus ex eodem fundamẽto deductis, non exiſtimare, illum ex Evangeliſtis, qui legalem recenſet genealogiam, omnes anteceſſores legales recẽſere, ſed ſaltem unum, Ioſephi videlicet, & hoc ſufficere ad diverſitatem explicandam quæ occurrit apud Evangeliſtas, cum alii fuerint majores Heli, quos commemorat Lucas, alii Iacobi, quos commemorat Matthæus.

XI. Sed quãvis utraque hæc ſententia multos & magnos habeat aſſertores, quorũ authoritati meritò aſſurgo, tamen reverâ graviſſimæ rationes intercedunt, ob quas minimè probanda videtur. Nam 1. *Africani* authoritas dubia eſt, nec tanti, ut in eâ ſit conquieſcendum, niſi rationibus ſolidis firmata comperiatur, tametſi enim quod in Theſi de legali generatione proponit, verum ſit, & exemplis tum Onanis, tum Boozi, tum vel in

primis ex lege latâ in Deuteronomio probari possit, de applicatione tamen theseως ad hypothesin meritò ambigitur. 2. Non sufficit hæc sententia ad solutionem dubiorum nec omnium,nec plerorúmque. 3. Absurdum est duos Evangelistas voluisse unius IosephiGenealogiam texere,& quidem sub diversis nominibus,& unum post alterum, annon inde infirmis materia lapsus,malignis cavillorum? cum tamen nec Christus ex Iosepho natus fuerit,nec nasci debuerit, nec potuerit. 4. Absurdum etiam utrumque Evangelistarum Mariæ genus prorsus reticuisse, ex quâ tamen Christus natus, adeóque neutrum in Genealogiâ suâ firmiter demonstrasse ὅπερ ἔδει δεῖξαι, Christum nimirum natum esse ex semine Davidis. Etsi enim probabiliter possit dici, ut suprà ostensum, Iosephum virum pium nupsisse uxori ex eâdem tribu & ex eâdem familiâ tribus, tamen, quia exempla alia contraria occurrunt, vix procacibus Evangelii hostibus hâc solutione satisfiet, sed promptum illis erit excipere,in Mariâ ut paupere legem non esse periclitatam, & multos ex tribu Iuda extraneas etiam vxores duxisse, & ducere potuisse, æquè ac id in aliis tribubus factum. 5. Adde quod nihil impediebat,quominus Mariæ majores enumerarentur,& in subjecto extraordinario derogaretur consuetudini ordinariæ,ut invictè probaretur Christi generatio ex Davidis posteris, sine quâ probatione Messiæ & nomẽ,& officium Christo abrogari ab hostibus poterat,&abrogatum fuisset reverâ ex hoc potissimùm fundamento,nisi de eo in vulgus etiam constitisset ex Genealogiâ Mariæ. 6. Cui bono etiam, vel Matthæum, vel Lucam nobis legalem Iosephi patrem ita anxiè & scrupulosè referre,& prætermittere id, quod maximi erat momenti? 7. Si idem filius duos fratres dicatur habere pro patribus,quorum alter secundum legem alteri semen excitarit, coincidet & coalescet denuò statim linea in avo, apud Matthæum verò & Lucam plurimæ generationes intercedunt sine ejusmodi coalitione. Si dicamus agnatos remotos interdum Levirorum officium obiisse, observandum, illud quidem fieri solitum deficientibus,vel recusantibus proximioribus, ut patet ex exemplo Boozi,tamen incertum prorsus esse,an sic factum in *Hypothesi* de quâ agitur. *Africanus* quidem huic difficultati obuiam it Melchi subrogato ex aliâ lineâ, qui ductâ Esthâ uxore Matthanis defuncti,

functi,ut in sequentibus videbitur,genuerit Heli. Sed frustrà:regeri enim statim potest, parum probabile esse, adeò propinquum fuisse Melchi Matthani ut uxorem ejus ducere debuerit. Imò cum non saltem contribuli sed & συγγενεῖ in illâ tribu nubendum fuerit לאחר ממשפחת מטה אביה, quod reddit *Eusebius lib.* I. *cap.* VII. ἑνὶ τῷ ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου καὶ πατριᾶς τῆς αὐτῆς, Melchi oriundus ex aliâ lineâ, Nathanis nimirum, vix reperietur fuisse גאל vel יבם proximus ad suscitandum semen Matthani defuncto. Huc accedit,quod non opus fuerit hâc suscitatione,quia,ex hypothesi *Africani*,nō orbus,vel sine prole decesserat Matthan,sed genuerat Iacobū ante obitum. Nec licet excipere,non in hunc finem ductam fuisse Estham,sed more communi sine vllo ejusmodi consilio conjugium cum eâ contractum fuisse à Melchi. Annon enim & hoc conjugium legi repugnasset? cum contribulis quidem Esthæ esse potuerit Melchi, συγγενὴς verò propinquus,nedum proximus non item,utpote oriundus ex aliâ lineâ,cum tamen gradus consanguinitatis propinquior exigi videatur ad nuptias in Lege. Vide *Augustinum in Quæst.* in *Deuteron.*cap.XLVI. Tametsi ergo quia ex eâdem matre, secundum *Africanum*,nati Heli & Iacob,Iacob Heli defuncto semen ob proximitatem excitare potuerit, tamen quæstio redit de Melchi,cur ille,cum ex aliâ lineâ, Nathanis nimirum, oriundus fuerit,Matthanis oriundi ex lineâ Salomonis,viduam Estham duxerit, cujus matrimonii ratio nec ab Africano,nec ab Africani,quod viderim, sectatoribus explicatur. 8. Falsa etiam *hypothesis* supponitur,suffecisse Christū legitimū Davidis successorē esse, etsi filius naturalis non esset,contrarium enim invictè probari potest ex *Esa.*XI.I.& aliis locis plurimis,debuisse Messiā è lumbis Davidis, & è radice Iesse prodire per generationem naturalem ratione matris. 9. Vnica quinetiam causa cur *Africani* sententiæ subscripserint Veteres tanto animorum consensu hæc fuit, quod & commodiorem solutionem ignorarent, & de eâ inueniendâ desperarent. Vnde sanè minus illorum authoritati hac in parte tribuendum, cum omnes ab unâ *Africani* relatione & suam,& Lectorum fidem suspendant. Observemus verò quam timidè & suspensè concludat ipse *Africanus*,referente *Eusebio cap.*VII.*lib.*I. εἴτ᾽ οὖν οὕτως,εἴτ᾽ ἄλλως ἔχει, σαφεστέραν ἐξήγησιν οὐκ ἂν ἔχοι τις ἄλλως ἐξευρεῖν, ὥς ἔγωγε νομίζω. Fatetur idem non

esse ἐξήγησιν ἐμμάρτυρον, & sibi eo saltem nomine probari inquit, πρὸ μὴ κρείττονα ἢ ἀληθεστέραν ἔχειν εἰπεῖν. Vnde & ab *Authore quæstionum in V. & N. Testamentum* (quæ exstant *Tomo* IV. *Operum Augustini*, & illi vulgò, quamvis falsò, attribuuntur) meritò rejicitur, ut opinio *nec probabilis, nec ad ullam rem proficiens.*

XII. Quamvis nihilo sanior sit opinio quam prodit idem *Author* ibidem, dum arbitratur Iesum referri ad omnes illos majores quorum Catalogus texitur à Lucâ, & filium vocari & Heli, & majorum ejus usque ad Adamum, & ipsius Dei, ad divinitatem ejus adstruendam; *Iesus*, inquit, *filius æstimatur Ioseph, & non solum Ioseph erat filius, sed & Heli, &c. propter quod fratrum filii erant Ioseph & Heli, id est, Salomonis & Nathan filiorum David, ut per David ascendens ad Abraham, & Noe, & Seth, & ad ipsum Adam, & super Adam, doceret esse Christum filium Dei. Et Christum ita dici Adæ filium, sicut dicebatur filius Ioseph.* Et paulò post: *Super Adam autem junxit Christum Patri Deo, ut qui horum, id est, ab Adam usque ad Ioseph, & Heli filius dicebatur, ante istos omnes Dei verus filius intelligeretur ad confusionem Photini, qui Christum nonnisi ex Mariâ, nec ante fuisse contendit.* Et in fine capitis docet Adæ patrem dici Deum inutiliter: *Si autem per ordinem singuli patres Christi dicantur &c. ipso ordine eum legi esse filium Seth, & filium Adæ. Et super hos omnes assignari filium Dei, ut ante ipsos dicatur esse, quorum filius nuncupatur.*

XIII. Sed meritò exploditur sententia hæc à CL. *Gomaro* eo nomine, quod vim faciat contextui sacro, & aliena prorsus sit à descriptionibus genealogicis & sacris, & profanis, adeóque inepta, siue ad confutationem sententiæ *Africani*, sive ad ἔλεγχον impietatis Photinianæ. Addamus etiam sententiam hanc 1. alienam prorsus esse à scopo Lucæ. 2. Causæ nihil esse, cur tam prolixus Catalogus genealogicus contexatur, ut demonstretur Christum esse filium Dei. 3. Causam solidam non adferri, vel cur Christus filius Heli dicatur, vel cur origo Adami ad Deum referri à Lucâ nequeat.

XIV. Omnibus ergo ultrò citróq; excussis & expensis, salvâ & veterum & recentiorum Interpretum, qui *Africani* sententiá sequuntur, authoritate, hæc ratio conciliandi utriusque Evangelistæ tutissima mihi esse videtur, siquidem dicamus *Matthæum*

Iosephi

Iosephi genus per Salomonem à Davide deducere, Lucam verò Mariæ genus per Nathanem alterũ Davidis filium ad eundem Davidem referre. In hac sententia esse video Authores non contemnendos, *Petrum Galatinum lib.* VII. *de arc. Cathol. verit. cap.* XII. & *Domin. à Soto in* IV. *Sent. Dist.* XXX. *quæst.* II. *art.* I. non obstante sententia contraria *Thomæ qui Africano* subscribit *Parte tertiâ quæst.* XXXI. *Art.* III. Huic etiam sententiæ accedunt *Iansenius, Genebrardus, Didacus Stella, Barradas & Vincentius Regius* ex Pontificiis: ex Evangelicis, *Aretius, Chemnitius, Bibliander, Lavaterus, Pareus, Gomarus,* aliique viri magni & eruditi. *Melch. Canus* etsi in *Africani* sententiâ ob authoritates veterum propendeat, fatetur tamen ultimam hanc sententiam sibi non displicere *Loc. Theol. lib.* XI. *cap.* V. *Piscator* etiam candidissimus senex eandem sententiam aliquando se amplexum fuisse fatetur, à qua tamen post discessit.

XV. Sed non tanti sunt authoritates humanæ, quanti rationes solidæ, quæ pro sententia hac ultima adferri possunt. Potissimæ hæ esse videntur. 1. Conciliationem hanc utriusque Evangelistæ non contortam esse & implicatam, sed facilem & optimè sibi constantem. 2. Commodam dissolvendis nodis omnibus qui ex Scriptura & ratione hac de re necti possunt, adeóque aptam admodum πρὸς τὸ ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας. 3. Eam non urgeri Dubiis ullis à patronis sententiæ Africani, quorum ἀνάλυσις & facilis & commoda dari nequeat. 4. Inde optimè rationem reddi posse, cur, stemmate genealogico à Matthæo conscripto, aliam adhuc genealogiam adjectam voluerit Spiritus S. & Lucam in eâ contexenda desudare, ut nimirum hac ratione cavillis quibusvis obviam iret, & ἀναμφισβητήτως probaret γένεσιν Christi ex Davide per veram matrem, quæ ex solâ Iosephi genealogiâ hominibus pertinacibus vix sufficienter demonstrari poterat. 5. Adde sic plenam & perfectam omnibus modis exstare Genealogiam Christi ab utroque parente, & à verâ matre, & à patre illo, cui & nomen & jus paternum in Christum Scriptura tribuit *Luc.* II. 48. 51. ob vinculum non naturale generationis, sed civile matrimonii quod ei cum verâ Christi matre intercessit. Cujus proinde genus etiam eam ob causam cognosci debuit, cum & nutritius Christi esset, & ei Christus ad tempus æquè ac matri se subjicere non dedignaretur. 6. Observant alii sic ostendi posse Christum descendisse

aliquo modo & ex familiâ Regiâ, & ex familiâ Ducali: Ex familiâ *regiâ* per Iosephum, qui à Davide per Salomonem & posteros ejus Reges descendit, in cujus familiam transiit Maria per desponsationem: Ex *Ducali* per Nathanem & posteros ejus, penes quos longo tempore fuit præfectura populi, postquam lineæ Salomonis imperium fuit abrogatum. Oportuisse etiam Christum nasci ex familiâ & regiâ, & Ducali, postquam utráque in statum privatum ferè redacta esset, & umbra saltem adhuc appareret alicujus מחוקק. Regia potestas extincta fuit in Iechoniâ, Ducalis cepit in Salathiele, sed & in posteris quoque expiravit. Hæc omnia jam olim prædicta fuêre. Debuit sanè Messias esse & Rex & Dux populi, utpote qui utróque titulo insignitur à Prophetis, *regio Ierem.* XXIII. 5. *Dies venient & excitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex.* *Zach.* IX. 9. *Exulta valde filia Zijonis, ecce Rex tuus adveniet tibi &c. Ducali* etiam titulo designatur. *Ezech.* XXXIIII. 24. *Ego Iehova ero eis Deus, & servus meus David* (נשיא) *princeps in medio eorum. Mich.* V. 2. *ex te egredietur, qui erit* (מושל) *Dux in Israele*, ubi *Ionathan in paraphr.* suâ substituit disertè משיחא. Sed & prædictum Messiam nasciturum, cum familia sive Regia sive Ducalis redacta foret ad statum privatum. *Amos.* IX. 11. cum tabernaculum Davidis foret collapsum, quod refertur ad Christum & regni ejus instaurationem *Act.* XV. 15. Sic idem suprà ostensum ex *Esa.* XI. 1. Messiam non dici oriundum *ex radice Davidis*, qui primus regiam dignitatem intulit in familiam suam, *sed ex trunco & radicibus Iesse*, qui privatus fuit, ex trunco non luxuriante, sed quasi denudato ramis, & cum sola superesset radix, adeóque cum, cum non solum regia dignitas expirasset, sed & omnis ferè Principatus & dominatio ab eâ ablata foret. Quod quidam etiam volunt prædictum ab *Ezechiele* XXI. 31. *amove cidarim istam, & tolle coronam, hæc futura non est, eum qui depressius fuit exalta, & eum qui altus est deprime*, quasi Propheta non saltem prædiceret ablationē dignitatis regiæ, sed & depressionem stirpis Salomonis ante exaltatæ, & exaltationem stirpis Nathanis ante depressæ. Sed tamen hoc subtilius quam solidius: commodè enim referri potest ad depressionē Iechoniæ & exaltationē Zedekiæ patrui à Rege Babylonis. Sanè certū regiā potestatē exspirasse in Iechonia vel Zedekia, & fuisse commutatam in Ducalem sub Zorobabele, quæ & ipsa sublata ante

Christum

Christum natum. Quod quidem Deus sapientissimo consilio fieri voluit, tum ut ex declinatione sceptri & potestatis adhuc reliquæ inter Iudæos melius observaretur appropinquatio temporis exhibendi Messiæ, tum ne corporale in Christo regnum, sed spirituale saltem quæreretur, & sciretur sceptrum terrenum in cœleste ab eo esse commutandum.

XVI. Notandum verò illos qui in hac sententia sunt, Matthæum Iosephi genus per Salomonem, Lucam genus Mariæ per Nathanem deducere, in duas classes distrahi. Aliqui enim existimant in Salathiele vel Zorobabele lineam utrámque Salomonis & Nathanis coaluisse, sive per nuptias, sive alia aliqua ratione legali, & eosdem prorsus esse Salathielem & Zorobabelem apud utrúmque Evangelistam. Post Zorobabelem verò rursus bivaricari vel decussari lineam utrámque, & Matthæum texere genealogiam Iosephi ex Abiud filio Zorobabelis, Lucam Mariæ ex Rhesa filio Zorobabelis altero. Altera sententia est illorum, qui putant diversos esse Zorobabeles & Salathieles, de quibus sermo apud Evangelistam utrúmque; & Matthæum quidem rectà deducere genus Iosephi à Davide per Salomonem ad Iosephum usque; contrà Lucam genus Mariæ à Davide per Nathanem.

Vtráque sententia probabilis, & convenit in fundamento, diversas nimirum genealogias texi ibi ubi nominum & numeri discrepantia, unam Iosephi, alteram Mariæ. Sed *prior* eundem Zorobabelem & Salathielem utrinque designari vult, *posterior* diversos. Vtráque tamen adhuc suos habet scrupulos. *Prior* 1. supponit sine certa probatione in Zorobabele vel Salathiele coaluisse utrámque lineam Salomonis & Nathanis, quod tamen quando, & in quibus, & quomodo factum, ex Scriptura non probat. 2. Manet adhuc scrupulus, quomodo idem Salathiel duos potuerit habere Patres, Iechoniam apud Matthæum, Neri apud Lucam? 3. Quomodo satisfiat maledictioni *Ier.* XXII. Si Salathiel & Zorobabel populo præfuerint, & utérque tamen ex posteritate Iechoniæ fuerit?

Posterior sententia aliis etiam dubiis urgeri potest. 1. Non probari posse diversas personas designari nominibus illis ab utróque Evangelistarum, & parum credibile esse, diversos fuisse Zorobabeles & Salathieles, qui & ὁμόχρονοι fuerint & ὁμώνυμοι

prorſus, unus pater, filius alter. 2. Non videri ſic impletam fuiſſe promiſſionem factam Davidi II.*Sam.*VII. de perpetuâ confirmatione regni in Salomone, & ejus poſteritate. 3. probabilius videri, Chriſtum per Mariam potius veram matrem, quã per Ioſephum patrem putativum à Regiâ ſtirpe Davidis deſcendiſſe, aliquâ ſaltem ratione. Vtraque adhuc conjunctim ſcrupulum communem relinquit, quomodo Ioſeph duos dicatur habere patres, Iacobum apud Matthæum, Heli apud Lucam?

XVII. *Daniel Toſſanus* Theologus CL. *Harm. Evang. cap.* V. unam, Ioſephi nimirũ, genealogiam ab utróque Evangeliſtarum deſcribi his rationibus contendit. 1. Chriſtum noluiſſe genealogiam ſuam aliter deſcribi quam aliorum hominum, aliorum autem genus in Scripturâ non deduci à matribus, ſed à patribus, imò fuiſſe hanc partem aliquam exinanitionis Chriſti, quod putaretur eſſe filius Ioſephi *Luc* III. 2. Si opus fuiſſet genealogiâ Mariæ, ſupervacaneam futuram fuiſſe genealogiam Ioſephi. 3. Matthæum & Lucam diſertè genealogias ſuas ad Ioſephum referre. 4. Vtrúmque Evangeliſtam multa nomina ſimilia in principio medio & fine habere. 5. Falſam eſſe eorum hypotheſin qui putant lineam Salomonis non defeciſſe in Ochoziâ, cum tamen id ſatis evidenter colligi poſſit ex II. *Reg.* X. ubi omnes fratres id eſt agnati Ochoziæ à Iehu interfecti dicantur, quo nuncio accepto Athaliam Ochoziæ matrem irâ percitam reliquum ſemen regium, quod ſcilicet ex Nathane Salomonis fratre ſupererat II. *Sam.* V. I. *Par.* III. interfici curaſſe, excepto Ioas qui abſconditus fuit II. *Reg.* XI. & primus fuerit Rex ex poſteris Nathànis, Regis autem filius vocetur, id eſt proximus agnatus & ſucceſſor.

XVIII. Ἐπίκρισιν noſtrâ quod attinet, utráque ſententia ſuperius allata probabilis ſatis eſt, & ſuos habet authores & aſſertores non contemnendos, poſterior tamen, ſine coalitione videlicet ſeriem genealogicam Ioſephi à Matthæo, Mariæ à Lucâ duci, mihi quidem præferenda videtur ob has potiſſimùm rationes. 1. Quia ſi in Salathiele coaluit linea Salomonis cum lineâ Nathanis, ſive per matrimonium Iechoniæ oriundi ex lineâ Salomonis cum filiâ Neri oriundi ex lineâ Nathanis, ſive vice versâ per matrimonium Neri cũ filiâ Iechonię, & inde procrea-

creatus dicatur Salathiel, stirps communis & Iosephi & Mariæ, quid opus erat ante Salathielē lineam utramque & Salomonis & Nathanis ita anxiè commemorari? annon sufficiebat alterutram contexi? masculinam videlicet, sive Salomonis, ex illorū sententiâ, qui Iechoniam duxisse filiam Neri putant, sive Nathanis ex sententiâ illorum, qui Neri arbitrantur duxisse filiam Iechoniæ. Nam satis superque eo ipso genus & Iosephi & Mariæ referri poterat ad Davidem, nec, ob matrem Salathielis ex hac vel illa linea oriundam, causæ quicquam erat genus maternum ejus adeò scrupulosè referri. Debuit quidem post Zorobabelem duplex Genealogia texi, quia Iosephus ab alio Zorobabelis filio Abiud nimirum, Maria ab alio Rhesâ nimirum descēdisse statuitur: sed causa eadem in illis, qui anteriores Zorobabele, non datur. II. Accedit etiam causa alia, quæ me valde movet, cur in posteriorē potius sententiam propendeam, Zorobabelem nimirum Matthæi alium videri in Scriptura à Zorobabele de quo Lucas, adeóque & Salathielem alium, in neutro ergo coalitionem illam reperiri. Ná 1. Zorobabel Matthæi diu post *μετοικεσίαν* Βαβυλῶνος genitus fuit, quippe cujus patrem Salathielem à Iechoniâ in illa demum genitum fuisse suprà probatum fuit *Dubio* XI. Zorobabel verò Lucæ vel ante captivitatem, vel saltem primis captivitatis annis genitus videtur, utpote cujus, ut já maturi annis, auspiciis populus è captivitate ad patrias sedes reversus legitur. *Esdr.* II. 2. 2. Inter Zorobabelem Matthæi & Iosephum novem saltem generationes intersceruntur, inter Zorobabelem verò Lucæ & Mariam septendecim, unde Zorobabelem Lucæ altero qui apud Matthæum recensetur anteriorem fuisse probabile admodum. *Petrus Galatinus de arc. Cathol. verit. lib.* VII. *cap.* XII. aliā superioribus rationem addit ex *Agg.* II. Zorobabelem nimirum Lucæ ante captivitatem vixisse, utpote qui dicatur vidisse primi templi structuram. Sed ratio hæc infirmior, nec ex Textu solidè probari potest hoc Zorobabeli tribui, unde meritò rejicitur à *Pareo* Theologo CL. Probabilius ergò longè genealogiam à Lucâ contextam esse directam Mariæ genealogiam ad Adamum usque sine coalitione, & Matthæum districtè genus Iosephi exequi pari ratione inde ab Abrahamo. Causam igitur, cur Lucas conscriptâ jam genealogiâ à Matthæo aliam superaddere voluerit, hanc fuisse evi-

dens, ut omnem cavillandi anſam præcideret hoſtibus Evangelii contendentibus fortè non ſufficere, ut Chriſtus dicatur ortus à Davide, quod Ioſephus ab eo deſcenderit, cum nonniſi putativus ejus pater ſtatuatur, quorum cavillos ſe retuſurum putavit, ſiquidem genealogiam Mariæ contexeret, & genus ejus etiam referret ad Davidem.

XIX. Liberum tamen Lectori quamcúnq; ex illis opinionibus deligere, unde ad ſcrupulos utriúſque ſententiæ reſpondebimus. Contra prioré objectum fuit, 1. aſſumi ſine certâ probatione Scripturæ in Zorobabele vel Salathiele coaluiſſe utrámque lineam Salomonis & Nathanis. Sed peccatur paralogiſmo παρὰ τὸ ἑπόμενον, non enim opus peculiari probatione, & nihil facilius, vel frequentius inter Iudæos ejuſmodi coalitione per nuptias. Dici itaque poteſt pro iis, qui huic opinioni ſubſcribunt, Iechoniam duxiſſe filiam Neri, ex eáque genuiſſe Salathielem, qui & patri Iechoniæ dicatur ſucceſſiſſe, & ipſi Neri ut avo materno, vel ut patri adoptivo, vel aliâ aliquâ ratione ſimili. Et ſic videtur tolli etiam *ſecundus* ſcrupulus, quem tamen ſeorſim etiam examinabimus. *Tertio* etiam ſuprà ſatisfactum, non denuntiari *Ierem.* XXII. Iechoniæ orbitatem nec à liberis, nec à dignitate & ſucceſſione in eâ, ſed ſaltem à proſperitate in dignitate.

XX. Secundæ ſententiæ ſcrupuli etiam facile poſſunt ſolvi. Objectum 1. *Non poſſe probari diverſos Salathieles & Zorobabeles apud utrúmque Evangeliſtarum recenſeri*, contrà probabilius eoſdem ſtatui, ut ὁμωνύμους, cum vel in primis idem, qui apud Matthæum ſtatuitur pater vel filius, talis etiam conſtituatur apud Lucam. Reſp. Nihil frequentius quam homines cognomines eſſe ὁμωνύμους. Sic Ioas Rex Iſr. & Ioas Rex Iudæ ferè ὁμώνυμοι fuerunt, ut & Ioram filius Achabi Rex Iſr. & Ioram filius Ioſaphati, Rex Iudæ. II. *Reg.* VIII. 16. quod ipſum etiam facilius contingere potuit in nominibus magis eximiis, qualia Salathielis & Zorobabelis, quæ credibile à pluribus fuiſſe ſelecta. Imò ſiquidem ſtatuamus fuiſſe diverſos, & Salathielem & Zorobabelem Lucæ ex lineâ Nathanis præfuiſſe populo, Salathiele & Zorobabele ex poſteris Iechoniæ in ſtatum privatum redactis, ſic clarius longè maledictio Iechoniæ denuntiata adimpleta reperietur. *Inſt.* Si urgeatur, quomodo à Salathiele Iechoniæ filio

ad al-

ad alterum Salathielem filium Neri principatus fuerit translatus,& postmodum ad Zorobabelem istius filium? Resp. Fatendum id disertè non designari in Scripturâ, facilè verò fieri potuisse ob maledictionem illam peculiarem Iechoniæ denuntiatã, DEO corda populi inclinante ad hunc Salathielem potius quam ad alterum qui ex posteritate Iechoniæ, ut à Saule ad Davidem, à Rehabeamo ad Ieroboamum. Objectum fuit 2. *perpetuam confirmationem regni promissam fuisse posteritati Salomonis*, II. *Sam*.VII. Resp. 1. Notam satis esse latitudinem vocis עולם, designantis continuationem vel durationem non perpetuam semper, sed longam & non interruptam per aliquod tempus, & continuatam ad insignem aliquam periodum. Quod ostendi potest exemplis variis, *de servo* servituro עד עולם *Exod*.XXI. 6. *Levit*.XXV.10. qui tamen anno Iubilæo liber exibat à subjectione herili, de *Gehasi*, cui lepra, ut & semini illius adhæsisse & adhæsura dicitur עד עולם II.*Reg*.V.27. 2. Notum etiã, Iudæorum magistros fateri τὸ עולם durationem longam saltem designare, insigni aliquâ periodo terminandam, nisi addatur illi τὸ עד vel נצח, vel tale quid simile. Sufficit ergò regnum diu stetisse in domo Salomonis. 3. Sufficit etiam Salomonem fuisse typum Christi cum regno suo, & in antitypo adimpletum esse quod de typo dictum videbatur. 4. Imò τὸ עולם absolutam ibi æternitatem non designare inde evidens est, quia omnes fatẽtur sceptrum externũ à Salomonis posteritate tandem fuisse auferendum, idque secundum vaticinium quod *Gen*.XLIX. ubi habetur לא יסור עד כי *nõ recedet*,&c. *donec*,&c. E. debuit aliquando recedere, sub adventum videlicet Schilo. 5. Addi potest & hoc, promissionem de regno perpetuo Salomoni factam *conditionatam* fuisse, non *absolutam*, & tacitè subintellectã fuisse conditionem perseverantiæ in bono, à quâ cum exciderit Salomo ex parte, posteri multi in totum, meritò promissio illa non adimpleta legitur.

XXI. Scrupulus communis de Iosepho cui duo patres diversi assignantur peculiariter discutietur. *Dan.Tossani*, cujus cæteroquin memoria mihi meritò sancta est, ἐνςάσεις non videntur usquequaque urgere. Objectum 1. *aliorum genealogias saltem à patribus describi*. E. *& Christi*. Resp. 1. non mirum in subjecto extraordinario extraordinariam diligentiam adhibitam.

2. Aliam rationem Christi esse, aliam aliorum, qui patres naturales habent, Christus verò hoc modo fuit ἀπάτωρ, unde genus maternum potissimùm descriptũ oportebat. II. Obiectum, *superfluam fore Genealogiam Iosephi.* Resp. 1. Etsi illa non fuerit necessaria ἁπλῶς, utilissimam tamen esse ad majorem fidei nostræ ἀσφάλειαν. 2. Conveniens fuisse & illam describi, ut pateret Mariam non nupsisse extra domum Davidis, & sic per coalitionem illam nuptialem Christus etiam aliquâ ratione ex Salomonis posteris censeretur. III. *Obj. Utrúmque Evangelistarum genealogiam suam ad Iosephum terminare.* Resp. 1. vel supponi τὸ ἐν ἀρχῇ, vel non observari κατά τι saltem genealogiam illam terminari ad Iosephum consideratum σχετικῶς, non ratione generationis, vel originis suæ, sed ratione affinitatis quam cum Heli, & vinculi quod cum Mariâ Christi matre contraxit. 2. infrà ostendetur Lucam potius terminare stemma suum genealogicum ad Mariam vel Christum, quam ad Iosephum. IV. *Obj. Multa nomina similia referri.* Resp. 1. multa etiam & plura diversa referri, & non saltem nominum plerorúmque diversitatem, sed & numerum generationum prorsus obstare quominus vel nomina illa coincidere possint, vel eandem genealogiam apud utrumque Evangelistarum designare. 2. Nihil absurdi esse, diversos homines ὁμωνύμους fuisse cognomines, vel nomina affinia habuisse. V. *Obj. exstinctam fuisse lineam Salomonis in Ochoziâ.* Resp. Contrarium patet ex II. *Reg.* X. ubi & Ioas superstes fuisse narratur, & filius Ochoziæ semper vocatur, adeóque ex ejus posteritate, & è lineâ Salomonis, non Nathanis, ad quem precariò refertur, & sine fundamento ex Scripturâ petito: omne quidem semen regium exstinxisse Athalia furibunda fertur, sed exceptio statim subjicitur de Ioaso subducto ejus furori.

XXII. His in antecessum præmissis, & in genere disputatis de Genealogiâ ab utróque Evangelistarum descriptâ, subjiciendæ jam sunt solutiones *Dubiorum* trium suprà allatorum, in quibus alia multa continentur: Ex quibus etiam adhuc clarius constabit, posteriorem sententiam, quam secuti sumus, priori longè præferendam, quia illâ admissâ nodi alioquin inexplicabiles nullo negotio incidi possunt.

Dubio XX. quæsitum fuit de diversis lineis descriptis ab utró-

utroque Evangeliſtâ, & quomodo utraque terminetur ad Ioſephum, cum tamen impoſſibile videatur unum eundémque hominem à majoribus adeò diverſis deſcendere. *Reſp.* Non mirum diverſas lineas referri, cum referantur ad diverſas perſonas, linea Salomonis à Matthæo contexta ad Ioſephum, linea Nathanis contexta à Lucâ ad Mariam. Supponitur ergo *falſa hypotheſis*, Lucæ genealogiam terminari ad Ioſephum ob non obſervatam parétheſin, vel ob non obſervatam latitudinem vocis υἱοῦ, ut paulò poſt in ſolutione *Dubii*, quo Ioſepho duo patres diverſi attribuuntur, oſtendetur.

Dubio XXI. quæſitum fuit de numero perſonarum & generationum, qui diverſus apud utrúmque Evangeliſtam. *Reſp.* 1. Obſervatum à quibuſdá, pauciores à Matthæo numerari brevitatis causâ: ab aliis, Matthæum legales progenitores enumerare qui ſoleant eſſe pauciores. Sed hæc omnia levia & precaria. Nec τὸ ἐγέννησε ad progenitores legales videtur referendum. 2. Dicendum ergo potius ex reſponſione ſupra allatâ, non mirum eſſe plures vel perſonas, vel generationes enumerari à Lucâ, quam à Matthæo, ſive à Davide ad tranſportationem Babylonicam, ſive à tranſportatione ad Ioſephum, cum diverſæ prorſus lineæ ab utróque recenſeantur: & tametſi iidem occurrere videantur Salathiel & Zorobabel, diverſos tamen fuiſſe, & nihil commune habuiſſe præter nomen. Nec mirum eodem temporis intervallo in diverſis lineis alicubi pauciores, alibi plures reperiri, vel perſonas, vel generationes, cum alii magis vivaces eſſe poſſint, & pervenire ad ætatem maturiorem & magis provectam, quales hic dubio procul fuerunt poſteri Salomonis, qui pauciores.

Dubio XXII. quæſitum fuit de ipſis perſonis, quæ diverſæ apud utrúmque Evangeliſtam. Sed & hoc diſcrimen tollitur eâdem reſponſione ſupra allatâ. Tantum enim abeſt, ut mirum ſit diverſas perſonas enumerari ab utroque, ut contrà mirum foret eaſdem referri, cum Genealogia utriuſque Evangeliſtæ & *diverſa capita* vel *principia* habeat, & *diverſos terminos*, genealogia *Matthæi* Salomonem pro termino à quo, Ioſephum pro term. ad quē in ſpeciē: *Lucæ*, Nathanem pro termino à quo, Mariam vel Chriſtum pro termino ad quem, etſi poſt in majoribus utraque linea coaleſcat, videlicet in Davide, cujus utérque filius fuit ex æquo, & Nathan, & Salomo.

XXIII. Et quamvis generalis hæc responsio sufficiat dissolvendis quatuor nodis illis *Dubio* XXII. propositis, ne quicquam tamen Lectorem hîc morari possit, ad singulos adhuc seorsim & districtè respondebimus. 1. Quæsitum fuit quî Salathiel possit esse filius & Iechoniæ, & postmodum Neri, quorum prius asseritur à Matthæo, posterius à Lucâ? Respondent varii varia. 1°. Quidam, secuti conjecturam & autoritatem *Philonis*, inquiunt Iechoniam binominem fuisse, & vocatum etiam Neri, adeóque utroque nomine unam & eâdem personam designari: Iechoniam enim hoc nomine insignitum fuisse à populo, postquam exaltari cœpit caput ejus ab Evilmerodacho. II.*Reg*.XXV. 27. eò quod lucerna Davidis quasi extincta in eo fuerit velut reaccensa. Sed sententia hæc 1. ἄγραφος & sine fundamento. 2. ἀντίγραφος, nam alii Iechoniæ parentes, alii Neri recensentur apud utrúmque Evangelistam, adeóque diversi fuerunt, & de diversis sermo. 2°. Alii Salathielem contendunt fuisse filium naturalem Neri, Iechoniæ verò filium dici, quia ei successerit in principatu ut proximus agnatus ejus, eò quod Iechonias occubuerit sine liberis, ob maledictionem illam de quâ *Ierem*.XXII. Sed verum quidem, Salathielem aliquem successisse Iechoniæ; falsum tamen 1. illum ipsum qui à Matthæo recensetur, non fuisse filium ejus ab eo genitum, cum contrarium satis evincat verbum ἐγέννησε quo utitur Evangelista, quod ad successionẽ solam referri nequit. 2. Falsum Iechoniam occubuisse sine liberis, contrarium suprà ostensum, & liberi ejus disertè nominantur Salathiel, Malchiram, Pedajah & alii. 1.*Paral*.III.17.18. De sensu etiam maledictionis illius suprà actum, & ostensum illâ orbitatem ἁπλῶς non designari. 3°. Quidam arbitrantur Neri ex viduâ Iechoniæ genuisse Salathielem, & hoc ei semen suscitasse, adeoque Neri *naturalem* fuisse patrem Salathielis *à quo genitus*, Iechoniam *legalem, cui genitus* fuerit. Sed hęc sentẽtia etiam probari nequit, tum quia non constat ex Scripturâ Neri fuisse vel fratrem, vel proximum agnatum Iechoniæ ad quem jus illud pertineret, tum quia contrarium constat, Neri videlicet ab aliâ lineâ fuisse oriundum. Id ipsum etiam factum esse, gratis supponitur, nõ probatur. Sed, quod palmarium est, recurrebatur ad subsidium illud orbitatis per Leviros, tum cum quis decesserat orbus & sine prole, talem verò Iechoniam non fuisse suprà ostensum.

ostensum. 4°. Alii volunt, Neri mortuo, Iechoniam Neri uxorem duxisse, & sic fuisse vitricum Salathielis. Sed & hoc precarium, nec ob id solummodò nomen ejus insertum fuisset huic Catalogo, nec vitricus privignum dicitur γεννᾷν; secundum Matthæum verò Ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ. v. 12. 5°. Alii contendunt Neri duxisse filiam Iechoniæ, & ex eâ suscepisse Salathielem. Sed nec hoc admitti potest, tum quia precarium etiam, & à conjecturâ tantum, tum quia Scriptura Veteris Testamenti Salathielem constituit filium Iechoniæ, non Neri, cujus nulla ibi occurrit mentio, tum quia non Neri, sed Iechonias à Matthæo dicitur genuisse Salathielem. 6°. Alii volunt Salathielem fuisse filium naturalem Iechoniæ, adoptivum Neri. Sed & hoc à merâ conjecturâ, nec ob id necesse erat Neri genealogiam texi. 7°. Alii contendunt Iechoniam verum fuisse patrem Salathielis, Neri avum maternum, eò quod Iechonias duxerit filiam Neri. Sed & hæc sententia, utut maximè probabilis inter omnes, à merâ conjecturâ, neque enim constat id factum, quamvis alioquin solenne satis sit nepotes & pronepotes filios respectu avorum & proavorum vocari. Adde nec hanc solùm ob causam stemma genealogicum Neri relatum oportuisse.

Omnibus ergò sententiis his vel ut falsis, vel ut precariis rejectis, præponenda videtur solutio petita ex fundamento suprà allato, duos videlicet diversos Salathieles fuisse, unũ filium Iechoniæ, alterum filium Neri, illum ex lineâ Salomonis, istum ex lineâ Nathanis, illius meminisse Matthæum, istius Lucam. Et sanè cum alii longè ad Davidem usque fuerint majores Salathielis apud Lucam, quam Salathielis apud Mathæum, probabilius longè de diversis personis utrique Evangelistarum sermonem esse. *Chemnitius* novum scrupulum movet, & putat Patrem quẽdam tertium Salathielis constitui in *Paralipomenis*, nimirum Asir 1. *Par.* III. 17. Sed in eo fallitur vir cæteroquin eruditissimus in eximio illo opere *Harmoniæ Evangelicæ*, אסיר enim ibi *appellativum* est non *proprium*, & Epitheton Iechoniæ solummodò, ut suprà dictum, quod in captivitate genuerit Salathielem. Sic *Rabbi Mardochai Nathan, in Sepher Iair Cathib*, אסיר notat idem esse quod אסור id est, vinctum & compeditum. Quod & versiones Germanicæ *Lutheri*, & *Piscatoris*, & Gallica *Geneven-*

sium,& Latina *Tremellii ac Iunii*,& Italica CL.*Deodati* nostri optimè expresserunt.

XXIV. Quæsitum fuit *secundo* loco, quomodo conciliari debeant Matthæus & Lucas, quorum ille Zorobabelis filium ponit Abiud,Lucas Rhesa. Ad hoc dubium dupliciter responderi potest. 1. Ab illis qui sententiam primam amplectuntur, coaluisse in Salathiele lineas duas Nathanis & Salomonis, Zorobabelem videlicet duos habuisse filios,unum Abiud,alterum Rhesa, ex Abiud & posteris ejus genitum Iosephum, ex Rhesa & posteris ejus genitam Mariam. 2. Sed responderi adhuc facilius potest ab iis qui sequuntur sententiam secundam, & coalitionem utriúsque lineæ non admittunt, non mirum, diversos Zorobabeles diversos habuisse filios, Zorobabelem ex lineâ Salomonis Abiud, Zorobabelem ex lineâ Nathanis Rhesa.Imò inde firmatur sententia illa de diversis agi apud utrúmque Evangelistam: nam ut Salathielis utrobíque parentes diversi prorsus enumerantur; sic & Zorobabelis posteri diversi.Etsi verò nec Rhesa,nec Abiud inter filios Zorobabelis referantur disertè 1. *Paral.*III. quid obstat, quominus dicamus illos qui ibidem commemorantur, aut aliquos saltem ex illis fuisse binomines?vel quia hoc à conjectura,& videtur repugnare huic opinioni posteritas diversa aliquorum ex illis in *Paralipomenis* descripta, dici potest, præter filios ibidem enumeratos, Zorobabelem illum qui fuit ex lineâ Salomonis, alium quendam filium adhuc habuisse,cui nomen Abiud,cujus non meminerit Scriptura,vel quia latuit in conditione humili & abjectâ, vel quia minor natu fuit,vel aliâ aliquâ de causâ simili nobis ignotâ.Nec opus in descriptione filiorum Zorobabelis 1.*Par.*III. mentionem fieri Rhesæ, quia ille non descendit à Zorobabele illo ex lineâ Salomonis oriundo, sed à cognomine oriundo ex lineâ Nathanis.Matthæus verò & Lucas genealogiam & Abiud & Rhesæ non ex ingenio, sed ex libris authenticis & notis dubio procul hauserunt, qui illorum ætate adhuc inter Iudæos exstabant,cum non videamus vel illis, vel Christo litem ullam hâc de re motam à gravissimis etiam nominis Christiani hostibus. Et hoc est quod innuit *Author quæst. ad Orth.* in resp. ad quæst. CXXXIII. Evangelistas non pro arbitrio genealogias ejusmodi produxisse, sed ex instrumentis publicis οὐκ ἀποφάσει χρώμενοι οἱ Εὐαγγελισταὶ, inquit, τὴν ἔκθεσιν ἐποιήσαν-

τῶν ἐν ταῖς γενεαλογίαις ὀνομασθέντων, ἀλλὰ ταῖς ἐγγράφοις ἱστορίαις. Ἑβραῖοι γὰρ ἦσαν ἐξ Ἑβραίων οἱ τὰς γενεαλογίας συγγραψάμενοι ἅγιοι εὐαγγελισταί, παρ' οἷς πολλή τις ἦν σπουδὴ τοῦ ἐγγράφως ἔχειν τῆς βασιλικῆς τε καὶ Ἰσραηλιτικῆς φυλῆς τὴν γενεαλογίαν, quod exemplo ex Eſdrâ & Paralipomenis ducto ibidem confirmat. Nec mirum, vel novum in genealogiarum contexturâ interdum filios aliquos prætermitti, & illorum ſaltem genus deſcribi, qui in majore ſplendore & æſtimatione ſunt conſtituti.

XXV. Hæc ſolutio incidit etiam nodum *tertio* loco propoſitum de diverſâ poſteritate Abiud & Rheſâ, nec enim mirum, cum de diverſis prorſus ſit ſermo, alios utriuſque poſteros fuiſſe.

XXVI. *Quartus ſcrupulus* præcipuus eſt, qui multos torſit Interpretes & veteres & recentiores, quomodo Ioſephus potuerit ſimul eſſe filius & Iacobi apud Matthæum, & Heli apud Lucam? Et hic ſcrupulus *Auguſtino* præcipuè objectus fuit à *Fauſto Manichæo*, ut colligitur ex prolixâ ſuper eâ re *Auguſtini* diſputatione *lib.* III. *cap.* II. *contra Fauſtum.* Imò totam quæſtionem de diſſenſione inter duos Evangeliſtas, quâ maximè ſe offenſum quiritatur *Fauſtus, cap.* I. huc reduci poſſe docet *Auguſtinus cap.* III. *Tota*, inquit, *in hoc quæſtio eſt, quomodo potuerit duos patres habere Ioſeph?* Idem verò *Auguſtinus libro* II. *quæſt. Evangel. cap.* V. rejectâ ſententiâ illorum, qui ad diverſam unius ejuſdémq; perſonæ nomenclaturam apud Iudæos conſuetam hîc confugiunt, & eundem & Iacobum & Heli vocatum exiſtimat, tres cauſas *ſibi occurrere* inquit, *quarum aliquam Evangeliſta ſecutus ſit*, & quæ ſatisfacere poſſint quæſtioni, *quomodo potuerit habere duos patres Ioſeph? Aut enim*, ait, *unus erat huic Ioſeph naturalis pater, & alter eum adoptaverat: Aut more Iudæorum, cum ſine filiis unus deceſſiſſet, uxorem ejus propinquus accipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputavit, ut cum ab altero alteri genitus eſſet Ioſeph, convenienter duos patres habere diceretur: Aut unus Evangeliſta patrem ejus à quo genitus eſt nominavit: alter verò vel avum maternum, vel aliquem de cognatis majoribus poſuit, cui propter conſanguinitatis vinculum in filii loco Ioſeph non abſurdè conſtitueretur, ut inde jam uſque ad David non eundem quem Matthæus generationum ordinem texeret.* Secundam cauſam ipſe *Auguſtinus* rejicit, ſed ex fundamento falſo quod ipſe alibi convellit, *adoptionem ergo, inquit, ſolvere iſtam quæſtionem, aut ori-*

ginem majorum, aut aliam aliquam causam quæ in præsentiâ non occurrat. Idem docet *libro* II. *de Consensu Evāgelistarum cap.* III. ubi pluribus eandem difficultatem exequitur, & his verbis caput concludit, *homini religioso, qui quodlibet aliud quærendum potius iudicaret, quam Evangelistam crederet esse mentitum, facile occurrere, ut videat, quibus causis unus homo duos patres habere potuerit: hoc & illis calumniosis occurrere posse, nisi litigare quam considerare maluissent.* Et paulò ante ibidem, *Non alienum esset à veritate, etiamsi Lucas ab illo esse Ioseph genitum diceret, à quo fuerat adoptatus. Etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset.* Ibidem, *Quanquam si etiam Lucas genitum diceret Ioseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelistâ gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit.* Idem docet *lib.* III. *Contra Faustum cap.* III. *Usitatissimum atque facillimum esse, patrem cujúsque non eum tantum dici à quo genitus, sed etiam eum à quo quis fuerit adoptatus. Neque enim adoptionis vinculum apud antiquos alienum ab eorum moribus fuisse, cum etiam fœminas inveniamus adoptasse sibi filios non ex utero suo natos, sicut Sara ex Agar, & Lia ex ancillâ suâ, & filia Pharaonis Mosen adoptavit. Ipse autem Iacob nepotes suos filios Ioseph adoptavit.* Hinc videmus *Augustinum* in illâ potissimum sententiâ fuisse, Iosephũ unius ex illis sive Iacobi, sive Heli, & hujus potius quam illius, filium fuisse *adoptivum*, alterius *naturalem*, quod & repetit *Quæst. in Deut.* XLVI. Vt vero suprà hæc sententia à nobis rejecta fuit, *Sectione* VII. quando in genere de conciliatione Matthæi & Lucæ agebatur, sic & hic rejicitur, vel hoc saltem nomine, quod causæ nihil sit, cur Lucas tam operosè patris, à quo adoptatus fuerit Iosephus, genus descriptum voluerit sine ratione gravi, prætermissâ curâ necessariâ descriptionis genealogicæ matris, ex quâ natus Christus. Quam etiam sententiam *Augustinum*, etsi toties à se traditam & propugnatam, pro solito suo candore retractasse videmus *lib.* II. *Retract. cap.* VII. quamvis fatendum eum opinionem *Africani* amplexum fuisse, cui non magis hîc locus dandus videtur, quam sententiæ ipsius Augustini.

XXVII. Et hæc quidem est communis plerorúmque opinio, ad quam vt ad sacram anchoram confugiunt & veteres & recen-

recentiores Interpretes, unum ex illis Iosephi patrem *naturalem* fuisse, alterum *legalem*, quamvis in eo in diversa abeant, quod quidam Iacobum putent fuisse patrem *naturalem* cum Africano, Heli *legalē*, alij ex adverso Heli *naturalem* fuisse contendant, Iacobum *legalem*. Distinctionē hanc *Africani* probat *Author.quæst. ad Orth.* quæ in *Oper.Iustini*, in resp.ad quæst.cxxxi. ἐν τῇ γενεαλογίᾳ τῇ κατὰ Λουκᾶν, ὁ Ἠλεὶ μόνος ἐστὶ πατὴρ τοῦ Ἰωσὴφ κατὰ τὸν νόμον &c. & sic putat tolli omnem difficultatem, τούτου δὲ οὕτως νοουμένου, ἀναιρεῖται πᾶσα ἡ τῶν εὐαγγελιστῶν ἐπὶ τῇ γενεαλογίᾳ διαβολή, ἡ ἐκ τῆς παραγνοίας τῶν ἐκείνων φωνῶν νομισθεῖσα τοῖς παρανοήσασιν. Idem habet paulò post in resp.ad quæst.cxxxiii.ad Orthod. Iosephum duos habuisse patres, τὸν μὲν κατὰ νόμον, τὸν δὲ κατὰ φύσιν. Rationem addit, cur hoc factum voluerit Deus, ὥσπερ γὰρ, inquit, αὐτὸς ὁ Ἰωσὴφ υἱὸς μὲν ἐκλήθη τοῦ Ἠλεί, μὴ γεννηθεὶς δὲ ἐξ αὐτοῦ, ὅτι τῷ θείῳ νόμῳ οὕτως ἔδοξεν ἐκ τῆς γυναικὸς τοῦ Ἠλεὶ δοῦναι υἱὸν τῷ Ἠλεί, οὕτως ἔδοξε τῷ θεῷ, ἐκ τῆς γυναικὸς τοῦ Ἰωσὴφ δοῦναι υἱὸν τῷ Ἰωσήφ, μὴ γεννηθέντα κατὰ φύσιν ἐξ αὐτοῦ. Eandem *Africani* sententiam sequuntur in hoc quoque exemplo, ut suprà in conciliatione generali Matthæi & Lucæ, Hieronymus *Comm. in cap.*I. *Matth.* Augustinus *lib.*II.*Retract.cap.*VII.& XII. Ambrosius *in cap.*III.*Luc.* Theophylactus, Eucherius, Thomas III.*part.quæst.* XXXI.*Art.*III.& innumeri alii. Sic verò rem totá, quoad *hypothesin* propositam de duobus Iosephi patribus, explicat *Africanus* apud *Eusebium* lib.I.cap.VII. ut suprà ex parte ostésum: apud Matthæum tertium à fine reperiri Mathan, qui genuerit Iacobum Iosephi patrem: apud Lucam tertium à fine reperiri Melchi, cujus filius fuerit Heli pater itidem Iosephi: Mathan à Salomone descendentem primum ex Esthâ suscepisse Iacobum, Melchi verò descendentem à Nathane, mortuo Matthan, eâdem conjuge ductâ ex ea suscepisse Heli: Hinc Iacobum & Heli, utut ex diversis generibus satos, fratres ὁμομητρίους uterinos reperiri: Iacobum postmodum, fratre Heli absque prole exstincto, uxore ejus ducta, ex illa Iosephum & natura & ratione sibi filium produxisse: Iosephum ergo fuisse filiū Iacobi κατὰ φύσιν, καὶ κατὰ λόγον, filium verò Heli κατὰ νόμον, eo quod Iacobus frater ejus fuerit, & sic semen ei secundum legem suscitarit. Iacobum itaque fuisse Patrem naturalem, quia dicatur Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ, Lucam verò cautè non uti verbo ἐγέννησε: Vtrumque ergo Evangelistarum sibi constare. Addit *Africanus*, hæc se non à conjectu-

ra, vel ingenio, ſed à cognatis Servatoris noſtri habere, exſtitiſſe eorum memoriam dubio procul ἐν τοῖς ἀρχείοις τῶν Ἑβραϊκῶν γενῶν, ſed ab Herode exuſtas fuiſſe ἀναγραφὰς illas τῶν γενῶν, conſcientia ſuæ ignobilitatis, & æmulatione nobilitatis alienæ, ſtudioſos tamen antiquitatis, ſive memoriæ, ſive indicum ex Annalibus confectorum beneficio, nomina avitæ ſtirpis conſervaſſe, inter illos verò etiam fuiſſe eos qui δεσπόσυνοι vocati fuêre, διὰ τὴν πρὸς τὸ σωτήριον γένος συνάφειαν. Contrahit omnia hæc paucis *Euſebius* ex *Africano*, ipſius *Africani* verbis: Ματθὰν ὁ ἀπὸ Σολομῶνος ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Ματθὰν ἀποθανόντος, Μελχὶ ὁ ἀπὸ Νάθαν, ἐκ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἐγέννησε τὸν Ἡλί. Ὁμομήτριοι ἄρα ἀδελφοὶ Ἡλὶ καὶ Ἰακώβ. Ἡλὶ ἀτέκνου ἀποθανόντος, ὁ Ἰακὼβ ἀνέστησεν αὐτῷ σπέρμα γεννήσας τὸν Ἰωσὴφ, κατὰ φύσιν μὲν ἑαυτῷ, κατὰ νόμον δὲ τῷ Ἡλί. οὕτως ἀμφοτέρων υἱὸς ἦν ὁ Ἰωσήφ.

XXVIII. Ἐπίκρισιν noſtram quod attinet, certum quidem eſt Iacobum à Matthæo commemoratum *naturalem* Ioſephi patrẽ fuiſſe, quod verbũ ἐγέννησε, quo utitur Evangeliſta, ſatis ſupérque evincit, Heli verò à Lucâ, ut patrem *legalem* Ioſephi, ſenſu *Africani* recenſeri, non incertum ſolùm, ſed & parum probabile videtur, ut molliſſimè dicam, ob rationes ſequentes. 1. quæ de Eſthâ profert *Africanus*, & de duobus ejus maritis Mathan & Melchi, ἄγραφα ſunt. 2. ſunt ἀντίγραφα, *Africanus* enim Melchi apud Lucam facit patrem Heli immediatè, utpote geniti ab eo ex Eſtha: Atqui Lucas inter Heli & inter Melchi duos interſerit, Matthat & Levi verſu 23. 24. τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, τοῦ Λευὶ, τοῦ Μελχὶ, &c. & falſum eſt, quod ſupponit *Africanus*, Melchi tertium eſſe à fine, cum quintus ſaltem ſit. Hæc una ratio ex S. Scripturâ ducta errorem *Africani* apodicticè oſtendit, & ſufficere poteſt convellendis omnibus illis quæ falſo huic fundamento ſuperſtruuntur. *Beda* quidem *Commentar. in Lucam cap.* III. medetur errori *Africani*, ſubſtituto Mathat pro Melchi, ſed fidem *Africani* non liberat, cauſam erroris ſiue ad vetuſtum Codicem, ſive ad διωνυμίαν Mathat referendo, utrúmque enim precarium & à mera conjectura. Et nihil obſtat, quominus potius dicamus, non ſine ſingulari Dei providentia hallucinationẽ illam in *Africano* reperiri, ne veterũ authoritate abrepti in *Africani* ſentẽtiam & errorem pertraheremur. 3. Suprà oſtenſum *ſectione* XI. hypotheſi *Africani* admiſsâ, Iacobum quidem & Heli quod attinet, Le-

net, Leviri officium, ut fratres ὁμομητρίους, alterum alteri præſtare potuiſſe, Melchi vero, & Mathan non item, ut qui, fatente *Africano*, ex diverſis lineis oriundi erant, ille ex lineâ Nathanis, iſte ex lineâ Salomonis, & habebant diverſos patres, avos & proavos &c. Ex *Euſebio* verò Africani præcone oſtenſum ibidẽ, fœminam debuiſſe nubere ἑνὶ τῶν ἐκ τοῦ αὐτοῦ δήμου καὶ πατριᾶς τῆς αὐτῆς.

4. Scrupulus graviſſimus ſæpius jam inculcatus ſemper manet, cui bono tam anxiè & prolixè ſtemma genealogicum patris legalis Ioſephi à Lucâ deſcriptum fuerit? qui putativus ſaltem Chriſti pater erat, nõ verus, prætermiſsâ Mariæ genealogiâ quæ vera Chriſti mater. Annon, ob honorem conjugii cum Mariâ contracti, & ut eò magis conſtaret de Mariæ genealogiâ, ſufficiebat naturale Ioſephi genus proponi, & ad Davidem referri, prout id à Matthæo præſtitum? Nec enim ratio, quam attingit *Author quæſt. ad Orth.* reſp. ad quæſt. CXXXIII. ſufficere videtur, id fortè factum, ut inde conjiceremus, quemodmodum Ioſeph Heli attribuitur, etſi non ab eo, ſed ex conjuge ſaltem ejus genitus, ſic & Chriſtum Ioſepho datum, quia ex conjuge ejus, etſi non ab eò genitus. Satis clarè enim capite 1. Matthæi & alibi paſſim oſtenditur, tametſi aliquoties Ioſephus pater Chriſti vocetur, illum reverâ quidem talem nõ fuiſſe, talem tamen dici, & ob reverentiam conjugii cum matre initi, & ob curam ejus in Chriſti infantis educatione adhibitá. Non ergo, ne verus Chriſti pater Ioſephus putaretur, ut vult *Pſeudo-Iuſtinus*, opus erat tam prolixo Catalogo, & tam obſcurâ probatione, quæ ſemper ſupponit τὸ ἐν ἀρχῇ, Heli legalem Ioſephi patrem fuiſſe. Imò ex duplici genealogiâ Ioſephi ita ſolicitè à duobus Evangeliſtis deſcriptâ, error ille confirmari potius, quam convelli poterat. Quanto probabilius, Lucam, qui poſt Matthæum ſcripſit, viſâ genealogia Ioſephi, contextâ à Matthæo ex conſuetudine Hebræâ, quâ genus ſpõſæ in genere ſponſi quæri ſolebat, voluiſſe ſupplere id quod prętermiſſum erat, deſcripto ſtemmate genealogico B. Virginis, veræ Chriſti matris, ne vel ſcrupulis infirmorum, vel cavillis hoſtium Evangelii locus eſſet, & illi confirmarentur, iſti convincerẽtur de Theſews hujus veritate, Chriſtum ſecundum vaticinia prophetica verum & naturalem Davidis filium eſſe, ſive Ioſephi ſponſi in cujus familiam tranſiverat per conjugium Maria, ſive ipſius etiam Mariæ haberetur ratio.

XXIX. Hæ rationes, & aliæ id genus, validæ satis esse videntur ad expugnandam *Africani* sententiam, quæ in aliis exemplis locum habere potest, hic non item. Vnde & *Africanus* ipse, ut suprà ostensum, in Conclusione hujus solutionis & vacillationem suam prodit, & Lectorem suspensis verbis dimittit. Si verò quæratur, quomodo solvendum sit *Dubium* de duobus patribus Iosepho assignatis, Iacobo apud Matthæum, Heli apud Lucam? duplicem solutionem proponemus, utramque planam admodum, & sententiâ *Africani* longè probabiliorem.

Prima est, *Iacobum*, de quo Matthęus, fuisse verum & naturalem Iosephi patrem, *Heli* verò fuisse patrem naturalem Mariæ, & civilem Iosephi, quà generi, ratione matrimonii cum Maria filia contracti. Hoc inter alios docet *P. Galatinus* lib. VII. *cap.* XII. *quia conjuges per verum matrimonium*, inquit, *efficiebantur una caro, juxta illud Genes.* Erunt duo in carne una, *ideò pater unius conjugis, pater alterius rectè dicebatur.* Exemplum etiam ejus rei egregium adducit ibidem *Galatinus* ex *Bereschit Rabba* occasione loci *Gen.* XXXVII. 35. ubi, quando de Iacobo, nuntium de Iosephi morte acerbè ferente, sermo est, dicuntur surrexisse כל בנותיו לנחמו omnes filiæ ejus ad consolandum eum. Omnes filiæ ejus, *cur dictum est, cum Iacob unam tantum haberet filiam, scilicet Dinam? Quia non est prohibitum homini, vocare generum filium suum, & nurum filiam suam. Et quamvis inter beatissimam Virginem & Ioseph carnalis non intercesserit copula, inter eos tamen verum fuit matrimonium, quare & veri conjuges fuerunt. Eam ob rem non ineptè Ioseph dici potuit filius Heli, sive Iehojakim, qui suæ intactæ conjugis pater fuit.* Causam etiam addit ibidem *Galatinus*, cur genealogia illa ad Iosephum terminetur à Luca, id factum, *quod mos non esset Scripturarũ per mulieres genealogias texere, idcirco Lucam in genealogia gloriosæ Virginis, loco ipsius Virginis ipsum Ioseph posuisse, eúmque filium Eli, hoc est, Iehojakim nuncupasse.* Notum etiam est exemplum Noemi, in libro Ruth nurus suas, filias sæpius vocantis. Idem solenne in sermone communi, & more loquendi recepto apud omnes. Quod & ex diversa phrasi utriúsque Evangelistæ comprobari potest. Matthæus utitur verbo γεννᾷν, quod utique propriè generationem naturalem designat, Lucas sapienter ab eo abstinet, & utitur phrasi latiori, τοῦ Ηλὶ, τοῦ Ματθὰτ, quæ & generationem *naturalem*, & *legalem*, & *civilem*, imò quamvis originationem designare potest. Vnde nihil obstat quominus aliter de Io-

ſepho efferatur reſpectu Heli, aliter de majoribus Heli, ubi patres naturales denotare videtur, quemadmodum evidens eſt tales deſignari in Catalogo illorum, qui ſuperiores ſunt Nathane. Nec ob id ſequitur eandem eſſe *σχέσιν* Ioſephi & Heli, patet enim ex concluſione capitis *verſu* 38. phraſin illam non eandem in omnibus exemplis vim habere, quemadmodum enim Seth dicitur τοῦ Ἀδὰμ, ſic Adam dicitur τοῦ Θεοῦ, ubi modus loquendi idem, ſenſus diverſus, cum alia ſit *σχέσις* Sethi ad Adamum, alia Adami ad Deum: ſic alia *σχέσις* Ioſephi ad Heli, alia Heli ad Matthat &c. Diverſitatem illam ſenſus indicat optimè *Syrus* Interpres *verſu* 38. ubi pro בר ſuo, quod ubique aliàs inſerit ad explicandam phraſin græcam obſcuriorem, & *σχέσιν* filiorum ad patres, ſubſtituit verba alia, & de Adamo inquit דמן אלהא *qui ex Deo*: quod & *Arabs* habet. Etſi verò in textu græco authentico eadem ubique phraſis adhibeatur, ſenſum tamen diverſum eſſe extra controverſiam eſt. Nec mirum, vel nouum in Scriptura S. eaſdem phraſes ad diverſa ſubjecta relatas diverſum ſenſum habere, *cum prædicata*, ſecundum axioma Scholarum *talia* ſint, *qualia à ſubjectis ſuis eſſe permittuntur*. Exemplum geminum huic occurrit 1. *Cor.* III. 22. 23. *πάντα*, inquit Apoſtolus, ἡμῶν ἐστιν, ὑμεῖς δὲ, Χριστοῦ, Χριστὸς δὲ, Θεοῦ, ubi eadem phraſis, diverſa *σχέσις*, nec enim omnia noſtra ſunt ea ratione, qua vel nos Chriſti, vel Chriſtus Dei. Subordinatio enim utrobique diverſa. Sic *Ioh.* XIV. 20. Chriſtus inquit, *γνώσεσθε ὑμεῖς ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν.* At ſanè aliter Chriſtus eſt in patre, aliter Apoſtoli & fideles in Chriſto, aliter Chriſtus in illis, & tamen eadem phraſis utrobique. Similia ſunt *Ioh.* VI. 57. Sicut miſit me vivens ille pater, *κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με κἀκεῖνος ζήσεται δι᾽ ἐμέ.* XVII. 18. *Καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον.* Vnde cum S. Scriptura iiſdem phraſibus diverſos modos ſæpe exprimat, ineptum & futile eſt *Socinianorum* ſcomma urgentium contra ſatisfactionem Servatoris noſtri identitatem phraſεως. 1. *Ioh.* III. 16. ubi iubemur animas ponere pro fratribus, ut ille animam ſuam pro nobis poſuit. Nihil enim frequẽtius, in Iohãne vel in primis, diverſo eiuſdem phraſεως ſenſu. Vnde & *Arianorum & Antitrinitariorum* etiam ἔνστασις concidit, quando illi urgent verba Chriſti *Ioh.* XVII. 11. Pater ſancte *ſerva eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ἵνα ὦσιν ἓν*

καθὼς ἡμεῖς, & *versu* 22. ἵνα ὦσιν ἓν, καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν. & *versu* 23. ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοί: quasi non alia intercedat conjunctio & communio inter filium & patrem, ac inter Apostolos. Annon enim illo ipso versu exemplum clarum illis revincendis, ἠγάπησας αὐτοὺς, inquit Christus, καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας. At sanè alia ratio amoris Dei quo in filium, alia illius, quo in fideles fertur. Et sic variæ *Socini* argutiæ retundi possunt, quas nectit ex locis aliis, ubi phrases eædem *Col.* I. 24. *Gal.* I. 4. *de Servat. par.* II. *cap.* VIII. *&* *par.* III. *cap.* III. Sed è diverticulo in viam. Παρέκβασις hæc satis superque ostendit eandem phrasin Lucæ τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ &c. non necessariò eundem sensum habere.

XXX. Tametsi verò Conciliatio illa prima Matthæi & Lucæ commodissima sit, & jure meritò à CL. *Gomaro* probetur, & aliis præferatur, datur tamen *alia* adhuc solutio, quæ & ipsa commoda est & plana, siquidem dicamus verba hæc (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) esse παρένθετα, & παρένθεσιν finiamus non ut vulgò post τὸ ἐνομίζετο, sed post vocem Ἰωσὴφ, hoc sensu, Christum videlicet (ut existimabatur, filium Iosephi,) filium fuisse Heli h.e. nepotē ex Mariâ filiâ. Nihil hic coactum, & quod non fluat de plano, sive verba, sive sensum respiciamus. Consuetæ hæ παρενθέσεις in Scripturâ S. consueta filiorum, quando de nepotibus agitur, nomenclatura, & consuetus Hebræis à nepotibus ad avos transitus, præsertim ubi patres exstincti, eoque magis in hoc exemplo, quia Christus ἀπάτωρ secundum naturam humanam. Sive etiam τὸ ὡς more recepto interpretemur, sive sequamur eruditam CL. *Gomari* observationem, sensum particulæ illius ex locis parallelis variis Lucæ eruentis, res in vado est, Mariæ genealogiam hîc texi, non Iosephi, vel genealogiam Christi per Heli patrem B. virginis, & per antecessores ejus. Et hæc quidem conciliatio Matthæi & Lucæ valde mihi probatur, eóque magis, præter rationes suprà allatas, quod *Syrus* Interpres etsi παρένθεσιν expressam insertam non habeat, illam tamen exigere videatur. Sic enim habet ומסתבר הוא בר יושף *& putabatur filius Ioseph*; quæ verba utique cohærent, nec dissociari posse videntur, quin hiulca reddantur. Interpretationem hanc sequuntur & *Franc. Iunius* & CL. *Diodatus* noster in eximiâ Bibliorum Italicorum versione, ubi hæc verba parenthesi includit (*come si stimava, di Iosef,*) & indicat in notis marginalibus, filii nomen Christo tributum ne-

tum nepotem designare. Huic etiam sententiæ accedunt multi ex illis Theologis, & Pontificiis, & Orthodoxis, quos diximus supra asserere, Christi genus ex B. virginis majoribus à Lucâ deduci.

XXXI. Fatendum tamen tres etiam hîc scrupulos posse moveri, qui videntur solutiones propositas & probatas suspectas reddere. 1. Veterum multos patri Mariæ virginis, non nomẽ Heli, sed Ioachim assignare, adeoque Heli nec fuisse patrem Mariæ, nec avum maternum Christi. 2. Quæstionem redire, siquidem Ioseph ex lineâ Salomonis, Maria ex lineâ Nathanis deducantur, quî Maria nubere vel potuerit, vel debuerit Iosepho contribuli quidem, sed tamen non συγγενεῖ propinquo in eadem linea, nedum proximo? cum tamen lex nupturos arctare videatur non saltem ad eandem tribum, sed & ad eandem familiam in tribu. *Num.* XXXVI. 3. Absurdum videri, Christum non à Salomone, sed à Nathane per veram matrem descendere, & ad Salomonem saltem referri ratione patris putativi.

XXXII. Interim obseruandum, nullum ex his scrupulis solutionem datam evertere. *Non primum* 1. quia precarium *Ioachimi* nomen, & ἄγραφον in Scripturâ, tametsi à multis inter Veteres receptum. 2. Quia nomina Iehojakim & Eliakim non saltem affinia significatu & sensu, sed & promiscuè poni solita. Et sic Interpres libri Iudith apocryphi excusari aliquâ ratione potest, qui eũdem Sacerdotem magnum, quem *cap.* IV. 11. *Eliachim* vocat, vocat *cap.* XV. 9. *Ioachim*, etsi utrobique in textu græco occurrat nomen Ιωακεὶμ. Sanè II. *Reg.* XXIII. 34. & II. *Paralip.* XXXVI. 4. legimus *Eliakim* à Pharaone vocatum fuisse *Iehojakim*. Sic *Chemnitius* arbitratur nomen Eli contractum esse pro Eliakim. *P. Galatinus* lib. VII. cap. XII. inquit, ipsum Eli fuisse Iehojakim: Nam apud Syros Iehojakim, Eli & Eliakim idem esse, secundum *Philonem Iudæum*. Patrem ergo matris Messiæ Eli & Iehojakim vocatum fuisse, & utrumque nomen obtinuisse, quod ibidem probat autoritate tum R. *Haccados*, tum R. *Haccanas*. Concludit *Galatinus*, Evangelistam proprium ejus nomen accepisse, quod fuit Eli, Ecclesiam verò nomen ejus vulgare, quod fuit Iehojakim. Sed hæc omnia parum moramur, cum non videamus nomen diversum patri Mariæ in Scripturâ tribui ab eo

quo Lucas illum hoc loco designat.

XXXIII. *Secundum* scrupulum quod attinet, fatendum quidem eo non urgeri quosdam ex Interpretibus, qui arbitrantur non opus fuisse inter contribules contrahi nuptias, minus inter συγγενεῖς in eâdem tribu. Sed tamen observandum, illos, qui in hac sententiâ sunt, in gravem difficultatem se induere: quî enim, hypothesi hac positâ, hominibus vel contumacibus, vel vacillantibus in fide solidè probabunt ex genealogiâ Iosephi à Matthæo contextâ, Mariam fuisse de tribu Iudâ, eò quod Iosephus ab illâ oriundus fuerit? Imò quî probabunt, posito, Mariam fuisse contribulem Iosephi, illam oriundam fuisse ab eâdem familia, Davidis nimirum, eo quod Iosephus à Davide genus ducat? Quam tamen sequelam pro certâ & indubitatâ supponere videtur Matthæus, alioquin & frustra operam posuisset in contexendâ Iosephi genealogiâ, nec probasset institutum, & thesin *versu* 1. propositam, *Christum* nimirum *esse filium Davidis*. Vel ergo solidè hoc probat Matthæus, vel non: *si istud*, dica scribitur sacro Scriptori, imò Spiritui Sancto, qui eo amanuense usus: *si illud*, necessariò concedenda hæc hypothesis, nupturos debuisse esse συγγενεῖς, ordinariè saltem, & plerumque, & ratione tribus, & ratione familiæ, quatenus illud licebat per gradus prohibitos à Deo in Levitico ob reverentiam sanguinis. Quin & hypothesi hac negatâ, Patrum & Interpretũ plerorumque illatio evertitur, *in thesi*, ex sponsorum genere judicium fieri solitum fuisse de genere sponsarum; *in hypothesi*, eam ob causam genus Iosephi à Matthæo fuisse descriptum.

XXXIV. Vt ergo hypothesis hæc necessaria prorsus salvetur, & tamen satisfiat difficultati propositę, alia via ineunda. *Damascenus* quidem *Africanum* ex parte secutus, genealogiam & Iosephi & Mariæ texit, & utriusque proximitatem ostendere satagit *lib.* IV. *de Orthod. fide cap.* XIV. Sed quia illa *fabulosa* est, quatenus ei inserit Panthera & Barpanthera, nomina apocrypha, & *contraria* Lucæ, quatenus quem Lucas facit filium Melchi, Damascenus ejus patrem constituit, meritò exploditur. Observandum ergo ad solutionem difficultatis propositæ, 1. Eam per βίαιον retorqueri posse in patronos sententiæ *Africani*, à quibus & Melchi & Mathan à diversis lineis pariter oriundi, & contribules saltem, non συγγενεῖς in eâdem linea, statuuntur ex hypothesi

thesi eandem duxisse uxorem, Estham nimirum: quæ ergo illius matrimonii ratio, illam & hujus esse potuisse. 2. Directè respondendum, nihil obstare quominus dicamus familiam Davidicam, & utramque prosapiam & Salomonis & Nathanis ad paucos admodum sub adventum Messiæ redactam fuisse, ut eò facilius dignosci posset, adeoque mirum non esse, si, deficientibus fœminis propinquis ex lineâ Salomonis, Iosephus duxerit Mariam à Nathane quidem oriundam, oriundam tamen & ab eâdẽ tribu & ab eadẽ משפחה familiâ in tribu, Davidis nimirũ. Quin & *trunci* & *radicũ Isai* mentio *Iesa.*XI.1. hoc stirpis Davidicę quasi senium & occasum portendisse videtur. 3. Addendum legem non videri ita arctè obligasse fœminas non hæredes, vel pauperiores, qualis Maria fuit, quia in iis non tam periclitabatur causa latæ legis, translatio nimirũ hæreditatis, & sufficiebat ibi fœminam esse & ex eâdem tribu, & ab eâdem stirpe in tribu, quoad ejus fieri poterat, etsi etiam quandoque ducerentur fœminæ ex aliis familiis in eâdem tamen tribu, quando deerant fœminæ *συγγενεῖς*, quæ vel vellent, vel possent nubere cognatis suis. Et sanè *Num.*XXXVI.8. Lex videtur referri potissimùm ad בת יורשת ad *θυγατέρα ἀγχιστεύουσαν κληρονομίαν*, ut habent LXX. 4. Idem tamen dici nequit pro matrimonio Matthan & Melchi cum Esthâ, quod obtrudit *Africanus*, & nos oppugnavimus in superioribus, tum quia Scriptura S. illius non meminit, tum quia non constat Estham fuisse pauperem, & sine hæreditate instar B. Virginis, tum quia prosapia utraque & Salomonis, & Nathanis nondum adeò defecerat, prout defecisse videtur sub adventum Christi, ut opus esset transitu illo à lineâ ad lineam.

XXXIV. Scrupulus *tertius*, quem etiam *Sectione* XVI. movimus, & qui adhuc discutiendus restat, multos ex Theologis etiam Orthodoxis graviter exercuit, qui in illâ sententiâ fuerunt, debuisse Messiam descẽdere à Davide per Salomonem, & prosapiam ejus Regiam, & hanc fuisse dictam *κατ' ἐξοχὴν domum Davidis, semen Davidis*, cui promissio de Messiâ facta. *Calvinus* sanè iudiciosissimus & solidissimus Interpres acriter hoc ipsum tuetur, *Commentario in Harmoniam Evangelicam*, & eò usque provehitur, ut dicat, *si à Mariæ genealogiâ excludatur Salomo, Christum desinere esse Christum. Quicquid enim de ejus genere disseri-*

tur in solenni illâ promissione fundatum esse, Sedebit super thronum tuum successor, qui perpetuò regnabit: Ero illi in patrẽ, & ipse erit mihi in filium. Addit Calvinus, *Extra controversiam esse, hujus æterni Regis, qui promissus erat Davidi, Salomonem fuisse typum. Nec Christo aliter aptari posse promissionem, nisi quatenus ejus veritas in Salomone adumbrata fuit. Si ergo ad ipsum non referatur Christi origo, illum non posse censeri filium Davidis. Quisquis itaque Salomonem expungit à Christi genealogiâ, illum simul promissiones, in quibus agnosci debeat filius Davidis, obliterare ac delere.* Mirum utique, summum cæteroquin & accuratissimum Theologum, his rationibus expugnatum, in sententiam illam concessisse, quarum examen quia à CL. *Gomaro* prolixè susceptum, actum non agemus. Bene sanè à *Gomaro* observatum 1. Salomonem quidem typum Christi fuisse, progenitorem non item. 2. Non eandem debuisse esse vel durationem, vel conditionem regni Salomonis & Christi. 3. Ex *hypothesi Calvini* ipsius, stirpem regiam Salomonis in Ochoziâ defecisse. 4. Parum convenire legalibus successoribus Salomonis, quos substituit *Calvinus*, phrasin *gignẽdi* quâ utitur constanter Matthæus. 5. Ioasum fuisse subductum furori Athaliæ. 6. Christum non Regibus sed privatis successisse. Addamus & nos his omnibus, 1. Mariam non omninò excludi à familiâ Salomonis ex sententiâ nostrâ, quia per desponsationem cum Iosepho aliquo modo transiit velut in familiam ejus. 2. Non omnia quæ de genere Christi dicuntur in sola illa promissione fundata esse, sed & in illis quæ extant *Ies.* XI. 1. *Psal.* CXXXII. 17. quæ latiores & generales magis, nec beneficium exhibendi Messiæ arctant ad Salomonis, sed ad Davidis posteritatem, qualis fuit Nathanis prosapia, æquè ac Salomonis. 3. promissionem quæ allegatur ex II. *Sam.* VII. ad Christum optimè referri ab Apostolo *Hebr.* I. 5. non ut ad filium, sed ut ad antitypum Salomonis, quod solenne in oraculis illis mistis sive compositis, geminam χέσιν, & geminum complementum habentibus, unum in typo, alterum in antitypo.

XXXVI. Postquam jam hæc conscripseram, & colophonem imponere huic disquisitioni constitueram, incidi in dissertationem prolixam *Antonii de Dominis Archiepiscopi* quondam *Spalatensis*, quæ exstat *lib.* VI. *de Rep. Eccles. cap.* I. cujus sententiæ, quandoquidem

doquidem novum quoddam ἐπιχείρημα, & speciosum satis hic molitur,& audientiam,& examen deberi existimavi.

Summa verò eorum quæ proponit *Spalatensis*, hæc est: postquam confutasset *Armachanum*, existimantem regiam potestatem regni Iuda Christo Domino, ut homini jure hæreditario competiisse, subjicit *paragrapho* VII. Mariam Deiparam " convinci non posse ad domum & familiam David pertinuisse,& ex tribu Iuda ortam esse. Id enim Scripturam nunquam " clarè apertéque expressis verbis pronuntiare, imò eam nobis " dare conjecturam, B. Virginem fuisse ex stirpe Aaronicâ, quia " dicitur cognata Elizabet. *Luc.* 1.36. quæ tamen erat de filiabus " Aaron. Addit verò *Spalatensis*, mirari se quo pacto invaluerit opinio communis, propterea Christum fuisse filium David, quia mater Christi fuerit ex stirpe David. Opponit ille autoritatem *Hieronymi* negantis rationem habitam mulierum in " genealogiis: mulieres sæpissimè ex diversis tribubus assumi solitas fuisse, exemplo Davidis, Iojadæ, Aaronis, & Benjaminitarum: legem de non miscendis tribubus nonnisi propter possessiones datam fuisse, siquidem ergo mulier vel haberet fratres, vel nullam haberet in suâ domo possessionem, nullum " fuisse impedimentum, quominus posset in quacunque tribu " nubere. Ideóque Levitas ex omni tribu uxores duxisse, quia " possessionum erant incapaces, & consequenter fœminas. Matrem filio suo nunquam, & in nullo casu, tribum suam communicâsse, sed solum patrem, sive verum & naturalem, sive " etiam tantum legalem, & quicquid mulier parit citra adulterium, id non patri suo parere, sed viro suo seu vivẽti, seu etiam " mortuo, supplente fratre vivo pro mortuo. *Thesin* hanc transfert *Spalatensis* ad *hypothesin paragrapho* VII. & inquit, cum ex " parte matris Christus non potuerit in ullâ certâ tribu censeri, " patrem verò naturalem hominem nullum habuerit, Christum per solum patrem legalẽ civiliter & tribum Iudæ sortitum esse, & stirpem David. Illustrat hoc *Spalatensis* exemplo " Levirorum, & inquit, Spiritum S. id præstitisse respectu Iosephi, quod frater superstes fratre mortuo sine prole ex lege, " ut ergo filius ita genitus idem jus obtinebat in civilibus, ac si " naturalis ejus filius fuisset: sic Christum verum & legitimum " fuisse filium Iosephi, non naturalem, sed legalem, unde Chri- "

„ ſtum meritò propter Ioſephum,qui erat de domo & familiâ
„ Davidis,fuiſſe verum & legitimum Davidis filium,non *natu-*
„ *ralem*, ſed *legalem.* Stirpem ergo, quam *naturaliter* ſortiri nullo
„ modo nulláque ratione per hominem patrem poterat, eam
„ *legaliter* plenè & perfectè per *legalem* patrem ſortitum eſſe. E-
„ vangeliſtas itáque Matthæum & Lucam generationem Chri-
„ ſti per Ioſeph totam abſolviſſe, & meritò, quia generatio pa-
„ terna humana in Chriſto *naturalis* nulla fuerit, fuiſſe verò ſo-
„ lam *legalem*, ſeu ad modum legalis, vbi alius pro alio ſupplet.
„ Sic, *inquit Spalatenſis*, nos omninò liberari à nodis inexpli-
„ cabilibus, quibus conſtringantur illi, qui velint per Mariam
„ Chriſti humanam generationem ab Evangeliſtis poſitam ex-
„ plicare: Sic etiam literam Evangelii planam & clariſſimam
„ ad verbum retineri. Sic intelligendum eſſe Paulum, *Rom.* 1.3.
„ dicentem *Chriſtum factum eſſe ex ſemine David ſecundum carnem*,
„ illum videlicet ad *legale* potius quam *naturale* ſemen Davidis
„ reſpexiſſe, prout proles à fratre genita ſemen vocatur illius
„ *cui ſuſcepta* eſt, non illius *per quem ſuſcepta* eſt. Ita Chriſtum ſe-
„ cundum carnem. h. e. non quoad divinitatem, ſed quoad hu-
„ manitatem à Spiritu S. factum eſſe, & ſuſceptum eſſe in utero
„ uxoris Ioſeph, & conſequenter non *naturaliter* ſed *legaliter*, ſe-
„ cundum carnem ad ſemen Ioſeph pertinuiſſe. Indéque meri-
„ tò Ioſeph vocari patrem Chriſti, non naturalem, ſed putati-
„ vum, non eo ſenſu, quaſi nihil juris paterni haberet reſpectu
„ Chriſti, niſi in ſolâ hominum opinione, ſed verum fuiſſe &
„ proprium Chriſti patrem, legalem tamen, non naturalem, cum
„ vero jure paterno pleno, ut frater mortuus erat plenè pater il-
„ lius prolis, quæ à fratre ei ſuſcitabatur. Vnde & Onan *Gen.*
„ XXXVIII. 9. *quia ſciebat nō ſibi naſci filios*, noluiſſe ducere viduam
„ fratris. Concludit inde *Spalatenſis*, nullâ nos neceſſitate co-
„ gi, Mariam ex ſtirpe Davidis editam ſtatuere, & ſive reverâ
„ ex eâ fuerit (quod probabile judicat, tum ob rationem, quia
„ ordinariè ex eadem tribu uxores ducebantur, tum ob autho-
„ ritatem *Iuſtini Martyris, Tertulliani* & *Athanaſii)* ſive non fue-
„ rit, Chriſtum nihilo ſecius Davidis filium eſſe modo explica-
„ to. Sententiam ſuam firmat *Spalatenſis* teſtimonio *Authoris*
„ *quæſtionum*, quæ nomine *Iuſtini* proſtant, *quæſt.* LVI. & CXXXIII.
„ qui inter alia dicit, *ideò* DEVM *voluiſſe B. Virginem nubere viro*

qui duos

qui duos patres habuisset, unum natura, alterum ex lege, ut delinearet "
Christi ortum: ut enim divinæ legi visum, ex Levi uxore Levi dare fi- "
lium, sic placuisse DEO *ex Iosephi uxore dare Iosepho filium, quem na-* "
turâ non procreasset. "

XXXVII. Diffusius exposuimus hanc *Spalatensis* opinionem, Authorem κατ' πόδας secuti, quandoquidem non ingeniosa solùm est, & plausibilis admodum, sed & ne truncata vel elumbis proponi videretur, ut facilior ejus esset confutatio. Obstant tamen multa, quo minus illi suscribendum censeam. Nam & quæ incerta judicat *Spalatensis*, vel non necessaria, ea pro certis & necessariis habenda videntur, & quæ ille pro certis & indubitatis ponit, illa incerta & dubia esse probari potest. Tria ergo ostendenda 1. *In Thesi*, Messiam debuisse nasci è tribu Iuda, & semine Davidis, *naturali* ratione, non *legali* saltem. 2. *In hypothesi*, Christum Iesum sic ex Davide natum esse per B. Virginem. 3. Exemplum à *legalibus patribus* ductum ad Iosephum respectu Christi applicari neutiquam vel posse, vel debere: inde facilis erit ἀνασκευὴ rationum *Spalatensis*, quarum vel pleræque, vel præcipuæ saltem, contrariis nituntur fundamentis.

Primum probari potest solidissimè quatuor vaticiniis illustribus, quæ hâc de re exstant in Scripturâ: quorum unum reperitur *Gen.* XLIX.10. *Non recedet sceptrum à Iuda, & Legislator à pedibus ejus, donec veniat Schilo, &c.* Vbi 1. sine causâ de tribu Iuda potius hoc vaticinium effertur, quàm de aliâ aliqua, nisi ex eâ Messias prodire debuerit. 2. τὸ מבין רגליו *è pedibus ejus*, ἀπὸ κοινοῦ repetendum videtur, & ad *Schilo* applicandum, ut sensus sit integer, Messiam vel Schilo prodíturum *è pedibus ejus*, debuit ergo naturali generationis lege *Schilo* è tribu Iuda prodire. 3. Id ipsum prædictum diu ante latam Legem de Leviris, & generatione legali, ad illam itaque referri non debet. 4. Hæc est laus illa potissima, ob quam fratres Iudæ dicuntur eum esse laudaturi *versu* 8. 5. Hoc ipsum κριτήριον, Schilo prodíturum è tribu Iudâ, è potissimis notis semper fuit Messiæ & apud Iudæos, & apud Christianos dignoscendi. 6. Huc etiam referri potest vox שילה, quam multi interpretantur בנו *filium ejus*, scilicet Iudæ, ut ה ibi reperiatur loco affixi ו, & שיל designet *per synecdochen* fœtum, filium, quippe secundinâ, quam שיל propriè denotat, involutum in utéro materno. In hac sententiâ sunt

primipili quidam ex Iudæorũ Magiſtris, *Ab.Eſra, Kimchi & R.Bechai*, quem CL.*Buxtorfius* citat explicantem vocem Schilo hoc modo, שילה בנו שיולד משלית אשה כדרך כל הנולדים h.e. *filius ejus, qui naſcetur ex ſecundinâ mulieris, juxta viam vel conſuetudinem omnium naſcentium.* Eandem interpretationem ſequi quoque videtur Paraphraſtes Chaldæus, qui habet מלכא משיחא זעיר בנוי de verbo, *Rex Meßias parvus filiorum ejus.* Eadem interpretatio placet *Galatino* diverſis in locis, quamvis obſervatio ejus ſubtilior quam ſolidior ſit, per ה affixum fœmininum loco maſculini matrem Meſſiæ deſignari; per punctum verò maſculinum Iudam à quo proditurus ſit Meſſias, quamvis non ſine ratione tria nomina ſe invicem ſequantur cum ejuſmodi affixo miſto aliquomodo, שילה עירה & סותה, quæ LXX. vertunt τὸν πῶλον αὐτοῦ καὶ τὴν περιβολὴν αὐτοῦ, & confirmant interpretationem allatam vocis שילה, etſi & aliæ dentur quas brevitatis causâ prætermittimus. Vide *Galatinum* de iis *lib.* IV. *cap.* IV. Ejuſdem commatis eſt Cabaliſtica illa obſervatio, quã idem *Author* habet *lib.* III. *cap.* XX. ubi ex primis literis vocum יבוא שילה ולו exſculpit nomen ישו Ieſu. Interpretatio illa, quam adduximus, proba eſt & ſolida, meritò ergo inde infertur Meſſiam debuiſſe eſſe & filiũ Iudæ, & filium מבין רגליו *ex ejus femore*, ſeu *interfeminio*, ſecundum *Mercerum*, adeóque naturalem, non legalem ſaltem. Nequiquam ergo excipitur, Meſſiam talem dici ſaltem ratione patris legalis, cui genitus fuerit, frigida enim hæc alluſio, & parum conveniens tot eximiis documentis hac de re editis, præterquam quod oſtendetur poſtmodum, Ioſephum non ſuſtinuiſſe perſonam patris legalis, reſpectu Chriſti.

Sed *alterum* teſtimonium evidentiſſimum eſt & aptiſſimum huic rei confirmandæ, quod exſtat *Eſa.* XI.I. *Et egredietur virga de trunco Iſai, & ſurculus de radicibus ejus creſcet.* Vbi *Paraphr. Chald.* Meſſiam deſignari disertè teſtatur, & apodicticè idem ex attributis ſequentibus demonſtrari poteſt. At annon abſurdum fuerit dicere, Chriſtum ſaltem egreſſurum è ſemine Iſai, & radicibus ejus, reſpectu patris legalis cui genitus fuerit, contra vim & ἔμφασιν evidentem ſingulorum verborum? Non dicitur inſerenda eſſe virga illa trunco Iſai, ſed prodituraex illo (יצא inquit Propheta) & Meſſias prænuntiatur futurus non ſolùm ſurculus,

culus, sed & surculus משרשיו è *radicibus* non quibusvis, sed *ejus* videlicet Iesse. Hæc omnia, si quicquam aliud, ostendunt è domo & familiâ Davidis proditurum Messiam. Accedit *tertium* vaticinium non minus illustre, quod II.*Sam.*VII.& I.*Paral.*XXII. & ad Christum applicatur ab Apostolo *Hebr.*1.5. ubi Christus æquè ac Salomo vocatur זרע אשר יצא ממעיו *semen quod exiturum è visceribus ejus*, scilicet Davidis. Addamus *quartum* vaticinium ex *Psalmo* CXXXII.11. ubi insignis promissio Deum positurum super solio Davidis Regem מפרי בטנו *de fructu ventris ejus*, quæ à Petro disertè ad Christum applicatur *Act.*11.30. debuit ergo Christus esse ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, semen ergo *naturale*, non *legale* saltem Davidis. Vnde & eam ipsam ob causam Messias & *David*, & *filius Davidis* toties vocatur in Scripturâ, ne dubio ulli hâc in parte sit locus.

In *Hypothesi* verò Christum Iesum descendisse à Davide, ratione B.Virginis oriundæ à domo David, non saltem probabiliter conjici potest ex *Luc.* 1.27. ubi phrasis ἐξ οἴκου Δαβίδ æquè potest referri ad Mariam ac ad Iosephum, sed & firmiter concludi ex Genealogiâ ejus contextâ à Lucâ, ut ostensum suprà. Quò respicit Paulus *Rom.* 1. 3. dum inquit Christum esse γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, quæ verba emphatica admodum sunt, & frustrà torquentur à *Spalatensi* in alium sensum. Sic Apostolus *Hebr.* VII. 14. idem simpliciter pro confesso ponit, πρόδηλον, inquit, ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν.

Exemplum verò à *patribus legalibus* petitum, nec posse, nec debere ad Iosephum respectu Christi applicari, inde patet. 1. quia partus hic extraordinarius prorsus. 2. Quia Christus non suscitatus ad conservandum nomen & memoriam Iosephi, quæ causa potissima seminis legalis. 3. Quia non genitus à fratre, vel agnato Iosephi, vel ab homine mortali, sed à Spiritu Sancto. 4. Quia filii legales gignebantur, prioribus maritis jam mortuis. At Iosephus in vivis erat. 5. Quia id tum saltem solebat fieri, quando frater prior carebat sobole. At multi ex veteribus & recentioribus arbitrantur, imò ipse *Spalatensis* id se ostendisse ait *lib.*11.*cap.*2. *Iosephum ante nativitatem Christi quatuor filios ex priore uxore suscepisse, Iacobum, Iosen, Iudam & Simonē, qui fratres Domini sint nuncupati.* Quid opus ergo erat Christum Iosepho suscitari, vel considerari ut filium legaliter ei suscitatum? Nec lo-

cum habet hîc exceptio, Christum quidem non attribuendum Iosepho ut filium legalem, sed saltem ut genitum more filii legalis, tum quia hoc à cōjecturâ, tum quia nihil simile intercedit inter attributa & κριτήρια filii legalis, & inter Christum. Hæc ergo non posita saltem, sed & probata oportebat à *Spalatensi*.

XXXVIII. His ita constitutis & confirmatis, proclive nobis erit eversum ire ea quæ à *Spalatensi* super hâc re disputantur. Prætermissâ verò quæstione, quam agitat ibidem, & cujus occasione dissertationem hanc de Genealogiâ Servatoris nostri inseruit, quæ non est hujus loci, quædam sunt observanda ad ἀνασκευὴν rationum à *Spalatensi* propositarum. 1. Supponit τὸ κρινόμενον, non posse ostendi, Mariam è tribu Iudâ, & familiâ Davidis ortam esse. Contrarium demonstratum in superioribus. 2. Peccat *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim opus id αὐτολεξεὶ dici, satis si dicatur κατ' ἀκολουθίαν, ἢ διάνοιαν. 3. Peccat eodē *paralogismo* quoad ἔνστασιν de Elisabet cognatâ, cui suprà *Dub.* XIV. *Sect.* V. satisfactum. Addimus hîc saltem solutionem *Origenis lib.* I. *Explan. in Epist. ad Rom. cap.* I. qui de eadem objectione agens inquit, *cognationis nomen non saltem ad contribulem, sed & ad omnes qui sunt ex genere Israel inter se invicem posse aptari competenter, sicut & idem Apostolus de omnibus simul dicit:* Qui sunt cognati mei secundum carnem. 4. Nequicquam urget authoritatem Hieronymi *Spalatensis*, præterquam enim quod illum non habeat ὁμόψηφον in hac causa, verba allegata nec probant τὸ κρινόμενον, nec, si probarent, everterent vaticinia de Messiæ genere jam olim edita. 5. De mistione tribuum per nuptias licitâ vel illicitâ actum *Dubio* XIV. ubi & ad exempla prolata responsum. 6. Occasionem & causam latæ legis admittimus, illationis necessitatem negamus, quia etsi, ut dictum, lex διακλήρωσις vel ἐπικλήρωσις potissimùm respiceret, ad ἀκλήρωσις tamen etiam aliquo modo referebatur, quatenus per obitum fratrum aut agnatorum hæreditates ad eas devolvi poterāt, itaque & illas si non ad συγγενεῖς ita exactè, ad ὁμοφύλους tamen adstrictas fuisse. Tribus Levi aliam rationem fuisse concessum, sed hinc nihil pro illatione *Spalatensis*. 7. Matres filiis tribum non communicasse in exemplis ordinariis datur, quia id juris paterni erat, in extraordinario hoc negatur, quia deerat pater, à quo tribus peti

bus peti poſſet, adeóque peccatur *Elencho parium*, & alia Chriſti
ratio, alia aliorum filiorum. 8. Τὸ ἐν ἀρχῇ ſupponit *Spalatenſis*,
non probat, ex parte matris Chriſtum non potuiſſe in certâ tri-
bu cenſeri, cùm enim ἀπάτωρ eſſet, à ſolâ matre propriè genus
ejus duci debebat. Supponit idem, non probat Chriſtum per ſo-
lum patrem legalem, & tribum Iudæ, & ſtirpem David ſortitum
eſſe. Probationem à patribus legalibus ductam ἀνακόλουθον eſſe,
oſtenſum ſuprà. 9. Evangeliſtas Lucam æquè ac Matthæum
generationem Chriſti per Ioſephum contexuiſſe, gratis dicitur,
& ſine κυρώσει ſufficiente, contrarium de Lucâ in ſuperioribus
probatum, ubi & commentum generationis legalis quoad Chri-
ſtum exploſum, & nodi illi inexplicabiles *Spalatenſis* inciſi, & li-
tera Evangelii plana & clara nihilominus retenta. 10. Pauli
verba *Rom.*1.3. ἐμφατικώτερα, quam ut ad generationem lega-
lē ullâ veri ſpecie trahi poſſint, nec Chriſtus Ioſepho ullâ ratio-
ne ad modum filiorum legalium ſuſcitatus dici poteſt, quamvis
ei & nomen, & jus paternum ſecundum Scripturam, etſi non
plenum, ut ſupponit *Spalatenſis*, & abſolutum, ſed limitatum &
ſenſu conveniente in ſuperioribus oſtenſo, tribuatur. 11. Ne-
ceſſitatem ortus Mariæ à Davide ſatis ſupérque oſtendimus.
12. Teſtimoniũ Authoris *quæſtionum ad Orthodoxos* parum urget.
1. Quia ſubſternitur denuò fundamentum *Africani*, B. virgi-
nem nupſiſſe viro duos patres habenti, & ex uxore Levi datum
fuiſſe filium ipſi Levi. 2. Supponitur, in hunc finem datum
fuiſſe & Levi filium, & Ioſepho Chriſtum, quæ omnia gratis di-
cuntur. 3. Nec authoritas Scriptoris illius opponenda, utpo-
te quem & ipſe *Spalatenſis* fatetur eſſe ψευδεπίγραφον, & ex Pon-
tificiis *Poſſevinus* & *Bellarminus*, ex noſtris *Sylburgius*, *Scultetus*, a-
liique non γνήσιον *Iuſtini Martyris*, ſed ſcriptoris recentioris
Iuſtino fœtum eſſe demonſtrarunt, quorum rationes præcipuas
vide ſis apud CL. *Rivetum Critici ſacri* operis utiliſſimi *libro* II.
*cap.*V. Poterat *Spalatenſis* in eandem ſententiam citare Orige-
nem *lib.*1.*Explan.in Epiſt.ad Rom.* qui videtur in ſententiam il-
lius propendere, ſed tametſi & Origeni Origenem, & pleroſque
alios ex Patribus opponere liceat, fruſtra authoritates humanæ
producuntur, ubi divina præit. Vide de hac materia prolixè diſ-
putantem *Tertullianum lib. de carne Chriſti*, præſertim *cap.* XXI.
Carnem, inquit, *Chriſti non tantum Mariæ, ſed & David per Ma-*

riam, & Iesse per David sciant adhærere. Ideò hunc fructum ex lumbis David, id est, ex posteritate carnis ejus jurat illi Deus consessurum in throno ipsius. Si ex lumbis David, quanto magis ex lumbis Mariæ, ob quam(non ob cujus sponsum) *in lumbis David.* Sic *cap.* XXII. *Ergo ex semine David caro Christi, sed* secundum Mariæ carnem (nota) *ex semine David: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est David,* Certum ergo & indubitatum manet, Christum ratione B. Virginis veræ matris à tribu Iudâ, & à familiâ Davidis ortum traxisse, quod ipsum Lucas demonstrandum suscepit, stemmate genealogico Christi per Mariæ virginis majores contexto.

XXXIX. Notandum tandem pro conclusione ἐνδιηκήσεως Genealogiæ utriusque sacræ, quæ apud Evangelistas reperitur, *Bezam* in annotationibus eruditis in Lucam *cap.* III. asserere in venerandæ vetustatis Codice se reperisse apud Lucam ascendendo, ut apud Matthæum descendendo, eandem prorsus genealogiam, iis tantum adjectis quos Matthæus in tessaradecadibus constituendis prætererat, eámque ad Salomonem non ad Nathanem relatam. Addit tamen Beza receptam lectionem & Syri interpretis authoritate, & Scriptorum omnium veterum consensu confirmari, cui præjudicium afferre nolit. Fieri tamen potuisse, ut ipsis Evangelistarum temporibus Iudæi genealogiam istam, quãtum in ipsis est, depravarint, quasi fidem cæteris deChristo narrationibus hâc ratione abrogaturi. Sanè si de hoc constaret, non exigui nodi & scrupuli unâ operâ tolli possent. Sed quia parum verisimile, DEUM permissurum fuisse irrepere in contextum sacrum tam insignem depravationem, quæ Evangelistarum fidem mirum quãtum labefactaret, imò quia impossibile videtur, vel omnia, vel pleraque exemplaria, quæ in Christianorum manibus erant, adeò insigniter depravari potuisse, præstat, quod ipse *Beza* fatetur, à plurium exemplarium, quam ab unius fide pendere, & solutiones illas adhibere, quæ à nobîs suprà & allatæ & probatæ fuerunt.

DVBIVM

DVBIVM XXIII.

Quomodo conciliari possint Moses & Lucas? quorum ille Arphaxad & Sale immediatè conjungit ut patrem & filium *Gen*.x.& xi. iste interserit Kainan inter Arphaxad & Sale, *cap*. iii.36. ut illius filium, istius patrem.

EXAMEN.

Quæstionis difficultas. Duæ Interpretum Classes, Iª. Retinentium Kainan. IIª. Eundem expungentium.

Primæ sentētiæ de retinendo Kainan expositio duplex: una, *Kainan* γνήσιον *esse, & deesse in Mose:* altera, *Kainan* ὑποβολιμαῖον *quidem esse, insertum tamen à Lucâ ex versione* LXX.

Authoritates & rationes pro expositione priore, *Kainan deesse in Mose. Conciliationes variæ Mosis & Lucæ, secundum hanc expositionem. Causa duplex cur desit Kainan in Mose: secundum aliquos, voluntaria ejus prætermissio à Mose: secundum alios, expunctio ejus è Mose, vel per fraudē Iudæorum, vel per incuriam Librariorum. Authoritates & rationes* pro expositione posteriore, *Kainan saltem insertum à Lucâ ex versione* LXX. *nec deesse in Mose.*

Examen expositionis prioris *& funda-*

mentorum ejus. Vindiciæ pro integritate textus Hebraici in Thesi, & Hypothesi. Vana criminatio de Iudæis, & Librariis. Toletus, Gordonius, Torniellus, Salianus, Cottonus, Regourtius, aliique notati. Religio Iudæorum circa Codicem sacrum. Masoretharum scrupulosa diligentia. Nota utilis Masorethica contra Kainan. Confutatio variarum sententiarum de conciliatione Mosis & Lucæ per retentionem Kainan. Opinio duplex à Gomaro propugnata. Rationes Gomari pro primâ. Examen earum. Opinio ejusdem secunda. Examen. Difficultates graves. Examen expositionis posterioris *primæ sententiæ, Kainan retentum à Lucâ ex Versione* LXX. *& ob eam. Rationes oppositæ. Strictura de origine, authoritate & integritate Versionis* LXX. *Galesinius & Romanenses alii notati. Heinsius laudatus.*

Secunda Sententia de expungendo Kainan. *Authoritates & rationes pro ea. Author anonymus laudatus.* Ἐπίκρισις *Authoris.* Ἐνστάσεις *quædam. Earũ confutatio. Cornelius à Lapide laudatus. Pererius, Torniellus, Salianus notati. Beza & Capellus vindicati.*

I. VBII hujus perplexi admodum & intricati solutiones variæ quæsitæ fuerunt, paucæ repertæ, quæ vel Interpretibus, vel Lectoribus satisfacerent. Et fatendum, non sine causâ nodum hunc

dum hunc inter ἄπορα S. Scripturæ referri, & Eliâ aliquo vindice,ut *Scaliger* ait,opus habere. Vel enim Kainan ille intercessit aliquando inter Arphaxad & Sale, vel non intercessit: Si *prius*, sine causâ prætermittitur à Mose,& conturbatur calculus sacer æquè ac series genealogica Patrum: *si posterius*, sine causâ inseritur à Lucâ, nec alterutrum declinari posse videtur, quin vel Mosi dicam scribamus omittenti, quod non omittendum erat, vel Lucæ addenti, quod non erat addendum. Nec procacibus saltem ingeniis in sacros Scriptores debacchandi occasio eo ipso dari videtur, sed & infirmis de αὐθεντίᾳ sive Mosis, sive Lucæ dubitandi.

II. Solutiones & sententias Interpretum, quas videre mihi contigit,ad duas classes revoco. I. Quidam enim Kainan retinendum censent. II. Quidam eundem expungendum, & tribu movendum arbitrantur. Vtrique in scopo eodem conveniunt,& hoc ἐναντιοφανὲς inter Mosen & Lucam componere satagunt,quamvis in alia omnia eant quoad media, quibus hunc scopum assequantur. Duo hîc nobis præstanda. I. instituendum examen sententiarum singularum, & fundamentorum, quibus nituntur. II. ὑπόθεσις nostra subjicienda.

III. Notandum verò,illos qui Kainan retinendum censent, in summâ quidem rei convenire,diversis tamen & causis,& rationibus in hanc sententiam ferri. *Alii* enim Kainan γνήσιον esse arbitrantur,& meritò insertum esse à Lucâ genealogiæ sacræ: *Alii* eundem Kainan ὑποβολιμαῖον esse fatentur, nec unquam in rerum naturâ fuisse,insertum tamen à Lucâ ex versione LXX. Interpretum,& ob eam,adeoque & à nobis ob Lucæ authoritatem retinendum. Qui etiam Kainan γνήσιον arbitrantur, in varias distrahuntur opiniones. 1. *Quidam* putant Kainan *peculiarem* generationis *gradum* eumque *intermedium* constituere inter Arphaxad & Sale, ut filium illius, patrem istius. 2. *Alii* Kainan *gradum collateralem* faciunt, idque pari ratione cum diversitate aliquâ; quidam enim respectu Arphaxad eum talem volunt, quasi pater Sale legalis fuerit: quidam respectu Sale, quasi fuerit filius legalis Arphaxad, & frater Sale filii Arphaxad naturalis. 3. *Alii* Kainan nec gradum diversum, nec personam diversam à Sale esse contendunt, sed *unum eundémque* cum illo, cum idem binomius fuerit, & utrumque nomen & Sale & Kainan con-

junctim obtinuerit. Et hæc est anatome sententiarum omnium, quas super hac re apud Interpretes animadvertere potui, & quæ ad unam eandémque classem pertinent, *retinendum esse Kainan* illum, cujus mentionem facit Lucas.

IV. Kainan verò meritò retineri, multi ob has potissimùm causas contendunt. 1. Ob authoritatem Lucæ, quæ sola sufficere debeat vel pervicacissimis ingeniis expugnandis. 2. Ob authoritatem LXX. Interpretum, qui constanter tribus in locis nomen Kainan habent, *Gen.*X.24.XI.12.& I.*Paral.*1.18. nec hoc solum, sed & disertè referunt, quo anno natus fuerit, quâ ætate genuerit Sale, & quot annis post generationem illius vixerit. Testimonium verò hoc LXX. Interpretum magni fieri debere contendunt, quippe quos *eodem Spiritu, qui in Prophetis erat, scriptores sacros interpretatos esse Augustinus* tradit *lib.*XVIII. *de Civit. Dei cap.* XLIII. De quibus etiam *libro* XV. *cap.*XXIII. *Meritò credi* LXX. *Interpretes accepisse Spiritum propheticum, ut si quid ejus authoritate mutarent, atque aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neq; hoc divinitus esse dictũ dubitaretur.* Sic & *Origenes* id pro vero in divinis Scripturis habendũ docet, referẽte *Torniello*, quod LXX. Interpretes transtulerunt, cum & Apostolorum authoritate sit firmatum, & longo Ecclesiæ usu comprobatum. Vnde & *Bellarminus* inquit, eos videri *non tam interpretes fuisse, quam Prophetas, libro* II. *de verbo Dei cap.*VI. cum non sine miraculo fieri potuerit ut tantâ celeritate & tantâ consensione tantum opus conficeretur. 3. Retentio Kainan apud Lucam comprobari etiam potest authoritate *Syri* Interpretis, quem antiquissimum esse fatentur omnes, qui Kainan disertè interserit inter Arphaxad & Sale. 4. Accedunt authoritates multorum ex veteribus, secundũ *Augustinum Torniellum, Eusebii* in exordio *Chronici* sui, *Augustini lib.*XVI. *de Civit. Dei cap.*III. *Epiphanii sub finem Ancoratus* sui, & alibi, *Hæresi* LXVI. & initio *Panarii*, ubi numerat Abrahamum in vigesimâ prima generatione ab ortu rerum, quæ esset alioquin tantum vigesima, siquidem Kainan prætermittendus foret. 5. Si recentiorum etiam authoritati aliquid sit tribuendum, plerique ex Pontificiis Doctoribus Kainan retinendum censent, quorum aciem instruit *Iacobus Salianus Iesuita Avenionẽsis* in *Annalibus Ecclesiasticis Veteris Testamenti*: ex quibus præcipui sunt, *Lipomanus, Canus, Sigonius, Toletus, Bellarminus, Del-*

nus, *Delrio*, *Sa*, *Barradas*, *Salmero*, *Gordonius*, *Raderus*, *Ribera*, *Torniellius*, aliique, quibus annumerari possunt multi ex Orthodoxis, qui in eâdem sententiâ sunt.

V. Quia verò objici poterat, vix videri Kainan retinendum, eò quod Moses ejus non meminerit, sententiæ illius patroni duobus modis hoc telum declinare solent. *Quidam* enim existimant, Kainan à Mose conscio studio prętermissum fuisse, in enarratione seriei genealogicæ patrum: *Alii* contrà, eum quidem aliquando numeratum à Mose contendunt, sed addunt fuisse expūctum postmodum, vel per fraudem Iudæorum, vel per incuriam Librariorum. Qui studio omissum Kainan à Mose arbitrantur, duas potissimùm prætermissionis illius causas adducunt. 1. Mosis institutum non fuisse adeò scrupulosè exequi historiam patrum, quin ei liceret pro arbitrio aliquos prætermittere, cùm non tam singularum generationum, quàm certi numeri rationem habuerit, & duas generationum decades constituere voluerit, unam ab Adamo ad Noachum, alteram à Noacho ad Abrahamum. Ne verò hic numerus excederet in secundâ tessaradecade, prætermittendum fuisse unum generationis gradum. Rationem hanc exequitur *Salianus* Iesuita, post gregales suos *Salmeronem*, *Delrio*, & *Pererium*, aliósque. Illustrat eandē sententiam inductione tum tessaradecadum *Matthæi*, in quibus prætermissi tres Reges, tum loci *Apocalypseos* VII. ubi tribus Dan è signatorum classe expuncta legitur. *Salmero Tract.* XXVIII. *Tom.* III. addit alia exempla *Exod.* II. in Hebræâ lectione desiderari duos versus. & *Ios.* XXI. 57. verba quædam deesse, quæ sint supplēda, alioquin multa absurda secutura. 2. Causa altera omissionis voluntariæ Kainan hæc adfertur, id factum ob grande & immane aliquod ejus peccatum, vel aliam aliquam ob causam mysticam nobis ignotam, ad quam etiam confugit *Aloysius Episcopus Veronensis*, inquiens, referente *Sixto Sen. Bibl. lib.* V. *annot.* LXXXVIII. *fieri potuisse, ut Spiritus S. occulta aliqua ratione Mosis mentem permoverit, ut Cainan generationem in hujus genealogiæ serie præterierit.* Hanc rationem sequitur præter alios *Augustinus Torniellus* in *Annalibus sacris* Anno ab orbe condito 1694. Si jam quæratur ex patronis sententiæ illius, cum Moses prætermiserit Kainan, undénam LXX. ejus nomen hauserint, cum Moses non præiret? respondet *Torniellus*, loco citato, *credibile esse, Spiritum S.*

ad supplendam potissimùm sacram illorum temporum Chronologiam, suggessisse LXX. *Interpretibus, ut generationem ipsius Kainan, quam vel ex antiquissimâ traditione, vel ex historiis fide dignis, vel quod probabilius putat, ex aliis sacris libris postmodum injuriâ temporum deperditis, certam indubitatámque haberent, suo loco insererent, ad majorem verò ejus rei fidem, eandem generationem Lucam in suo Evangelio intexuisse.*

VI. Quia tamen causæ hæ parum solidæ aliis visæ fuerunt, maluerunt illi asserere, scriptum quidem aliquando à Mose Kainan, expunctum tamen sequioribus seculis, sive fraude Iudæorum, & aliorum id genus falsariorum, sive incuriâ & negligentiâ Librariorum, & vel hominum, vel temporum injuriâ corruptum hodiéque exstare Codicem Mosaicum. Rationes huic rei probandæ quatuor potissimùm produci possunt. 1. Hæreticos semper imminuisse Codicibus sacris, & illorum corruptione nihil habuisse antiquius. 2. Nihil non in odium Religionis Christianæ à Iudæis tentatum fuisse. 3. Parum credibile esse LXX. Interpretes non solùm numeraturos fuisse Kainan, sed & annos generationis & vitæ ejus, nisi ita legissent in textu Hebręo. In hac sententiâ est *Toletus Comment. in cap.* III. *Lucæ Annot.* LXI. *Existimarem potius*, inquit, *dicendum esse, in Hebræo deesse illam generationem, quæ reverâ legebatur, & à* LXX. *conversa est in græcum, non enim est credibile* LXX. *non solùm numerasse Kainan, sed etiam annos vitæ ejus, si non legissent in Hebræo; legerunt ergo, & illa exemplaria ita habebant, nec novum est illos etiam alia tunc legisse, quæ nunc non habentur vitio Scriptorum*, &c. Hoc & ante *Toletum* non displicuit *Caietano*, tametsi enim in aliam etiam sententiam propendeat, addit tamen *Commentario in caput* III. *Lucæ. Posset dici textus Hebræos modernos esse mancos, & textum interpretatum à* LXX. *fuisse integrum. Et hoc*, inquit, *credibilius est, præsertim quod apud* LXX. *scribuntur etiam anni, quibus vixit Cainan medius inter Arphacsad & Saleh, patrem Heber, tam antequam genuit Saleh, quàm post. Rationi siquidem consentaneum est, ut credantur potius manci moderni Codices, quàm ut tot viri insignes studuerint ad figmentum hoc construendum.* Idem *in Thesi* videtur statuere *Hieronymus* in *caput* III. *Epist. ad Galatas*, Codices Hebræos multa secus habuisse ante passionem Domini, Hebræósque vel invidiâ, vel odio Christianorum aliqua vel detraxisse, vel addidisse. Ad hoc etiam κρησφύγετον se recipit

in hypo-

in hypothesi, de quâ sermo, *Torniellus* loco citato: *vel Hebræum*, inquit, *Codicem, unde nostri descripti sunt, eâ in parte vetustate, aut casu aliquo corrosum, seu obliteratum fuisse, vel per errorem, ab iis qui de illo primum descripserunt, illam generationem fuisse prætermissam, idq́; post versionem* LXX. *Interpretum, alioqui illos eam in sua interpretatione non additturos fuisse; & si ipsi, aut quis alius de suo capite eam finxisset, certè S. Lucam, divino illustratum Spiritu, qui nec fallere, nec falli potest, eam in genealogia Christi minimè positurum fuisse.* 4. *Gordonius Huntlæus, & Salianus* Iesuitæ pro insititii Kainan retentione hanc rationem urgent, *quod authoritas aiens major sit negante, & ad probandum firmior*, à Lucâ verò poni disertè Kainan, à Mose prætermitti saltem, non tolli; unde plus authoritati Lucæ tribuendum esse. Et sanè cupidè arrepta fuit à multis Pontificiis Scriptoribus, quibus solenne ubique δουλεύειν τῇ ὑποθέσει, occasio hæc corruptionis arguendi Codices Hebræos, inter quos olim familiam duxit *Lindanus*, qui ob observationes alias similes non parum paratragœdiat, cuius declamationes exceperunt avidè *Cottonus* & *Regourtius* Iesuitæ, aliique ejusdem commatis homines, ut inducias causæ suæ triumphatæ pararent, pensi nihil habentes, *cum ex Scripturis arguantur, in accusationem converti ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant*, quod hæreticis sui temporis impegit *Irenæus lib.* III. *cap.* II. Et hæc est ἐξήγησις & κατασκευὴ *expositionis prioris sententiæ primæ*, illorum qui Kainan γνήσιον arbitrantur, & à Lucâ debuisse inseri ad perfectionem genealogiæ sacræ: quam expositionem suis nervis & argumentis instruximus, ne delumbata à nobis proponi videretur. Quale verò momentum habeat, ex *Examine* ejus patebit.

VII. *Posterior primæ sententiæ expositio* est, Lucam in contexturâ hac genealogicâ κατὰ πόδας secutum fuisse LXX. Interpretes, & quia illi Kainan medium collocant inter Arphaxad & Sale, Lucam idem nomen retinuisse, adeoque & à nobis ob authoritatem Lucæ retinendum esse. Id verò à Lucâ factum, non quod vel ignoraret eâ in re erratum fuisse à LXX. vel eorum fidem & authoritatem præferret Mosi, sed ob causas alias graves. 1. Vt se in re levi, & exigui momenti, per sanctam & utilem συγκατάβασιν, accommodaret captui illorum, quibus cum ipsi res erat: cum enim Versio LXX. Interpretum & in maximâ authoritate esset, sive apud gentiles recens conversos, sive apud Iudæos Hellenistas, & omnium manibus tereretur, noluisse illis

Lucam dissensu suo scrupulum non necessarium injicere, siquidem Evangelium à se conscriptum cum Codicibus Bibliorum Græcis conferrent, quos saltem, utpote Hebræi sermonis ignari, ad manus habebant. 2. Addunt sententiæ hujus assertores, non debere mirum videri, hoc à Spiritu S. factum, cum in eo nihil decedat fidei nostræ, & plus fuerit metuendum vel scãdali, vel periculi, siquidem Lucas discessisset à versione LXX. 3. Eo ipso etiam Spiritum Sanctum docere voluisse, charitati & paci multa condonanda esse, ubi non periclitatur substantia fidei, & scandala non necessaria cavenda esse. 4. Aliud esse errori publico & inveterato aliquid indulgere, & in re exigui momenti: aliud errori privato, & nondum radicato, & in re pugnante cum fundamento fidei. Prius factum à Lucâ, non posterius, adeoque idem nec trahi posse, nec debere ad exempla alia heterogenea. 5. Lucam totius Evangelii sui authoritatem in grave discrimen adducturum fuisse, siquidem apud homines vel pertinaces, vel infirmos, erroris insimulasset intẽpestivo dissensu versionem tot eximiis documentis constabilitam. 6. Alibi etiã passim & Evangelistas, & Apostolos, ubi διαφωνία quædam occurrit inter Codices Hebræum & Græcum, sequi translationem LXX. quando fundamentum salvum manet. Id jam olim observasse *Hieronymum quæst.* XLVI. *in Genes.* N. Testamenti scriptores multa ex LXX. Interpretum versione allegare, etiamsi quoad singula verba cum textu Hebræo ea non consentiant. Nullum ergo errorem esse, nec in Mose omittente Kainan, nec in Lucâ eundem inserente, non ex suo sensu, sed per συγχώρησιν & συγκατάβασιν quandam pernecessariam. Nec novum esse, Scriptores multos nõ ex suâ sententiâ, sed ex hypothesi & sensu aliorum sæpe loqui. Addunt aliqui Lucam generationes non exactè numerasse, sed scopo suo satisfactum existimasse, modò genealogiæ Christi fidem sui temporis hominibus faceret: & huc referri posse τὸ ὡς ἐνομίζετο, quo utitur Lucas, quasi innueret, se in eo non accuratum fuisse, sed satis habuisse sequi opinionem communem & vulgarem, nec ob errorem historicum litem periculosam movere voluisse in Ecclesiâ tenerâ & nascente. In hac sententiâ fuerunt multi Authores non contemnendi. Inter quos *Ado* Viennensis Episcopus qui in *Comment.* vel *Chronic. abbrev.* ætate II. inquit LXX. *Interpretes unam generationẽ, plusquam Hebraicam veritatem, posuisse,*

posuisse, quorum translationem Evangelistam Lucam hoc loco videri esse secutum. Sic *Sixtus Senensis* Biblioth. Sanctæ lib. quinto, annotat. LXXXVIII. inquit, *illa quæ de generatione Kainan & ætate ejus dicuntur, omnia redundare, & Hebraicam veritatem ea prorsus ignorare, ut quæ ponit Arphaxad genuisse Sela, & non Kainan. Hunc eundem errorem irrepsisse in Genealogiam Salvatoris nostri apud Lucam, qui ut in cæteris, ita etiam in hoc secutus sit editionem* LXX. *suis temporibus toto orbe receptißimam.* Adducit ibidem *Sixtus* locum Hieronymi dicentis, *maximè se mirari, & nescire perscrutari, quâ ratione cum in Heb. à diluvio, id est, à Noe usque ad Abraham, decem generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu S. calamum regente, nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta* LXX. *Interpretes adjecto Cainan, in Evangelio ponere maluerit.* Sed fallitur *Sixtus*, sunt enim verba non *Hieronymi*, sed *Bedæ* in præfat. in Actus Apostolorum. Sic *Caietanus* Comment. in cap. III. Lucæ, disertè inquit, *hanc generationem superfluam esse, excusari tamen Lucam, quia recensuerit genealogiam, ut invenit eam scriptam à* LXX. *apud quos scripta legitur hæc genealogia superflua; & meritò excusari, quia tunc temporis interpretatio* LXX. *erat magnæ authoritatis apud Græcos, & nationes alias.* Quē eo nomine flagellat *Ambrosius Catharinus*, cujus judicium ἀζαουρπικὸν ibidem *Sixtus* addit. Idem *Sixtus lib.* VII. *Bibl. Hær.* IV. respondens ad objectionem nescio quorum *Anabaptistarum*, hoc nomine inter alia Lucæ Evangelium proscindentium, inquit, *Evangelistam ex* LXX. *editione hanc generationem adjecisse, quamvis in Hebraicâ veritate non habeatur. Cur autem id egerit, satius esse reverenter admirari, quam anxiè disquirere, exemplo Bedæ* in præfatione Actuū Apostolicorum. Et sanè *Beda* tum ibi loco citato, tum in *Exposit.* in Lucam *cap.* III. docet, in hoc Lucam LXX. Interpretes secutum omninò fuisse. *Scito*, inquit, *beatum Lucam hanc generationē de* LXX. *Interpretum editione sumpsisse, ubi scriptum est, quod Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Kainan, & ipse Kainan, cum centum triginta fuerit annorum, genuerit Sela.* Addit ibidem Beda, *sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse poßit, Deus noverit.* Eandem sententiam sequitur *Iac. Naclantus* in Medullâ Script. S. inquiens, *Lucam posuisse generationē Cainan, non ex propria, sed ex* LXX. *Interpretum sententia*, ut per hoc ostenderet, mirum in modum in sacris literis tribuendum esse Græcorum Codicibus. Sic *Gilb. Genebrardus* lib. I. Chron. ad annum Mundi 1659. notat, *Corruptè*

apud LXX. *Arphaxad dicitur genuisse Cainam,& Caina Selam. Nam nullum exemplar Hebraicum hoc loco hujus mentionem facit. Quin etiam vetustissimi Hebræi nominatim notant à Noe ad Abraham, tantum decem esse generationes, quot erant ab Adam ad Noe. B. quidem* Lucas *cap.* III. *undecim numerat, ac Cainam infert in hunc ordinem, sed id græcorum ad quos scribebat, & quibus sola exemplaria* LXX. *nota erãt, causâ.* Etsi ibidem *Genebrardus* etiam solutionem aliam addat posse dici Arphaxad genuisse Selam per intermedium Cainam. Concludit idem suspensè, *Cum non meminerit Cainæ Moses, id B. Lucam posuisse, sive è veterum Hebræorum historiis, sive è Spiritus S. afflatu, sive ex opinione* LXX. *nõ suâ. Neque enim novum esse Scripturam loqui ex aliorum sensu & opinione, non rei veritate*, teste Augustino *lib.* II. *contr. Epist. Parmen.* Ὁμόψηφοι his authoribus sunt *Corn. Iansenius* cap. XIV. Concord. Euang. & *Iosephus Scaliger* in Eusebianis, qui disertè statuit Lucam non ex Hebræo Codice sed ex LXX. texuisse Catalogum Patrum; quibus accedit *Eugubinus*. Et hęc est *expositio posterior sententiæ primæ*. Vtramque conjunctim proposuimus, quia in eo conveniunt, *Kainan retinendum esse*, tum ob testimonium LXX. Interpretum, tum ob authoritatem Lucæ.

VIII. Quamvis verò utraque hęc expositio speciosa satis, & authoritatibus ac rationibus egregiis fulta videatur, causæ tamen graves intercedunt, quominus vel Kainan retinendum, vel alterutrã ex illis expositionibus probandam censeam. Palmarium argumentum, quod ab authoritate tum Lucæ, tum LXX. Interpretum, tum Syriacæ versionis, tum veterum quorundam ducitur, infrà examinabimus: recẽtiorum enim, Pontificiorum pręsertim, testimoniis eatenus tribuendum, quatenus illa suis se rationibus Lectori probabunt. Negandum verò, & pernegandum, Kainan ad Christi & majorum ejus genealogiam pertinere, cum nec Moses ejus meminerit, nec Scriptor Paralipomenων in descriptionibus suis genealogicis, quas tribus in locis instituunt, ubi sanè, si usquam, mentionem ejus exstare oportebat, quod unum argumentum invictum est, & sufficere potest sententiæ contrariæ expugnandæ. Vis verò ejus major erit & evidentior, ubi demonstratum fuerit geminam ἔνςασιν allatam vanam esse, & nec Kainan à Mose consultò prætermissum, nec ex eodem expunctum unquam fuisse. Notandum itaque ad ἀνασκευὴν rationum allatarum, I. supponi à patronis senten-

tiæ con-

tiæ contrariæ falſum fundamentum, non probari, Moſen videlicet ad conſtitutionem duarum decadum reſpexiſſe, quod gratis planè dicitur, cum nullum ejus rei veſtigium exſtet apud Moſen. Imò inſpectio accurata textus oſtendit, inſtitutum Moſis fuiſſe, perfectam omnibus numeris & abſolutam Adami, & poſterorum ejus genealogiam, & certam annorum ſeriem, ob Chronologiæ ſacræ integritatem, ad certum uſque intervallum exequi, ubi ſanè hiatus omnis abeſſe debet. 2. Exemplum è Matthæo allatum ἀπροσδιόνυσον eſt, & peccat *Elencho parium:* præterquam enim quod Matthæus nec temporũ vel annorum rationem habeat, diſertè ille teſſaradecadum meminit in ἀνακεφαλαιώσει ſuâ, & ad eas à ſe alluſum teſtatur, Moſes non item, non ergo eadem utriuſque ratio. Adde, in eo ipſo exemplo peccari paralogiſmo παρὰ τὸ ἑπόμενον, cauſa enim commoda dari poteſt prætermiſſionis trium Regum apud Matthæum, ut oſtenſum *Dubio* IV. prætermiſſionis Kainan non item. 3. Nec verò exemplum tribus Dan *Apocal.* VII. prætermiſſæ huc trahendum, præter rationem enim indicatam *Dub.* IV. *Sect.* XIV. ex cap. VIII. *Amoſi* 14. videmus non ſolum in illâ erectum fuiſſe idolum cum ſummâ Dei contumeliâ, & per ejus cultum graviſſimè in Deum peccatum fuiſſe, ſed & perennem cultoribus ejus, inter quos præcipui & ordinarii Danitæ, ruinam & caſum denuntiari, unde meritò à ſignatorum cenſu & felicitate excluduntur. 4. Exempla duo *Salmeronis* pari ratione ſunt ἀλλόκοτα, nec enim probari poteſt *Exod.* II. deeſſe verſum aliquem, & major Codicum Hebræorum, quam vel LXX. vel *Hieronymi* authoritas. Alter quidem filius Moſis, nimirum Eliezer, recenſetur quidem *Exod.* XVIII. ſed non ob id ſequitur, eum vel tum natum, vel ejus nativitatem loco illo *Exod.* II. inſertam fuiſſe à Moſe, utpote quã nec paraphraſtes Chald. habet, nec Interpretes plerique. Præſtat igitur dicere, redundare verſum illum in Codice græco, quam deeſſe in Hebræo. Nequicquam etiam urget *Salmero* hiatum, quem *Maſius* contendit reperiri *Ioſ.* XXI. nam & duo illi verſus 36. & 37. in Bibliis Hebręis pleriſque, Regiis etiam, exſtãt, & in paraphraſi Chaldaicâ, & in verſione LXX. unde meritò ab Interpretibus *Iſidoro, Pagnino*, in editione *Rob. Stephani*, & alibi, ut γνήσιοι, retinentur. Nec Rabbinorum *Aben Eſræ* & *Kimchi* authoritas tanti, quanti plerorumque Codicum.

Vt verò falſum, Moſen ob decadum duarum conſtructionem prætermiſiſſe Kainan: ſic pari ratione falſum, vel ob peccatum aliquod immane Kainan, vel ob cauſam aliam aliquam myſticam, nomē ejus à Moſe perpetuâ nocte fuiſſe inuolutum. Nam 1. ſupponitur gratis, peccatum ejuſmodi à Kainan admiſſum fuiſſe, non probatur. 2. Siquidem à Moſe non fuiſſet commemorandus Kainan, utique nec à Lucâ extra ſiparium producendus erat. 3. Si ob peccatum aliquod immane ullus prætermittendus fuiſſet, infauſtum Chami vel Chanaanis nomen tum ob flagitium admiſſum, tum ob maledictionem ſubſecutam potius omittendum erat, quam nomen Kainan, & tamen illius etiam Genealogia texitur. 4. Annon ſcriptor Paralipomenων, qui ſanè nec ad pſeudo-decades illas reſpexit, nec ad peccata illorum, quorum Catalogum texit, nomen Kainan expreſſiſſet? cum & *Lamechi* polygami, & *Nimrodi* Tyranni, & aliorum id genus peccatorum inſignium meminerit. 5. Myſticas cauſas hic pro arbitrio confingere, ubi Scriptura S. non præit, eſt ingenio indulgere, & ſibi & aliis ludos facere. 6. Fundamentum ſolidum dari nequit, unde derivatum fuerit nomen Kainan. Qui hîc vel ad revelationem extraordinariam confugiunt, vel ad antiquiſſimam traditionē, vel ad hiſtorias alias, vel ad libros ſacros deperditos, illi, ut mitiſſimè loquar, vel ignotum per æquè ignotum probant, vel ſupponunt gratis ea quæ probanda erant, qualia ſunt 1. Nomen Kainan aliquando à Spiritu S. fuiſſe revelatū. 2. fuiſſe revelatum Interpretibus potius, quam amanuenſi Spiritus S. nimirum Moſi. 3. Traditionem ejuſmodi fide dignam unquam exſtitiſſe. 4. Libros ſacros aliquos intercidiſſe, quibus nomen illud inſcriptum fuerit. Nec enim hîc nudę aſſertioni hominum obnoxiorum credendum, qui nomen Kainan vel in *libro bellorum Domini*, de quo ſermo *Num.* XXI. 14. vel in Catalogo piorum, aut in *libro recti*, cujus mentio II. *Sam.* 1. 18. aliquando conſignatum fuiſſe, gratis ſupponunt. Et hęc ſufficere poſſunt ad ἀνασκευὴν ſententiæ illorum, qui arbitrantur Kainan à Moſe conſultò prætermiſſum.

X. Nec verò ſolidius illi rē conficiunt, qui Kainan quidem aliquando à Moſe ſcriptum, ſed expunctum poſtmodum fuiſſe ſtatuunt, ſive per fraudem Iudæorum, ſive per incuriam Librariorum, adeoque non urgendum eſſe conſenſum textus Hebræi

Moſis,

Mosis, utpote corrupti & depravati. Nam, præterquam quod hoc gratis dicunt, probari potest solidissimè *& in thesi & in hypothesi*, criminationem hanc evanidam esse, & cum injuriâ Spiritus S. conjunctam. Non immorabimur prolixè vindicandæ textus Hebræi integritati, *in Thesi*, quod præstitum inter alios ex ipsis Pontificiis, à *Caietano, Pagnino, Ariâ Montano, Francisco Ximenio*, imò ab ipso *Bellarmino* se ipsum jugulante. De hac materiâ solidè & prolixè à nostris disputatum, & *Porcheti, Lindani, Leonis Castrii, Toleti, Perronii, Gordonii, Tornielli, Saliani, Cottoni, Regourtii*, aliorúmque cavilli retusi à Viris clarissimis *Wittakero, Mornæo, Molinæo, Chamiero, Ioh. Isaaco, Tronchino, Turretino, Mestrezato, Capello*, & aliis, qui novitiorum Iesuitarum latratus & solidè & prolixè hac in parte compescuerunt, quorum argumenta concenturiare nostri instituti non est.

Sufficiat notasse, depravationem Codicum Hebræorum, nec *admissam fuisse*, nec *potuisse admitti*, sive per fraudem *Iudæorum*, sive per incuriam *Librariorum*. *Non admissam fuisse* inde patet, quia *nec ante* Chistum natum id contigit, *nec post: Non ante*, quia nec causæ quicquam erat Iudæis, cur textum sacrum depravarent, nec id à Christo, vel Apostolis dissimulatum fuisset, qui frequenter satis & vehementer in legis ἐκδίκησιν incumbunt, siquidem vel illorum, vel Librariorum culpâ, S. Scripturæ integritas vitium passa fuisset. *Nec post Christum*, quia illustrissima de Christo vaticinia passim tanquam solis radio scripta, in Codice Hebræo hodiéque leguntur, prout legebantur olim sine syllabæ ullius mutatione. *Non potuisse etiam admitti fraudem* à Iudæis hac in parte, probat 1. Religio illa singularis, quâ circa Codices sacros versantur, quorum integritati & fortunas suas, & vitam semper posthabuêre, quod *Eusebius lib.* VII. Ευαγγ. προπαρασκ. ex *Philone* docet, πλέω δ᾽ οὖν, inquit, ἢ δισχίλια ἔτη, μὴ ῥῆμά γε αὐτοὺς μόνον τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γεγραμμένων κινῆσαι, ἀλλὰ κἂν μυριάκις αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ὑπομεῖναι θᾶττον, ἢ τοῖς ἐκείνου νόμοις καὶ ἔθεσιν ἐναντία πεισθῆναι. Imò eousque ridiculè superstitiosi deprehenduntur Iudæi circa corticem externum Scripturæ, ut tradant indicenda esse jejunia, & metuendum, ne totus mundus in pristinum Chaos, & in תהו ובהו primum redigatur, siquidem librum legis aliquando in terram decidere contingat, tantum abest ut fraudem facere sacro Codici studio sustineant. 2. Religioni huic Iudæo-

rum accessit stupenda *Masoretharum* diligentia, non saltem circa versus & voces, sed & circa singulas literas, quas, unà cum omnibus variationibus punctationis & scriptionis, non saltem in numerato habuêre, sed & scripto consignavêre, ne falsariis manibus vel locus, vel suspicio saltem daretur. Quâ etiam scrupulosâ & superstitiosâ Criticorum illorum curâ effectum est, ut ne literâ ferè trũcari textus sacer possit, quin statim deprehendatur vel fraus, vel error. Quâ de re vide CL. *Buxtorffium* in *Comment. Masorethico.* Vnde non sine causa Rabbini Masoram suam vocarunt סיג לתורה, *septum Legis.* Quod *& Elias Levita* præfat. III. lib. Masoreth Hammasoreth notat, & inquit, post laborem Masoretharum impossibile esse, vel cecidisse, vel cadere potuisse שנוי vel חלוף mutationem aut depravationem in ullos libros sacros, cum illi numerarint non saltem versus, & voces, sed & האותיות literas. 3. Augustinus *lib.* XV. *de Civit. Dei cap.* XII. rationem aliam addit, id non potuisse fieri ob Codices passim diffusos, *Absit*, inquit, *ut prudens quispiam vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longè latéque dispersis.* Quod *Ludovicus Vives* ejus Commentator hodiéque illis opponi posse docet, qui *falsatos & corruptos Codices veteris instrumenti ab Hebræis, & Novi à Græcis objiciunt.* Vide *Sixtum Senensem Bibl. Sanctæ lib.* III. *Meth. sec.* Augustinum citantem, absurdum esse, Iudæos ad hoc in unum convenisse, & odio *Christianorum* in corruptionem suorum voluminum conspirasse, ut scilicet, dum aliis inviderent scripturæ veritatem, ipsi se ipsos veritate privarent. Imò *lib.* VIII. idem *Sixtus* hoc dogma inter hæreses numerat, *hæresi secundâ*, & inquit hunc pestilentissimum errorem profiteri Anabaptistas, & illum prolixè ibidem confutat. Quod verò à Iudæorum fraudibus præservavit S. Scripturæ integritatem, id pari ratione à Librariorum incuriâ eandẽ præservare potuit, Masoretharum nimirum exacta diligentia, & Codicum complurium ubivis terrarum diffusio. Et hæc de *Thesi*, quibus observatis concidunt rationes duæ priores *Sect.* VI. productæ.

XI. *Hypothesis* verò, nõ expunctũ fuisse Kainan, probatur. 1. Quia causæ nihil fuit cur à Iudæis expungeretur, cum illius seu nominatio, seu prætermissio, nihil prorsus faciat sive ad dogmatum nostrorum confirmationem, sive ad confutationem pravitatis Iu-

tatis Iudaicæ. Et ſanè Iudæorũ rabies genuinum potius fixiſſet in vaticiniis de Chriſto exſtantibus in Scripturâ S. quæ tamen integra habemus hodiéque, per Dei gratiam, & valida ſatis ad impugnandam & expugnandam impietatem Iudaicam. 2. Nec dici poteſt per incuriam forte nomen illud prætermiſſum fuiſſe à Librariis, cum non ſolum nomen Kainan deſit in Hebræo, ſed & generatio ejus, & anni vitæ, quæ omnia per incuriam expuncta fuiſſe, ab omni probabilitatis ſpecie alienum. 3. Faciliùs quinetiam concedi poſſet, σφάλμα illud irrepſiſſe in contextum ſacrum, ſiquidem uno ſaltem loco mentio Kainan exſtaret, tribus verò locis id factum, nonniſi illis perſuaderi poteſt, qui falli volunt. 4. Addamus authoritatem Paraphr. Chald. ubi nullum veſtigium de Kainan, nec apud Onkel. nec apud Ionathanem. 5. Siquidem etiam nomen illud è Moſe fuiſſet expunctum, vel prætermiſſum per incuriam, utique nunquam id *Maſorethaarum* perſpicaciſſimorum diligentiam fugiſſet, qui non ſolum nuſquam ullius lituræ hîc meminerunt, ſed & contrarium tradunt, nullam videlicet deeſſe generationem inter Arphaxad & Sale. Nam ad *verſum* 21. 1. *Paralip.* 1. diſertè legitur in notis marginalibus Maſorethicis, ב פסו דאית בכל מליהון שין h. e. *duo verſus in quorum dictionibus omnibus Schin*, ſcilicet reperitur, quod utique falſum foret, ſiquidem Kainan inſertus aliquando fuiſſet medius inter Arphaxad & Sale. 5. Accedit & ratio illa, inſititium Kainan errorem inferre in textum ſacrum, ſic enim, uno eodemq; anno, & filius & nepos ab Arphaxad diceretur geniti, quod abſurdum; Si enim Codicem Hebræum conſulamus, reperiemus Arphaxad genuiſſe Sale anno ætatis triceſimo quinto: Si conſulamus LXX. Interpretes illo ipſo anno Arphaxad genuit patrem Sale, nimirum Kainan. Excipit *Pererius* Comment. in Gen. Diſp. XI. lib. XVI. dici poſſe, *cum in Scripturâ Hebraicâ dicitur Arphaxad natus annos triginta quinque genuiſſe filium Sale, non id eſſe intelligendum quaſi tunc actu genuerit, ſed tantum virtute ac potentia, quia eo anno genuit Kainan patrem ipſius Sale, in quo ipſe Sale, ut in patre filius, virtute ac poteſtate continebatur.* Addit *Pererius* non eſſe modum hunc inſolentem in ſacris literis, nam in Genealogiâ Salvatoris noſtri apud Matthæum dici, Ioram genuiſſe Oziam, non ſanè actu, ſed virtute, quia Ioram genuit proximè Ochoziam, proavum Oziæ,

Sed frustrà omnia, peccat enim *Pererius*. 1. *Falsâ hypoth.* Tametsi enim avi dicâtur interdum in Scripturâ gignere nepotes, & abnepotes, tamen probari nequit, in Scripturâ dici cum περιςάσει temporis, illos tum gignere nepotes, quando gignunt Patres eorum. 2. Peccat etiam *Elencho parium*, in enarratione enim generationis Iorami apud Matthæum, nulla temporum περίςασις obstat, quominus verba Matthæi commodè de generatione mediatâ Oziæ abnepotis intelligantur: in exemplo verò proposito eadem explicatio locum habere nequit, quia limitatur annus generationis Sale in textu Hebræo, & generationis quidem actualis, qui annus simul non potest esse annus generationis actualis Kainan, siquidem ille ex sententiâ LXX. pater Sale constituatur, quin patrem & filium eodem anno genitos dicamus. Adde, LXX. Interpretum computum, magnum inter generationem Kainan & Sale ponere intervallum. 6. Sic non sine causâ suspectum, in versione græca eosdem prorsus annos & generationis, & vitæ post generationem actæ, tribui Kainan & Sale. 7. Addi possunt rationes Chronologicæ, ob quas nec Kainan, nec anni CXXX. qui ei tribuuntur à LXX. sunt admittendi, quos & *Iosephus Scaliger* in proleg. in Eusebium, & alii Chronologi illustres expungunt, inter quos *Ado Viennensis*, *Beroaldus*, *Funccius*, *Calvisius*, *Heluicus & Capellus*, qui omnes connectunt immediatè Sale cum Arphaxad, inter quos tamen hiatus necessariò daretur, siquidem Kainan intermedius intercessisset. 8. Adde & *Pererium*, *Torniellum*, *Salianum*, & alios, qui pro Kainan retinendo laborant, fateri, illo ipso loco centenos annos adjectitios in totâ primâ & secundâ ætate perperam reperiri in editione græcâ, qui sint tollendi. An mirum ergo, errorem similem reperiri in insertione Kainan illius hypobolimæi? Vnde & *Augustinus* lib. xv. de Ciuit. Dei, ex sententia L. Vivis Commentatoris, *meritò deridet eos, qui plus omnino volunt haberi fidei interpretationibus, quã linguis illis, unde ad cæteras sacræ Scripturæ manarunt.* Sic *Torniellus* ad annum 1694. disertè notat, centum annos & in recensendis annis vitæ Kainan, & in similibus generationibus à correctore, vel potius corruptore textus LXX. Interpretum superadditos fuisse. Sic idem notat ad annum 131. secundum *Sixtum Senensem* summam, quæ ex textu LXX. Interpretum colligitur, eam quæ ex Hebraico resultat, in 1466. superare, & hanc discrepantiam

tam gran-

tam grandem esse, ut nullo modo conciliari posse videatur, necessariò ergo supponi debere, alterum textuum esse mendosum, & deditâ operâ fuisse corruptum. Concludit vero corruptionem in græcis Codicibus reperiri. Quid obstat ergo, quominus pari jure idipsum de insitione Kainan hujus dicamus?

XII. Hæ, & aliæ id genus rationes, graves ostendunt, *sententiæ primæ expositionem priorem*, quæ Kainan γνήσιον quidem, sed vel à Mose consultò prætermissum, vel ex eodem expunctum fuisse statuit, admittendam non esse. Concludo examen illius verbis *Pererii* lib. XVI. Disp. XI. *Illud certè mihi videtur inextricabile*, inquit, *Sic enim cum animo meo reputare soleo: aut hæc generatio Kainan ignota fuit Mosi, aut nota: ignotam fuisse Mosi, quæ perspecta fuerit & cognita* LXX. *Interpretibus, quis audeat dicere? cum Moses tanto propior, quam illi, fuerit illi ætati, solusque illorum temporum Historiam tantâ cum diligentia & cura conscripserit. Sin autem ea generatio nota fuit Mosi, cur igitur eam prætermisit? præsertim autem cum ejus generationis vel adjectio, vel detractio non parum variet Chronologiam, quæ inter Diluvium & Abrahamum à Mose describitur, quam quidem Chronologiam voluisse Mosen integrè & exactè tradere, illud est clarissimum judicium, quod seriem generationum, quæ fuerunt inter Diluuium & Abraham, distinctè & accuratè percenset, & suos cuique generationi annos subtiliter computatos propriè assignat, qui fit igitur credibile, Mosen generatione Kainan prætermissâ, vitiosam nobis Chronologiam, aut voluisse tradere, aut minimè veram inscienter tamen tradidisse?* Hæc *Pererius*, quæ veritatis fidiculæ homini duro alioquin expresserunt.

XIII. Cum itaque rationes graves obstét, quominus Kainan retinendus videatur, concidunt opiniones illorum, qui conciliationem Mosis & Lucæ, retento Kainan, moliuntur. Ne tamen indictâ causâ proscribi videátur, rationes, quibus nitūtur, succinctè perstringemus. Dictum *Sectione* III. alios Kainan *gradum intermedium* constituere inter Arphaxad & Sale, alios *collateralem* sive τοῦ Arphaxad, sive τοῦ Sale, alios velle *Kainan* unum esse ex nominibus Sale, adeoque eundem & Kainan & Sale.

XIV. Illis, qui Kainan *gradũ intermedium* inter Arphaxad & Sale constituunt, accedit etiam CL. *Gomarus*, qui eandem senten-

tiam & ratione firmat, & exemplis. Inquit ille, *Arphaxad genuisse Salachum, ut avum nepotem, mediatè videlicet, per filium Cainanum: Cainan vero eundem vt patrem proximè generasse. Ac priori modo Mosen, posteriori Lucam consentaneè intelligendum.* Rationem addit *Gomarus*, in genealogiis interdum, præterito filio, nepotem auo subjici, ut I. *Chron.* IV. I. inter Churem avum, & nepotem Schobalum, Calebum secundum (patrem Schobali I. *Chron.* II. 50.) omitti: sic in Apocrypho quarto Esræ cap. I. 2. in genealogiæ Esræ repetitione, inter Azariam & Meraiothum sex nomina (ut è I. *Chron.* VI. 7. 8. 9. liquet) prætermissa apparere.

Sed nec hæc sententia rationibus adjectis probari solidè videtur. Dabit facile veniam Vir eruditissimus modestè dissentienti in argumento ancipiti, & quam sibi jure indulsit libertatem, eam aliis haud gravatim concedet. CL. *Gomari* ergo argumentis hæc oppono. I. Sententiam hanc non saltem precariam esse & à merâ conjecturâ, sed &, pace Viri magni, falsam videri, ob rationes in antedictis allatas, quibus demonstratum, Kainan ὑποβολιμαῖον esse, & nec à Mose consultò prætermissum, nec ex eodem expunctum fuisse. 2. Probationem adjectam in genere inconsequentem videri, & peccare Elencho τῷ ἐν μέρει, interdum in genealogiis nepotem avo præterito filio subjici; ergo id factum fuisse hoc loco. 3. Causam nullam fuisse cur hîc à Mose saltus fieret, nec alia exempla similia in Mose reperiri, nec expleri hunc gradum à Mose alibi, ut nec à Scriptore Paralipomenων, sed tribus in locis Sale immediatè subjici τῷ Arphaxad. 4. Causam fuisse gravem satis Mosi, ne generationem ullam prætermitteret, calculi videlicet sacri integritatem, cujus etiam accuratam rationem habuisse Mosen, ex supputatione solicitâ annorum ab illo institutâ, evidens est. Omisso verò Kainan, non posset non turbari calculus sacer, siquidem ille intercessisset inter Arphaxad & Sale, ut à Chronologis multis ostensum. 5. Exempla allata non videntur usquequaque apposita. *Non primum ex Paralipomenis* de Chure & Schobalo. I. Quia quod prætermittitur *cap.* IV. I. expletur *cap.* II. 50. ab eodem Scriptore: quod verò à Mose prætermissum *cap.* X. nec expletur *cap.* XI. nec alibi in Mose. 2. Quia à Mose non saltem instituitur enumeratio personarum, sed & supputatio annorum, ea-

rum, eaque ſolicita & exacta, à Scriptore Paralipomenωn non item. Non mirum ergo ſaltum & hiatum aliquem reperiri in iſto, qui in illo locum non habet, ne periclitaretur Chronologia ſacra. 3. Et ſanè quod citatur ex 1.*Paral.* IV.1. parum videtur ad rem facere, cum capite illo inſtitutum Scriptoris nō fuerit omnes illos numerando percenſere, qui inter Iudam & Schobalum ſunt interjecti, (quia & alii interceſſerunt, ut ex *capite* 11. & aliis locis liquet, qui tamen non recenſentur) ſed aliquos ſaltem ex illis, Schobalum vel imprimis, ob Reaiam & poſteros ejus, quorum genus & nomina attexere ibidem Scriptor ſacer voluit; *capite* verò II.50. ubi magis exacta enumeratio genealogica, Caleb interjectus reperitur inter Churem & Schobalum. Exemplum *ſecundum* quoque ex Eſrâ Apocryphe productum à CL. *Gomaro* exigui momenti eſt, cum & Scriptor ille nullius ſit authoritatis, & eo ipſo falſi argui poſſit, quod diſcedat à Catalogo Scriptoris Canonici.

XV. Sententiam geminam illorum quod attinet, qui volunt Kainan *gradum collateralem* conſtituere, ſive ratione Arphaxad, ſive ratione Sale, neutra probanda videtur. I. *Lyranus* arbitratur Arphaxad quidem fuiſſe patrem naturalem Sale, Kainan verò legalem, & ſic ſenſum verborum Lucæ τȣ̃ Σαλὰ, τȣ̃ Καϊνὰν, τȣ̃ Ἀρφαξὰδ, eſſe, *qui Sale fuit Kainā, & fuit Arphaxad*, ſcilicet filius. Sed pręterquā quod hæc ſolutio precaria etiā ſit, & à merâ conjecturâ, causę nihil eſt, cur Sale ſolius pater legalis recēſeatur, vel illi ſoli duo aſſignentur Patres, cū tamen id ipſum de aliis non reperiatur in eâdē genealogiâ. Nec verò cōmemoratio patris illius legalis quicquā facit ad ſtemma genealogicū Chriſti, & ſufficiebat Sale patrē naturalem, æquè ac aliorū referri. Adde, hoc ipſum repugnare textui græco Lucæ, qui Kainan non ut *gradum collateralem* ratione Arphaxad, ſed ut filium ejus recenſet. II. Ejuſdem commatis eſt opinio *ſecunda*, quæ Kainan collateralem facit τȣ̃ Sale, filium nimirum Arphaxad, non naturalem, ſed legalem, & fratrem Sale: inſertum verò contendit à Lucâ genealogiæ Chriſti, æquè ac Zaram à Matthæo, quamvis nec ipſe ex progenitoribus Chriſti fuerit. Sed & hæc ſententia 1. ἄγραφος, & à conjecturâ. 2. ἀντίγραφος, nec enim Kainan collateralis conſtituitur τȣ̃ Sale apud Lucam, ſed ſuperior eo, ad quem iſte χέσιν habet, ut filius ad patrem, æquè ac alia nomina ibidem

commemorata, ad superiora, quibus subjiciuntur. 3. Ex versione LXX. unde origo Kainan illius, evidens est, illum non ut fratrem Sale, sed ut patrem ejus produci. 4. Quid opus erat proponi filium legalem Arphaxad, à quo Christus non descendit? & cui bono nomen illius insertum genealogiæ Christi? 5. Alia longè ratio Zaræ, ut quem constat fratrem fuisse Phares, testimonio & Mosis, & Matthæi, quorum uterque disertè id ipsum tradit. De Kainan verò altũ apud Mosen silentium. 6. Rationes quin etiam non contemnendæ propositæ fuerunt suprà *Dub.* III. *Sect.* VI. cur Zaræ mentio injecta fuerit à Matthæo, quales de Kainan proferri nequeunt.

XVI. Vt verò & Mosis & Lucæ harmonia adstrui probabilius possit, & Codicum Hebræorum simul ac Græcorum fides & integritas probari, quidam viri graves in hanc sententiam concesserunt, Kainan & Sale nominibus unam eandémque personam designari, & hunc esse sensum verborum Lucæ, τȣ̃ Σαλὰ, τȣ̃ Καϊνὰν, non *qui fuit Sale, qui fuit Kainan*, sed *qui fuit Sale, qui & Kainan*, h.e. qui Sale etiam vocatus fuit Kainan, ita ut nomen posterius ut Synonimum, velut ejusdem hominis nomen, priori expositionis gratiâ per *appositionem* grammaticam subnectatur. Hanc sententiam inter alios amplectuntur *Nauclerus*, *Hermanus Contractus*, in Chronicis, & *Ioh. Lucidus* lib. I. de Emend. temp. cap. VI. In eandem etiam pedibus ire videtur CL. *Gomarus*, qui in *Examine erudito Controv. de Geneal.* Christi non ita pridem publicato, illam pluribus exequitur, & ad ejus confirmationem adfert 1. exempla quædam parallela. 2. Rationem. 3. ὑποφορὰν cum suâ ἀνθυποφορᾷ. *Exempla* sunt, Sale dici Cainanis, h.e. qui Cainan, ut *Rom.* II. 4. Χριςȣ̃ τȣ̃ κυρίȣ h.e. *Christi qui Dominus*. Sic *Marcum cap.* III. 13. in recensione Apostolorum, illis Thaddæum uno nomine designatum accensere, Matthæum verò ambiguitatem illam explicare, & ostendere illum fuisse binominem, & eundem dictum simul & Lebbæum & Thaddæũ, dum inquit, *Lebbæus dictus Thaddæus*. *Ratio* adjecta à CL. *Gomaro* hæc est, ideò nomen Cainanis additum fuisse, ne scilicet quispiam, cum vulgo LXX. Interpretes secutus binominem Salachum à Cainane diversum esse existimaret. Quia verò excipi poterat, articulum adjectum non *appositionem* vel *expositionem* capite illo designare, sed σχέσιν inferioris ad superiorem, filii ad patrem,

patrẽ, prout id & antecedẽtia & consequentia ostendunt: excipit *Gomarus* per αὐθυποφορὰν, & inquit, licet verba illa præmissa τοῦ Σαλὰ & similia, sine appositione ac relatè (τοῦ scilicet υἱοῦ filii Sale) sint intelligenda, non propterea tamen necesse esse, cum additur τοῦ Καϊνὰν, id eodem modo accipi, eòquod voces ac phrases sacrarum literarum, quæ per se bifariam (ut hoc in loco) intelligi queunt, non semper frequentiori usu, sed prout subjecti conditio, & Scripturæ analogia flagitat, sint explicandæ. Hanc interpretationis normam, & communem hominum doctorum consensum, & rem ipsam, & infinita penè exempla, eaque clarissima probare. In hac ipsâ quoque genealogiâ ejus confirmationem exstare, in calce enim ejus impropriè & per Metaphoram, Adamum τοῦ Θεοῦ dici, quamvis quoad reliqua exempla articulus ille propriè accipiatur.

XVII. Sed quemadmodum solutio hæc & pia est, & commoda admodum, & ob id vel inprimis probanda, quia utrumque conjunctim præstat, & Lucam conciliat cum Mose, & fidem ac integritatem Codicum sacrorum adstruit, sic optarim sanè illam satisfacere posse Lectori, & examen accuratum sustinere. Sed fatendum, solutionem hanc, utut speciosam, gravissimis difficultatibus obnoxiam esse. Nam 1. ex versione græcâ Geneseως evidens est, Kainan proponi ut personam distinctum à Sale, imò ut patrem Sale, à quo iste genitus. Tametsi verò hæc versio authentica non sit, imò falsò inserat Kainan, ut ex parte ostensum, ex parte ostendetur ulterius, admodum tamen probabile ex versione illâ, quocunq; demum modo id factũ fuerit, insertum fuisse Kainan apud Lucam, ob rationes ante allatas. 2. Nulla potest dari ratio solida, vel apparens saltem, cur Lucas hunc solum binominem proponat, & nomini vero, quod in Mose, nomen falsum adjectum voluerit, de quo altum apud Mosen silentium. 3. Eadem hic & ratio, & significatio articuli τοῦ, quę in toto capite. Cum ergo ubique alias designet, & personam diversam, & σχέσιν inferioris ad superiorem, causæ nihil est, cur hic solummodò articulus duplicatus unam eandemque personam designet. Siquidem enim id in hoc exemplo locum habeat, quid obstat, quominus & aliis nominibus similibus, hoc capite enumeratis, eadem interpretatio affingatur? quod tamen contrarium genealogiæ à Mosę contextę. Et quî probabile Lu-

cam Lectori, sine causâ, hac ambiguitate crucem hîc figere voluisse? 4. Interpres Syrus voces illas (τοῦ Καϊνὰν) æquè reddit per בר קינן ac alias omnes antecedentes & consequentes, excepto gradu ultimo, ubi substituit דמן אלהא *qui ex Deo.* 5. Supponitur semper, non probatur, Sale fuisse binomium, & vocatum etiam Kainan, quod à conjecturâ merâ est.

XVIII. Nec vel *exempla*, vel *ratio*, vel ἀνθυποφορὰ à CL. Gomaro proposita obstare videntur, quominus expositio illa parum firma reperiatur. *Exempla* sanè allata heterogenea sunt, nec ad institutum faciunt. Nam *primum*, quod citatur ex *Rom.* 1. 4. Χριστοῦ τοῦ Κυρίου, à causa alienum 1. Quia posterius nomen *appellativum* est, non *proprium*, quale Kainan. 2. Quia illud solum ibi ponitur, & sine interpunctione ullâ, & extra seriem genealogicam, & cum subiectâ voce ὑμῶν, ubi nullum potest esse dubium, eandem personam designari. At voces (τοῦ Καϊνὰν) & in serie genealogicâ reperiuntur, & inter exempla quamplurima tum antecedentia, tum consequentia, designantia diversas personas, & relationem inferioris ad superius, & cum interpunctione consuetâ, seu expressâ, seu subintellectâ. Et sanè sola collatio duorum illorum locorum evidenter ostendit, toto cœlo distare utramque loquendi formam, & eâ apud Lucam diversas personas, apud Paulum verò eandem prorsus designari, penes quam dominium & generale potestatis in omnia, & speciale gratiæ in suos, quorum illud & ὑπεροχῇ Christi, & creationis jure, hoc præterea etiam jure redemptionis nititur. Nec verò *exemplum alterum* magis appositum, quod pace Viri Doctissimi dictum sit. Nam nulli prorsus dubium esse potest, per verba illa Matthæi eandem personam designari, quod & articulus interjectus, & posteriori nomini præpositus docet, & inserta vox (ἐπικληθείς:) Vtique ambiguitati alicui locus fuisset, siquidem Matthæus scripsisset ὁ Λεββαῖος ὁ Θαδδαῖος, cui satis supérque obviam ivit vocibus quibus utitur Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *Lebbæus cognominatus Thaddæus.* Quod & Syrus disertè & sine ullâ ambiguitate expressit, dum inquit ולבי דאתכני תדי *Et Labbi qui cognominatus est Thaddi.* Contrà, τὸ τοῦ Καϊνὰν, reddidit per ordinarium בר. Nec hinc ergo lux ulla accedit expositioni allatæ. Imò ex hoc ipso loco probari potest, quàm studiosè Spiritus S. caveat ejusmodi ambiguitates. Vt enim *versu* 3. dicitur Λεββαῖος ὁ ἐπι-

ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, ſic *verſu* 2. Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. Quando alioquin relatio notatur ad generantem, fit id claris verbis & expreſſis. Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου.

Ratio à CL. *Gomaro* propoſita ingenioſa ſanè & acuta, ſed ſubtilior, quam ſolidior. Nam 1. mos Evangeliſtarum non eſt, verſionis LXX. errores perſtringere, & cauſæ nihil erat, cur hic potius error notaretur, quam varii alii, qui majoris momenti. 2. Siquidem mens illa Lucæ fuiſſet, utique ſanè id præſtitiſſet aliis verbis: tantum enim abeſt, ut ſic confutetur error LXX. Interpretum, ut contrà ſtabiliatur, & in eo Lector confirmetur. Nam ex verbis Lucæ proclive eſt inferre, Lucam LXX. potius quam Moſis calculum probare, eo quod Kainan prætermiſſum à Moſe, ut generationem diſtinctam inſeruerit, & quidem eodem articulo prorſus, quo deſignavit patres & majores aliorum. 3. Facile fuiſſet Lucæ, ſiquidem errorem hîc ſublatum voluiſſet, ad ambiguitatem cavendam, dicere, τοῦ Σαλὰ τοῦ λεγομένου vel ἐπικληθέντος Καϊνὰν, vel alia aliquâ phraſi ſimili uti.

Ἀνθυποφορὰν quod attinet, quam *Gomarus* proponit, admitti illa poteſt in *Theſi*, ſed non in *Hypotheſi*. *In Theſi* certum eſt, phraſes Scripturæ S. eaſdem diverſimodè ſæpe accipi pro conditione diverſâ ſubjectorum, de quibus efferuntur, & prout id analogia Scripturæ flagitat, quod ſatis ſuperque inductione variorum locorum demonſtratum fuit ad *Dubia* tria ſuperiora *Sect.* XXIX. Negari tamen jure poteſt, in *Hypotheſi*; hoc locum habere in argumento, de quo agitur, ob rationes ante allatas. Inſtat *Gomarus* in calce Genealogiæ, *Adamum* dici τοῦ Θεοῦ, aliâ longe ratione, quam alii dicuntur eſſe aliorum, eodem capite, proprii videlicet filii & naturales. Reſpondeo 1. *per conceſſionem.* 2. *per negationem.* Per *conceſſionem*, ſanè aliam rationem eſſe phraſeως illius *verſu* 38. aliam in verſibus & exemplis præcedentibus, ſed peccari *Elencho parium*, & fallaciâ παρὰ τὸ ἑπόμενον: cauſa enim & evidens, & neceſſaria, cur id fiat, *conditio* videlicet *ſubjecti*, de quo phraſis illa effertur, & *analogia fidei*, quorum utrumque id flagitat, & cujus utriuſque habenda eſt ratio, ut ipſe *Gomarus* docet. Abſurdum enim foret, & impium, genitum ſtatuere Adamum à Deo, ut filium naturalem, inſtar Iacobi geniti ab Iſaaco, & Iſaaci ab Abrahamo. At v. 35. & 36. nec *natura ſubjecti*, nec *analogia Scripturæ* flagitat, ut hoc ſenſu phraſis illa ſumatur, quia

alia ratio conciliationis Mosis cum Lucâ, & verisimilior longè dari potest: *Per negationem* etiam respondendum, vel per *limitationem*. Quamvis enim versu 38. diversa sit phrasews hujus ratio *quoad speciem*, in modo filiationis & σχέσεως, quam habet Adamus ad Deum, diversa tamen non est *quoad genus*, nam & Adamus ortus à Deo, & σχέσιν habet ad Deum, ut ad superiorem, & patrem à quo descendit, & à quo vitam & Spiritum duxit, etsi per creationem, & adoptionem saltem, per generationem naturalem non item.

XIX. Vt verò *expositio prior sententiæ primæ* examen accuratum sustinere nequit, sic nec *posterior*, quam produximus, & rationibus suis instruximus *Sectione* VII. probanda videtur, ob rationes graves, quæ illi opponi possunt, quamvis multi viri magni in hac opinione fuerint, nodum propositum felicius solvi non posse, quam si dicamus Lucam in stemmate illo genealogico, quod texit, nō Codicem Hebræum, sed LXX. Interpretum versionē secutum fuisse: mirum ergo non esse, Kainan ab eo insertum. Tametsi verò plana videatur hæc solutio & facilis, urgeri tamen potest per ἀπαγωγὴν multiplicem εἰς τὸ ἀδύνατον, vel ἄλογον saltem. 1. Durum admodum est & crudum dicere, Lucam sive *conscium*, sive *ignarum*, errorem potius hominum quam ductum Spiritus Sancti secutum fuisse. Non à *Lucâ conscio* sibi erroris id fieri debuit, tum quia veritas omnibus præferenda, præsertim à Scriptore Sacro, tum quia nunquam mala facienda, ut eveniant bona. Nec à Lucâ ignaro erroris id factum dici potest, quin mēdacii arguatur, cum se ad scribendum accinxerit, instar aliorum, περὶ πραγμάτων τῶν πεπληροφορημένων. *Cap.* I. 1. & inquit *versu* 3. visum sibi fuisse scribere παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, adeóque nec in errorem inducto, nec in eo Lectores confirmare volenti. 2. Siquidem rima hæc detur, Scriptores sacros interdum potiorem Lectorum, quam rerum, quas tradiderunt, rationem habuisse, quid non ab hominibus profanis & procacibus dicetur in sacros Scriptores? nec enim locus ullus S. Scripturæ illis opponi poterit, quin in parato habeant cavillum, sacros Scriptores ibi vel ad captum & opinionem Auditorum locutos fuisse, vel aliquid erroribus sive Iudaicis, sive paganis indulsisse, & sic concidet prorsus αὐθεντία contextus sacri. 3. Quanta etiam vacillandi occasio dabitur hominibus piis, & ambigendi,

an hoc

an hoc vel illud à Spiritu S. profectum fuerit? an accommodatum ſaltem ad rationem temporum, & hominum, quibus cum res erat ſacris Scriptoribus? 4. Siquidem Lucas, ad evitandum ſcandalum Helleniſtarum, & Græcorum recens converſorum voluit ſequi verſionem LXX. retẽto Kainan, ne illis, in collatione textus græci cũ Evangelio ſuo, *αὐπλογία* ulla, vel *ἐναντιοφανὲς* ullũ objiceretur: annon hoc modo nodus adſtringitur potius, quam ſolvitur? & regeri poteſt, debuiſſe potiori jure expungi Kainan à Lucâ, ne vel Iudæis, Evangelium ipſius collaturis cum textu Hebræo, daret materiam ſcandali, vel toti Eccleſiæ Chriſtianæ crucem figeret, cum præſertim in eo parum ſitum ſit, ſive conveniat Lucæ cum LXX. Interpretibus, ſive non conveniat, in eo verò *αὐθεντία* Lucæ, & *ἀσφάλεια* fidei noſtræ periclitentur, ſi ei non cõveniat cum Moſe. Quæ quidem difficultas eo major eſt, quod non ad tempus ſcripſerit Lucas, nec paucis aliquibus, ſed Euangelium ejus ſit Catholicum, & ratione omnium temporum, & ratione quarumvis gentium ad Chriſtianiſmum converſarum, quarum ei major utique habenda fuit ratio, quam paucorum. 5. Præſtat etiam culpam hanc rejicere in Librarios, & homines erroribus obnoxios, quam in Spiritum S. vel amanuenſem ejus Lucam: quęcunque enim obtendantur rationes, hoc ſemper fixum ratúmque manebit, ſolutione hac admiſsâ, falſi quid Evangelio à Scriptore ſacro fuiſſe inſertum, ſive errore, ſive, quod pejus eſt, ſtudio. Quo nomine acriter perſtrinxit *Caietanum Ambroſius Catharinus*, referente Sixto Senenſi *Bibl. Sanctæ libro ſexto. Annotat.* CXLIII. *Bene habet*, inquit, *ergo authores ſacræ Scripturæ ſequuntur Interpretes? & qui condunt mare, unde effluunt rivuli, accipiunt à rivulis, ut creent mare?* Et paulò poſt, *Oportebat etiam excuſare Spiritum Sanctum, quod permiſerit ſuum amanuẽſem hominum authoritate duci, aut etiam ductum errare, & ita egregiâ providentiâ errorem relinquere in Evangelio. Ad hæc, nunquid Lucas expers erat Hebræi ſermonis, ut neceſſe haberet ſequi* LXX? *quod etſi fuiſſet, Apoſtoli ſaltem, qui hoc Evangelium viderunt & probaverunt, nunquid & ipſi erant ignari linguæ, ut hunc errorem non viderent? quod ſi hoc Evangelium non probarunt Apoſtoli: ergo juxta Caietani doctrinam, non habet authoritatem Scripturæ.* Sic Pererius. *Hoc Caietani reſponſum*, inquit, *perquam leve eſt. Non enim decebat B. Lucam in ſcribendo Evangelio majorem exiſtimationis vulgi, falſæ præſertim, quam*

veritatis habere rationem: & à sacris & Canonicis Scriptoribus, scriptisque omnem erroris vel imprudenter, vel inscienter admissi suspicionem propulsare oportet. 5. Addi potest, hoc absque exemplo esse, ullum ex sacris Scriptoribus, ullo loco, errorem aliorum, quicunque illi sint, secutum fuisse. Sanè & Evangelistæ, & Paulus sæpè sequuntur versionem LXX. Interpretum potius, quam cõtextum Hebraicum: sed tamen id tum solet fieri, quando sensus & substantia dictorum propheticorum retinetur in versione græcâ, nec contradicitur textui Hebræo. Hîc fieri nequit, nec enim Kainan inseri ex versione LXX. potest, quin Lucas cum Mose committatur, & genealogia patrum, simul ac Chronologia sacra periclitentur.

XX. His bene perpensis, facilis est ἀνασκευὴ rationum pro sententiâ illâ propositarum *Sectione* VII. Ad I. respondendum, absurdum esse, Spiritum S. quavis specie, & quocunque demum prætextu id fiat, errori obnoxium reddere, nec συγκατάβασιν sanctam esse posse in consensu in errore: infirmitatis sanè illorum, quibus cum ei res est, Spiritum S. rationem habere, sed veritate semper salvâ, etiam in minimis. *Quod enim cõsortium justitiæ cum injustitiâ? & quæ communio luci cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial?* II. *Cor.* VI. 14. 15. Vel minimus deflexus à veritate vitiosus est, & levissimus etiã error, gravis est, nec à patre luminum, & veritatis. Omnis ab errore dissensus, honestus est, omnis consensus, inhonestus. Præstat semper veritatem sequi, quam judicia humana, nec consultum ulli, minus sacro Scriptori, ad errorem avertendum, erroris vel authorem esse, vel fautorem. Nec veritas scrupulum injicit, sed patitur, & si patitur, injustè patitur. Siquidem etiam illorum Lucæ habenda fuit ratio, qui Evangelium ipsius cum Codicibus græcis conferre poterant, quidni & illorum ei habenda erat ratio, qui poterant illud conferre cum Codicibus Hebræis? nec cum istorum præjudicio, illorum scrupuli intempestivi cavendi erant. Imò perpẽdant apud se sententiæ contrariæ patroni, causæ nihil esse, cur hoc loco Lucas ita anxiè, & cum dispendio veritatis LXX. Interpretum versioni adhæsisse dicatur, cum tamen multis aliis in locis parum solicitus sit de consensu ejusmodi, ubi ab illâ discedit, & Hebræam potius veritatem consectatur, nec metuit offẽsam Hellenistarum. Ad 2. *respond. falsum supponi*, nihil in eo decedere fi-

dere fidei noſtræ, imò ubi ſemel ſuſpicio quamvis levis animo noſtro inſidet, ſacrum Scriptorem falſi quid ſcripſiſſe, decedit plurimùm & fidei noſtræ,& authoritati S.Scripturæ. Nec ſuſpicio illa caveri poteſt, rimâ hac ſemel admiſsâ. Præſtabat etiam *ſcandalum acceptum* per accidens naſci ex integritate ſacri Scriptoris, quam ſcandalum ultrò objici Lectori,per diſceſſum illius à Moſe,& à veritate. Ad 3.*reſpond.* Charitati ſanè, & paci multa condonanda ſæpe docet Spiritus S. ſed ſemper veritate ſalvâ. Quin & ſubſtantia fidei non poteſt non periclitari,periclitante authoritate ſacrorum Scriptorum, quæ ſacroſancta eſſe debet. Eo ipſo etiam quod ſcandala non neceſſaria cavenda jubentur, hòc vel maximè cavendum erat Lucæ, ne committi poſſet cum Moſe. Ad 4.*reſpond.*Non curari à ſacris Scriptoribus an error aliquis ſit publicus, & inveteratus, an privatus, & recens,ſed an ſit error. Vbicunque verò talis,ibi receſſus à veritate,& ab authore veritatis. Imò errori inveterato & publico majori curâ obviam eũdum, cum periculoſior longè ſit privato,& nondum radicato. Nec integritas ſacrorum Scriptorum, & immunitas eorum ab errore, res levis eſſe poteſt, quin potius non poteſt non eſſe graviſſima, utpote à quâ plurima maximi momenti capita dependent. Ad 5. *reſpond.* per *βίαιον*, Lucam totius Evangelii ſui authoritatem in grave diſcrimẽ adducturum fuiſſe, ſiquidem intempeſtivo diſſenſu erroris inſimulaſſet Moſen, & fidem ejus majoribus longè documentis conſtabilitam ſolicitaſſet. Adde, pertinacium à Lucâ rationem haberi non debuiſſe,infirmorum debuiſſe,& verò habitam fuiſſe per conſenſum ejus cum Moſe, ad quem illi erant remittendi. Ad 6. *reſpond.* ſacros ſanè Scriptores ſæpe ſequi ſolere Codices græcos ubi *διαφωνία* in verbis,non verò ubi *διαφωνία* in rebus inter illos & Codices Hebræos reperitur. Illa enim *συγχώρησις* & *συγκατάβασις* licita eſt, iſta licita non eſt. Illam etiam probat *Hieronymus*, non iſtam. Hic verò diſſenſus poſterioris generis introducitur, ſiquidem Kainan ſit inſerendus genealogiæ Patrum.

Non mirum ſanè,nec inſolens,ſacros Scriptores ſæpe ex hypotheſi, & ſenſu aliorum loqui, ſed id fit, vel quando introducuntur loquentes alii, ſive directè & explicitè, ſive implicitè & per *μίμησιν*, vel quando de aliis Scriptura S. loquitur illorum verbis. Nec tale quid reperitur, quin & rei natura, & circum-

ſtantiæ variæ teſtentur, Scripturam non loqui abſolutè, ſed ex hypotheſi. Hîc verò nihil tale apud Lucam, ſed Catalogus genealogicus ex Moſe, & ſacris Scriptoribus aliis deſumptus, ubi nulla vel leviſſima ſuſpicio eſſe poteſt, Lucam ex hypotheſi aliorum locutum eſſe. Nec cauſa erat, cur id faceret. Imò cauſa gravis erat, cur id non faceret: cum enim per hoc ipſum ſtemma genealogicum oſtenſum vellet Chriſti Servatoris genus, ad Iudæorum convictionem, & Chriſtianorũ confirmationem, ab omni rationis ſpecie alienum, illum voluiſſe perſonatum & hypobolymæum quendam Patrem infindere deſcriptioni ſuæ, quod etiam fieri non poterat, quin tota illa compages, & ſeries ἀλληλοῦχος Patrum luxaretur. Neque verò hoc telum retorqueri poteſt, Kainan ergo retinendum eſſe in Catalogo Lucæ. Ratio enim paulò poſt reddetur, cur id nec fieri debeat, nec poſſit. Falſum quin etiam, quod *Sectione* VII. adjectum fuit, Lucam generationes non exactè numeraſſe, præterquam enim quod id repugnat ſcopo illius, id ipſum facile revinci poteſt, collatione inſtitutâ generationum ab illo commemoratarum, cum iis quæ reperiuntur in libris ſacris V. Teſtamenti. Sic abſurdum planè, Lucam ſatis habuiſſe ſui temporis hominibus genealogię Chriſti fidem facere, cum non paucis, ſed omnibus, non ad tempus, ſed in perpetuum, toti Eccleſiæ Chriſtianæ & ſtemmate illo genealogico, & toto Evangelio ſuo conſultum voluerit. Fruſtra verò vexantur verba (ὡς ἐνομίζετο) cum evidens ſit illa non ad totam Lucæ genealogiam pertinere, ſed ſaltem ad deſignandam σχέσιν peculiarem, quam Chriſtus habebat ad Ioſephum, utpote diverſam omninò à σχέσει aliorum ad ſuperiores, unde ſapientiſſimè, loco neceſſario planè, à Lucâ verba illa inſerta fuerunt. Authoritates *Adonis*, *Bedæ*, *Caietani*, *Sixti*, *Genebrardi*, & aliorum, non moramur, quibus Authores alii majorum gentium magno numero opponi poſſent, ſiquidem præſidiis humanis res decidenda foret.

XXI. Quia verò præcipuum cauſæ hujus momentum in LXX. Interpretum authoritate vertitur, quibus plurimùm tribuere videtur Auguſtinus, multiq; ex Patribus aliis, in quorum ſententiam pedibus eunt Theologi multi, paucis oſtendendum, quantum eorum & authoritati, & integritati tribuendum videatur. Quâ de re jam olim lis mota & agitata inter *Auguſtinum &*

num &*Hieronymum*, quod ex *Epiſtolis* utriuſque evidens eſt. *Bellarminus* ſanè lib. II. de verbo Dei cap. VI. ut ſuprà notatum, multus eſt in commendandâ illâ verſione, inquiens inter alia, *certiſsimum eſſe, Interpretes illos optimè tranſtuliſſe, & peculiari modo Spiritum S. aſsiſtentem habuiſſe, ne quâ in re errarent, ut non tam Interpretes, quam Prophetæ fuiſſe videantur.* Sic *Galeſinius* Prot. Apoſt. in Commentario de Bibliis Græcis, inſcripto Cardinali *Montalto* prolixè perſequitur Hiſtoriam ex Ariſteâ, Ioſepho, Philone, Euſebio & aliis id genus Authoribus, de accerſitis à Ptolomæo Philadelpho LXXII. duobus ſenioribus, de liberatis ab eo Iudæis, de muneribus magnificis Hieroſolymã per legatos curatis, de libris ſacris aureis characteribus deſcriptis ad Ptolomæũ miſſis, de numero & nominibus Interpretum ad Ptolomæum ablegatorum ab Eleazaro ſummo Pontifice, de quæſtionibus Theologicis, & Politicis, & propoſitis à Rege, & ſolutis ab Interpretibus, de illorũ commigratione in inſulã Pharum, de LXXII. cellulis vel ædiculis pro numero Interpretum ibidẽ exſtructis, de miraculoſo omnium conſenſu, non ſaltem in ſententiis, ſed & in verbis, & in coagmentatione vocum, & unâ eademque ordinis ratione, ut ne dictione quidem ullâ diſſenſerint, & ſecundum Auguſtinum, *os unum tot hominibus fuerit*, non ſine peculiari Spiritus S. afflatu. Addit *Galeſinius* miraculum aliud, ſeptuaginta & duorum dierum ſpatio tam ingens opus cum ſummo omnium ſtupore confectum fuiſſe. Nec Pentateuchũ ſolùm ab iſtis Interpretibus tranſlatum in ſermonem Græcum, ſed & reliquos libros ſacros veteris inſtrumenti. Concludit *Galeſinius, divinam illam interpretationem à Vatibus potius, quam ab interpretibus ſcriptam, afflatúque cœleſti confectam eſſe.* Addit paulò poſt, ejus ſacroſanctam olim fuiſſe authoritatem. Fatetur *Galeſinius*, depravatam fuiſſe verſionem LXX. Interpretum, & incuriâ, & fraude etiam, ex verſionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliis id genus: addit tamen, editionem illam quæ Sixti V. Pontificis authoritate in lucem prodiit, vel puram & ſimplicem eſſe LXX. Seniorum interpretationem, vel certè ad eam proximè omnium accedere. Hæc ſine judicio à *Galeſinio* purpuratis Romanis obnoxio, corraſa, lectoribus pro veris & ſolidis obtruduntur. Fatẽdum utique, multos ex Patribus plus juſto tribuiſſe illi verſioni, ſive credulitate nimiâ id factum, ſive eo fine, ut facilior

& Iudæorum Hellenistarum,& gentilium per versionem illam daretur convictio, quod *Iustinum Martyrem, Tertullianum, Augustinum*, & alios dubio procul in sententiam illam pertraxit. Dubitandum tamen non est, quin hîc multa gratis conficta fuerint à Iudæis pro more gentis, ad authoritaté libris sacris conciliandam, cũ à multis quidem Authoribus dicantur, sed ex Aristeæ unius fide, ad quem tandẽ pervenitur. Ἀσύστατα varia collegit è *Scaligero*, & aliis *Iohannes Wovverius in Syntagmate de Græc. & Lat. Interpretatione Bibliorum*, quæ Patrum & Authorum aliorum, qui in hac sententiâ conspirant, ἀνιστορησίαν & παροράματα ostendunt. Vtique sanè valido stomacho opus est, ut concoqui possit narratio de LXX. cellulis, de consensu illo miro, & de exiguo temporis intervallo, quo totum opus cõfectum fertur. Quæ quidem *Hieronymum* sagacissimum Scriptorem fallere non potuerunt, quin *Prologo in Pentateuchum, Prologo in Paralipomena*, & alibi passim, in fabulas illas Iudaicas invehatur, & contẽdat Seniores ad interpretationem librorum sacrorum adhibitos, in unâ basilicâ cõgregatos contulisse, non prophetasse: quod sanè verisimilius longè, unde probanda admodum videtur *Ios. Scaligeri* sententia in *Animadvers. ad Eusebium* ad annũ MDCCXXXIV. qui Aristeæ librũ, è quo scena hæc tota instructa fuit, confictũ à Iudæis Hellenistis arbitratur, & rationes ejus rei addit, & solidas & multas, quæ ibidem videri possunt. Nec verò quicquam verisimilius conjecturâ Summi Viri *Dan. Heinsii*, qui in *Aristarcho sacro capite* X. sagacissimè originem hujus fabulæ indagavit, dum inquit, numerum Interpretum, interpretandi rationem, & quæ de separatione ac consensu tanto ambitu dicuntur ex XXIV. *Capite* secundi libri Mosis ortum habuisse, ubi dicitur Moses μετὰ ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων Ἰσραὴλ πρὸς θεὸν ἀναβεβηκέναι. Sequitur ibidem, καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς. *Hinc*, inquit Heinsius, *Historia haud dubiè de Ptolomæo, hinc famosæ illæ scenæ, quas Hieronymus illudit. Hinc inventum illud, neminem ex tanto numero in exprimendis sacris dissensisse.* Sanè commentum de LXX. cellulis explodunt etiam, præter *Hieronymum*, multi inter Pontificios, *Masius*, Præfat. in græc. edit. Iosuæ & *Bellarminus* lib. II. de verbo Dei cap. VI.

Sive verò *Ptolomæi Philadelphi* instinctu versionem illam à compluribus Senioribus adornatam statuamus, sive assentiamur

aliis

aliis, ſtatuentibus à Iudæis Alexandrinis eam fuiſſe procuratam, poſtquam Ptolemæorum imperio ſubjecti, & inter Græcos diſperſi, græcâ linguâ uti coacti fuêre: certum eſt, *authoritatem* illius haudquaquam exæquandam eſſe Moſaicæ, vel verſionem illam unquam pro authenticâ habitam, aut habēdam: ſed quamvis puram olim, humanum tamen opus fuiſſe, non divinum, ab Interpretibus, non Prophetis profectum, adeoque nec *αὐτόπνευστον*, nec *ἀξιόπιστον*, niſi quatenus reſpondet textui Hebræo. Quin & Verſio illa jam ante *Origenis* tempora vitium paſſa fuit, quod cum ad *Tetrapla, Hexapla, & Octapla* ſua adornanda excitavit, ut verſiones variæ LXX. *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Hierichuntina*, & *Nicopolitana* cum textu Hebræo, Hebræis & Græcis characteribus expreſſo, conferri poſſent. Idem, opus cōpendioſius ex LXX. & *Theodotionis* verſionibus molitus, varias notas adjecit, ut addita obelis jugulari, detracta aſteriſcis adjectis obſervari, & variantia lemniſcis ac hypolemniſcis appoſitis, agnoſci poſſent. Sed poſtmodum notæ illæ à Librariis prætermiſſæ, Verſionem LXX. laborem *Origenis*, & fructū Eccleſiæ mirum quantū corruperunt. Cum ergo jā illâ ætate corrupta fuerit LXX. verſio, & in eam multa ex aliis verſionibus græcis, Theodotionis vel in primis, illata fuerint, de quo etiam, ut & de variis ejus exemplaribus, ſæpe multúmque conqueſtus fuit *Hieronymus*, an mirum Kainan ὑποβολιμαῖον & nomen, & generationem, ſive per fraudem Hæreticorum, ſive per incuriam Librariorum in contextum ſacrum irrepſiſſe? Utique ſanè longè facilior fuit verſionis illius depravatio, ex tot Interpretationibus græcis quæ olim exſtabant, quam textus Hebræi, qui unicus, & per ſingularem Dei providentiam, ac religioſam Iudæorum curam illibatus manſit. Quam etiam textus Hebræi integritatem adſtruit ſolidè *Marcus Marinus* in Arca Noe, qui & eodem dilemmate ſuprà propoſito, quo primus *Origenes* uſus fuit, utitur, & aliud eidem rei confirmandæ addit. Nequicquam etiam *Galeſinius* verſionis LXX. tempore Sixti V. publicatæ integritatem laudat, quam *Bonfrerius* aliique inter Pontificios aliis quidem editionibus præferunt, puram tamen omninò eſſe haudquaquam aſſerere audent, imò talem non eſſe fatentur. Et ipſe *Bonfrerius* præl. in Pentat. aſſerit, in Cantico Deboræ, Regium & Baſileenſem Codices longè propius ad multorum patrum lectionem accedere, quam editionem poſtremam Romanam. Sic *Bellarminus* fatetur

lib. II. *de verbo Dei cap.* VI. Vitia in versioné græcam irrepsisse vel negligentiâ, vel malitiâ, vel ignorantiâ hominum. Et paulò post, (sine exceptione ullius Editionis) inquit, LXX. Seniorum interpretationem adhuc hodie superesse, sed adeò corruptam & vitiatam, ut omninò alia esse videatur. Probat etiam id ipsum multis argumentis, inquiens ibidem, *Valde vitiatam esse in pluribus locis, ut jam tutum non sit Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis Codicibus emendare.* Idem in sequentibus rejicit opinionem illorum, qui respondent textum Hebræum esse corruptum, ubicunque à Græco discrepat, & inquit, *Catholicos illud non debere admittere, ne fateri cogantur vulgarem editionem Latinam, quam Tridentinum Concilium authenticam esse iudicavit, totam quoque esse corruptam, cum, excepto Psalterio, Latina editio cum Hebræis Codicibus magis conveniat quam cum Græcis.* His omnibus expensis, an jam dubium ulli esse potest, si in Mose Kainan non legatur, in LXX. verò versione legatur, cujus ex illis authoritate potius standum sit? cum textum Græcum corruptum multis modis fateantur omnes, Hebræi integritatem multi etiam ex Adversariis tueantur, & facilius sit humanum opus violari, quam divinum, quod authorem suum semper præstò habet & protectorem, & vindicem. Et hæc quidem de versionis LXX. origine, authoritate & integritate inserenda erant, ne illorum opinione, qui eam pro divinâ, propheticâ, & authenticâ obtendunt, fraus fiat veritati, & Catalogus Patrum, à Mose amanuense Spiritus S. conscriptus postponatur Catalogo humana saltem authoritate consignato. Probabile tamen est, & plusquam probabile, ne ab Authoribus quidem versionis, quæ vulgò LXX. vocatur, Kainan fuisse insertum, sed potius sequioribus seculis irrepsisse. Nec enim credibile, consultò homines Legis observantes Mosen depravare voluisse, nam, ut dilemmate altero *Marci Marini* utamur, vel crediderunt Biblia vera, vel falsa; si vera, cur mutanda, si falsa, cur credenda? Quin & causa nulla erat, cur de Kainan hoc inserendo soliciti essent, & in Deum & Legem gratis peccarent. Quæ omnia probabuntur luculentius in ἐξηγήσει & ἐνδικήσει *Sententiæ secundæ*, quæ & proponenda & examinanda restat.

XXII. *Secundam* ergo *sententiã* quod attinet, multi viri graves arbitrãtur, Kainan, ut ὑποβολιμαῖον, non γνήσιον, nõ saltem in versionem

sionem græcam veteris Testamenti irrepsisse, sed & in Evangelium Lucæ, adeoque ex utroque loco expungendum esse, sive à falsariis per fraudem, sive à Librariis per oscitantiam & incuriam Catalogo majorum Christi utrobique insertus fuerit. In hac sententia sunt *Beroaldus*, *Beza*, *Cappellus*, & alii multi viri clarissimi. *Beroaldus* quidem, *lib.* 11. *Chron.* sui, disertè docet Lucam locum hunc, & alios citasse, quemadmodum eos habet Hebraica veritas, sed post illos ipsos à Librariis, vel Doctoribus aliis, ex occasione Codicum quorundam corruptorum, in quos inciderunt, specie emẽdationis, corruptos fuisse, & concludit, omnia in Codicibus græcis vitiata ex veritate Hebraicâ restituenda esse. *Iacobum Cappellum* Virum eruditissimũ, quo cum super hoc, & aliis id genus locis, Lutetiæ ante annos complures contuli, in eâdem sententia constanter fuisse memini, quam in *Historiâ* suâ *sacrâ & exoticâ* professus erat, ubi confutatis *Tornielli* argutationibus, contendit duas voces (τȣ̃ Καϊνὰν) non Evangelistę, sed Librariorum vitio superfluas reperiri, & varia ἄπορα alia addit, quæ viris eruditis & prudentibus visa fuerint mendosa, tandémque concludit, se eradere ex albo Kainanem suppositititium, fretum, 1. Authoritate omnium, quotquot exstant, Codicum Hebræorum, paraphraseωn Chaldaicarum, & Chronologiarum à Iudæis scriptarum. 2. Authoritate vulgatæ versionis quam Concilium Tridentinum jubeat haberi pro authenticâ, & omnium versionum Pentateuchi, præter græcam. 3. Authoritate *Eusebii* & *Theophili*. 4. *Iosephi* historici epilogismis. 5. *Berosi* Chaldæi, LXX. Interpretibus antiquioris, testimonio, Abrahamum in decimâ post diluvium generatione collocantis. 6. *Epiphanii* suffragio in hęresi Melchisedekianorum. Sic CL. *Beza* in notis in v. 36. *cap.* III. Lucæ, *Ante nomen Arphaxad*, inquit, *legitur*, *(τȣ̃ Καϊνὰν) quod non dubitavi expungere, sequutus authoritatem Mosis*, Gen. XI. 12. *& mei vetustissimi Codicis. Benedictus Pererius* hanc sententiam etiam citat inter alias, *Comment. in Genes. lib.* XVI. XI. *Disput.* generationem Cainan mendosè adjectam fuisse, primùm quidem translationi LXX. Interpretum, & post genealogiæ Dominicæ apud Lucam. Addit *Pererius*, triplicem conjecturam nec levem, nec contemnendam afferri posse ad opinationis illius confirmationem. 1. *B. Hieronymum* in *Traditionibus Hebraicis*

in Genesin, omnem dissonantiam lectionis, quæ est in libro Geneseως inter Codices Hebræos & LXX. curiosè pervestigasse, & diligenter annotasse, dissonantiam verò hanc, quæ est circa generationem Cainan, adeò insignem & notabilem, ne verbo quidem attigisse. Ex eo licere intelligere, non extitisse generationem illam in libris LXX. Interpr. quos tunc habuit Hieronymus. 2. *Iosephum*, qui ferè sequi solet LXX. Interpretes, *lib.* I. *Antiqu.* percensentem generationes, quæ fuerunt à diluvio usque ad Abraham, in iis hanc generationem Cainan minimè commemorasse: nec *Epiphanium* ullam illius mentionem facere. *Hær.* LV. contra Melchisedecianos, quamuis secundum translationem LXX. Interpretum exponat annos singularum generationum, quæ inter diluvium & Abrahamum intercesserunt. 3. In Exordio primi libri *Paralip.* ubi series generationum à diluvio usque ad Abrah. similiter atque hoc loco commemoratur, antiquos & emendatos Codices LXX. Interpretum, qualis sit ille qui Romæ curâ Cardinalis *Carafæ* prodiit, non habere generationem Cainan. Ex his, inquit *Pererius*, rectè concludi, generationē Cainan non extitisse in omnibus libris LXX. Interpretum. Inde probabiliter etiam conjici, eam non fuisse traditam à LXX. Interpretibus, & libros illorũ, qui generatione illâ carebant, ut qui cum Hebræis codicibus congruant, veros & integros esse judicandos, reliquos corruptos & mendosos. Facile autem fuisse, aliquem nactum libros LXX. Interpretum, in quibus erat generatio Cainan, inde eam transtulisse in Evangelium Lucæ, quod à principio non animaduersum, non solum hæserit in uno illo libro, sed in eos postea, qui ad hunc usque diem exscripti sunt, fuerit derivatum. Hæc *Pererius*, qui ἐπίκρισιν suam subjicere, & in partem illam propendere videtur, generationem Cainan LXX. affictam fuisse: idem verò, inquit, non posse probari quoad Evangelium Lucæ. 1. Quia nullus nostrâ ætate habetur liber absque generatione Cainan. 2. quia non legimus, fuisse unquam aliquem, qui diceret vel à se, vel ab aliis visum esse Codicem ullum B. Lucæ, qui generatione illâ careret. Hanc ob causam quod prius dederat, denuo eripit, & secum ipse confligit. Sed si *Pererio* hoc saltem deerat, ut in sententiam illam pertraheretur, Codex, cujus *Beza* mentionem facit, abundè sufficere poterat illi expugnando. Et sanè dubium non est ex conje-

ćturis præmiſſis, opinionem illã homini naris non obeſæ arriſiſſe quidẽ, noluiſſe tamẽ ejus admiſſione vel gregales ſuos offendere, vel Hæreticorum claſſi accedere: hæc enim noſtra nomenclatura eſt apud Patres illos, & hic illorũ mos, nigrum theta, ſine examine ſæpe, illis præfigere, quæ à Theologis Orthodoxis probantur. Quo nomine etiam eandem ſententiam diſertè rejicit *Iacobus Salianus* Ieſuita in *Annal. Eccleſ.* Anno mundi 1694. & inquit, *eam minus probandam Catholicis, eo quod Sectariis placeat, hæreticos enim, ſpreta via communi Catholicorum, per abrupta ferri, & Spiritu ſingularitatis ductos deteriora ſequi.* Quaſi verò rerum momenta non ſint à viris prudentibus ponderanda, Authoribus, quicunque illi tandem ſint, ſuo loco relictis. Convitium de *ſaltu per abrupta, & Spiritu ſingularitatis*, Patribus Societatis relinquimus, quorum inſtitutum abruptum & ſingulare, & compendia varia ad opes, & conſcientiarum carnificinam graſſandi, & ſe & alios in abrupta conjiciendi, nemini non comperta ſunt, & à multis viris gravibus, qui cæteroquin idem in Religione cum illis ſentiunt, ſæpe multúmque perſtricta, ſimul & deplorata fuerunt.

XXIII. Major longè ingenuitas *Cornelii à Lapide* hac in parte, quávis ex eodem ſodalitio, qui rotundè ſententiam ſuam profert *Comment. in Geneſ.* inquiens, Moſen potius ſequendum, quam LXX. quia ille primum autographum. 1. Moſen hic tam Chronologiam, quam hiſtoriam mundi pertexere, non ergo illum omiſiſſe XXX. annos, qui juxta LXX. ſint dandi Cainan, hoc enim ingens eſſe vitium, & errorem in Chronologia, imò in Hiſtoriâ. 2. Hebræa, Chaldæa, & Latina Biblia conſtanter tam hîc, quã 1. *Paralip.* 1. omittere Cainan. 3. Hebræos, quoq; *Philonem, Ioſephum*, & alios veteres eandẽ prætermittere. 4. Regulã eſſe *Auguſtini* lib. XV. de Civit. Dei cap. 3. *ſi tranſlatio ab originali diſſentit, ei linguæ potius credendum eſſe, unde in aliam per interpretationem facta eſt tranſlatio.* 5. In verſionẽ LXX. hic irrepſiſſe mendum. Id inde probari. 1°. quòd manifeſtus reperiatur error in numeris, in hoc ipſo Cainan. 2°. quòd editio LXX. *Sixti* V. authoritate publicata, expungat Cainan 1. *Paralipom.* 1. expungendum ergo etiam eſſe *Geneſ.* XI. eandem enim ſeriem utrobique conſcribi. Suſpicionem augeri, quòd apud LXX. in Geneſi iidem prorſus numeri generationis & ætatis Cainan dentur, qui dantur Sa-

læ,cũ in aliis semper varient. Vnde videri,illos Salę soli datos à LXX. & ab aliquo intrudente Cainan in eo repetitos. 3. Addit hic Author,*Epiphanium*,Hær. LV.omittere,Cainan ut & *Hieronymum* in quæst. in Genes. nondum ergo tempore *Hieronymi* vel *Epiphanii* adhuc Cainan in Codices correctiores irrepsisse. *Procopium Gazæum* etiam notare,Hebraicam veritatem habere, Salam genitum esse ab Arphaxad,quæ enim in medio ponuntur,obelisco signata videri.

Objicit sibi ibidem *Cornelius à Lapide* authoritatem Lucæ, qui videtur confirmare versionem LXX.addendo Cainan,& respondet Cainã irrepsisse in Lucam,æquè ac in LXX.Interpretes, non errore Lucæ,quasi is versionem tunc vulgatam ejúsque errorem secutus sit,sic enim,inquit,errasset Scriptura,ipseq; Spiritus S. sed errore Librariorum , vel scioli alicujus, qui Hebraicè nesciens,cum in versione LXX.in Genesi inveniret additum Cainan,eundem ex LXX.in Lucam transtulerit, & illum eidem inserendum putarit.. Sic multorum sententiâ, irrepsisse nomen Abrahami pro Iacobo, *Act.*VII.16. Ieremiæ *Matth.*XXVII.9. & *Matth.*I.12.excidisse unam generationem : si verò locus Matthæi restitui possit ex libris Regum,&Lucæ locum posse ex Mosis autographo. Addit ibidem *Cornelius* exempla alia , & inquit rationem cogere & penè necessitare, ut statuamus hîc voces quasdam irrepsisse. 1. quia Moses disertè asserit Arphaxad anno ætatis 35.genuisse Sale.Hoc autem absolutè falsum esse , si ex LXX.interjiciamus Cainan,eo quod secundum illos Cainan genitus fuerit ab Arphaxad hoc ipso anno,Sale vero post triginta annos à Cainan,non ab Arphaxad. Solutionem quorundam ex gregalibus suis,Sale genitum esse anno 35. Arphaxad non in se, sed in patre suo Cainan,inquit duram & violentam videri, imò mendacium in Chronologiâ. 2. quia Moses exactè, & ex professo , & solus hic conscribit historiam, genealogiam, & Chronologiam mundi. Incredibile ergo esse, ipsum omisisse XXX.annos vitæ Cainan,quorum omissio perturbet totam Chronologiam.Solutionem de generationibus ad duas decades redactis à Mose,levem quoque vocat & futilem,nec talem & tantam,ut propter eam debuerit Moses Chronologiam perturbare,cujus cognitio exacta tanti sit momenti.Si ergo Mosis æquè, ac libri Paralipomenωn,ac vulgatæ editionis utrobique fidem, integrita-

integritatem, & Chronologiam tueri velimus, vel invitos cogi ut fatentur Cainan in LXX. irrepsisse. Satius etiam esse errorem hunc librariis, & descriptoribus tribuere, quam ipsis LXX. æquè ac illum, qui hic in numeris apud LXX. reperitur, & vetus esse mendum, à priscis & primis descriptoribus commissum, quod in omnia deinceps exemplaria LXX. & ex iis, in omnia Lucæ pervaserit. Et Cainan additum fuisse in Lucâ, non saltem ob versionem LXX. toto orbe vulgatam, sed & quia initio Lucas non statim habitus fuerit pro scriptore Canonico. Vnde mirum non esse, quod id ipsum ex aliis exemplaribus utpote vitiatis emendari non possit. His omnibus adjicit *Cornelius* authoritates varias, eorum qui in hanc opinionem propendent, rejectionem sententiarum aliarum, & rationem gravissimam ab integritate Chronologiæ sacræ ductam, quæ sibi constare nequeat, retento Kainan. In eo verò hallucinatur idem *Author*, quod quamvis Kainan fateatur perperam intrusum fuisse in contextum Lucę, velit tamen eum retineri, vel ad cavendam offensam, vel ob mysterium aliquod latens. Si enim Kainan ipsi uidetur ὑποβολιμαῖος, cui bono retinendum censet? si γνήσιος, cur contra disputat? Adde offensam non caveri, sed potius ejus materiam præberi, quando retinetur Kainan, & Lucas committitur cum Mose. Nec mysteria divinanda, vel fabricanda, quando nulla proponuntur, sed illa religiosè suspicienda, quæ proponuntur. Nequicquam etiam *Cornelius* omnia à se dicta ab authoritate Ecclesiæ suæ suspensa vult, si enim solidis, quod facit, argumentis explodit Kainan ὑποβολιμαῖον, suum illa pondus habebunt etiam sine illâ, sin minus, contra conscientiam disputat, & αὐτοκατάκριτος est.

XXIV. In eâdem verò sententia, Kainan explodendum esse, & è LXX. versione, & è Mose, video esse Scriptorem quendam *Anonymum*, virum doctum & in Antiquorum scriptis versatum, cujus dissertationem gallicam hac de re CL. *Deodatus* noster mihi non ita pridem communicavit, qui testimoniis quam plurimis ex antiquitate coacervatis demonstrare satagit, Kainan non extitisse in versione LXX. Interpretum, adeoque nec in Lucâ, quamdiu utrique sua constitit integritas. In hunc finem citat *Eusebii* Chronicon græcum, editionis *Scaligerianæ*, ubi deest Kainan in Hebræorum æquè ac Samaritarum Catalo-

go, quando Abrahami genealogia recensetur: Eundem, inquit, non reperiri in genealogiâ Abrahami, ex LXX. Interpretum versione in Chronicon Eusebii translatâ. Inde infert, si Kainan Eusebii ætate nondum insertus fuerit illi versioni, multo minus insertum fuisse temporibus Lucæ, adeoque nec Lucam illum ob authoritatem LXX. inseruisse Evangelio suo. Addit idem Scriptor, *Berosum, Iosephum, Theophilum* Episcopum Antiochenû, *Iulium Africanum*, initium *Chronologiæ Eusebii* tralatum ab Hieronymo, *Epiphanium, & Hieronymum*, qui in *Quæstionibus Hebraicis* in Genesin studio habuit eruere ἀντιλογίας apparentes inter textum Hebræum & Græcum, hujus tamen erroris nusquam meminit, quamvis magnam calculi diversitatem utrobique notet, quæ reperitur inter Codices Hebræum & Græcum in illâ ipsa Patrum Chronologiâ, & asserat se puram LXX. versionem, in Hexaplis *Origenis* extantem secutum esse, & illam à se repertam conformem textui Mosis. Hinc colligi posset, ex sententia *Authoris*, ætate Hieronymi nondum in pura LXX. editione extitisse Kainan? minus ergo extitisse ætate Lucæ, vel ab eodem Genealogię Domini insertum fuisse. Patribus superioribus accenset *Author Anonymus*, *Paulum Orosium*, *& Procopium Gazæum*, docentem generationem Kainan obelo fuisse notatam, *in cap.* XI. *Gen.* ut superfluam. Idem inquit, confirmari ex *Gregorio Turonensi, Isidoro Hispalẽsi, Bedâ*, & *Freculpho* Episcopo Lexoviense, à quibus omnibus pari ratione prætermitti docet generationem Cainan ut notham, & mali commatis. Ex his concludit 1. Kainan non à LXX. Interpretibus, sed sequioribus seculis, vel fraude, vel oscitantia hominum malè feriatorum insertum fuisse capitibus X. & XI. *Geneseως*. 2. Non ergo à Lucâ Kainan ob LXX. authoritatem retentum fuisse, idq; eo minus probabile esse, quod *Hieronymus* doceat Apostolos & Evangelistas nunquam sequi versionem LXX. nisi quando illa conformis est Hebræis Codicibus, ubi verò discrepat, illos adhærere unicè veritati Hebraicæ. Idem *Scriptor* meminit antiquissimi cujusdam Codicis Evangeliorum, & Actorum Apostolicorum Græco-Latinorum, quem, inquit, repertum fuisse anno 1562. in Monasterio S. *Irenæi* in suburbio *Lugdunensi*, hodieque reperiri in Bibliothecâ publicâ *Academiæ Cantabrigiensis*; in Codice verò illo nullam prorsus extare mentionem Kainan, quamvis ante mille

ducentos

ducentos annos ſcriptus videatur. Qui Codex vel ille ipſe eſt, cujus *Beza* meminit,& quo ille uſus fuit, vel alius ὁμόψηφος, uterque validus ad jugulandum commentitium illum Kainan. Quem *Author Anonymus* exploſum etiam fuiſſe ait tum ab *Augustino Eugubino* Bibliothecario Pauli III. tum à *Christiano Maſſeo*, in Chronico Hiſtoriæ multiplicis utriuſque Teſtamenti,quamvis poſtremus *Scriptor* iſte ſuſpenſus hæreat, an in Lucam infartus fuerit Kainan, à falſaria manu, an verò ab ipſo Lucâ ex LXX. editione inſertus. Hactenus *Author Anonymus*, qui magno & ſtudio& ſucceſſu in hanc curam incubuit,ut Kainan exauthoraret, tanquam ὑποβολιμαῖον & ſpurium, unde operæ pretiũ duxi præcipua capita ex ſcripto illius edecumare, & ea Lectori referre, quandoquidem, quod ſciam, Diſſertatio illa nõ inerudita nunquam hactenus prodiit. Non diſſimulabo tamen eidem *Authori* non ſaltem Kainan ὑποβολιμαῖον videri, ſed & Mathat & Levi, interjectos inter Heli & Melchi, cujus rationes peculiarem diſquiſitionem merentur.

XXV. Ἐπίκρισιν verò noſtram quod attinet, omnibus ultro citróque expenſis, fateor, mihi ſententiam illam longè probabiliorem,& minoribus incommodis obnoxiam videri, quæ non ſaltẽ Kainan ὑποβολιμαῖον cenſet in verſione LXX. ſed& in Catalogo Lucæ. Vnde, quamvis religioſiſſimè in ſacrâ Scripturâ tractandâ verſandum cuique Chriſtiano arbitrer, nec quicquam facile loco movendum cẽſeam, ubi vel minima apparet ſtrictura conciliandorum inter ſe ſacrorum Scriptorum, tamen hîc graviſſimæ intercedunt cauſæ, cur Kainan expungendus utrobique videatur. Authoritas 1. Moſis, & Scriptoris Paralipomenων. 2. Paraphraſεων Chaldaicarum. 3. Ioſephi & tot Patrum ſuprà citatorum. 4. Conturbatio Chronologiæ ſacræ. 5. Errores alii in LXX. verſionem paſſim infarti, & illo ipſo loco in numeris. 6. Major probabilitas, errorem Lucæ per fraudem, vel incuriam affictum, quam ſacrum Scriptorem ultrò eum ſecutum fuiſſe.

Si quæratur, quomodo irrepſerit Kainan in verſionem LXX. fatendum, vix ſanè fontem erroris, & primam mali labem demonſtrari à quoquam poſſe, probabiliter tamen dicendum videtur, id factum per fraudem potius, quam per incuriam, tum, cum non ſolum variæ verſiones græcæ extarent, ſed & cum

de earum bonitate lis oboriretur, qualis etiam post *Origenem* Ecclesiam exercuit, cum quædam ex Ecclesiis editionem *Hesychii*, aliæ *Luciani Martyris*, quædam Palæstinos Codices probarent. Quod *Hieronymus* docet *Præfat.* in *lib. Paralip. Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in* LXX. *suis Hesychium laudat Authorem, Constantinopolis usque in Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius vulgaverat, totúsque orbis in hac trifariâ varietate compugnat.* An mirum ergo gliscente etiam simili æmulatione, ante illa tempora, multos conatos fuisse suis Codicibus, quos probabant, quibusvis artibus fidem facere, alienis detrahere, quos improbabant, infartis, vel demptis passim multis, quæ illorum authoritatem proscriberent & suorum Codicum integritatem aliorum depressioni superstruerēt. Quid enim partium studium non potest, præsertim ubi accedit ambitio, & spes velificandi suo vel honori, vel commodo? Quamvis verò pauci saltem Codices primò corrupti fuerint à falsariis, nec omnes corrumpi potuerint, tamen nec mirum, nec insolitum sensim Codices puriores in opere humano aboleri, impuriores disseminari, Diaboli & hominum malorum fraude, potuisse, & hodiéque Deo ita dispensante, illos saltem ex Codicibus græcis exstare, qui adulterati aliquando fuerunt, ne nimium tribuamus operi humano. Annon fateri coguntur illi, qui Kainan in Genesi retinendum censent, magnam calculi sacri, & numerorum conturbationem non saltem alibi, sed in illo ipso etiam Catalogo reperiri? cum fatentibus *Torniello & Saliano* centeni anni adjectitii in totâ primâ & secundâ ætate in versione Græca legantur, v. g. etsi illa habeat Arphaxad genuisse Kainan, anno 135. dicendum tamen esse cum Codicibus Hebræis, id factum anno 35. saltem. Quem calculum, fatente *Saliano*, sequuntur etiam *Bellarminus*, *Gordonius*, *Samerius*, aliíque in Chronologiis suis. Quibus ergo authoribus corruptela invasit in numeros, eorundem etiam operâ insititius Kainan in classem illam Patrum illatus fuit, eodemque dubio procul fine, ut absurda & suspecta redderetur versio Græca, quam depressam volebant falsarii. Hinc etiam tanta errorum seges succrevit, quæ, fatentibus multis ex Adversariis, hodieque in Versione Lxx. reperitur. Tametsi enim, quod bene monet Ill. *Scaliger* & inculcat sæpe CL. *Heinsius* in

Aristar-

Ariſtarcho ſacro, Helleniſtarum ſtylus Hebraicos idiotiſmos, & phraſes retinentiũ (qualis etiam ſtylus Scriptorum Novi Teſtamenti) diligenter diſtinguendus ſit à ſtylo græco: abſurdum tamen eſt LXX. Interpr. tã fœdos errores per inſcitiam, aut incuriã admiſiſſe, quales hodie magno numero in verſione illâ reperiũtur: Vide CL. *Chamierum* in vaſto illo & laborioſiſſimo *Panſtratiæ* ſuæ Opere, qui *Tomo* I. *lib*. XIII. *cap*. VIII. quamplurima loca congeſſit, ubi non ſolum *ἀκυρολογία* in vocabulis, ſed & barbariſmi, *κακοζηλία*, multa mutata, multa addita, multa omiſſa, quædam etiam *ἀντιφατικὰ* textui Hebræo reperiuntur. Erroribus editionis græcæ Pſalmorum percenſendis, idem *Chamierus* duo integra capita deſtinavit, quorũ quidam jam ante à ſummo Theologo *Calvino* notati fuerant, multi à *Chamiero* cum curâ eruti & adjecti: qui ibidem & *cap*. XI. ejuſdem libri *σοφὰ φάρμακα* & incruſtationes inanes, quibus palliari ſolent errores multi à Theologis quibuſdam Pontificiis, ſolidè detegit, & disjicit. Quamvis ergo vel occaſionẽ, vel Authorem, & tẽpus inſiti primò Kainan notare nequeamus, ſufficit ſolidè oſtendi eum per errorem introductum, & *ὑποβολιμαῖον* eſſe, non *γνήσιον*, æquè ac innumera alia in eâdem verſione Græcâ. Et ſanè ut morborum, ſic errorum plerorúmque initia occulta, & ſenſim gliſcentia, donec invaleſcant, & paulatim ſe hinc inde diffundant.

XXVI. Nec verò regeri debet, authoritatem *Lucæ* obſtare, quominus Kainan expungendus videatur. Quemadmodum enim non à LXX. Interpretibus, ſed poſt eorum tempora ab aliis, Patrum Catalogo inſertus fuit: ſic pari ratione inter majores Chriſti non à Lucâ, ſed à corruptore Lucæ relatus fuit, quod evidens eſt 1. ex tot teſtimoniis Veterum, ſuprà citatis, qui illius non meminerunt. 2. ex fundamento jam ſubruto, Kainan vel revera interceſſiſſe aliquando inter Arphaxad & Sale, vel in purâ LXX. Int. editione unquam extitiſſe. 3. ex rationibus Chronologicis. 4. ex Codicibus manuſcriptis allegatis à *Beza*, & ab *Authore Anonymo*. Addi poſſunt rationes omnes, quibus in commentitium iſtum Kainan pugnavimus in ſuperioribus.

Si verò ratio quæratur, quî & quando irrepſerit in contextum Lucæ? fatendum, veſtigia ejus rei manifeſta non poſſe obſervari in Scriptis Veterũ, probabiles tamen rationes non deeſ-

ſe,quî id fieri potuerit. Nam 1.ex aliquorum ſententiâ dici poteſt,id factum fuiſſe à Librariis Codicem ſacrum deſcribentibus,qui cum incuriâ fortè prætermiſiſſent *verſu* 37.Kainan filiũ Henos, quod facile fieri potuit, & illum in margine notaſſent, inde factum, ut poſt,non ſuo loco,è margine in contextum inferretur. 2. Idem fieri potuit operâ *Correctorum* relegentium Codices deſcriptos, qui cum animadverterent γνήσιον Kainan v.37.prætermiſſum,illum fortè margini adſcripſerunt,unde poſt aliorum errore,loco *verſus* 37:in *verſum* 36.inſeri potuit. Et quia Kainan filius Henos & in contextu Moſis & in verſione LXX. reperitur,inde factum fortè, ut ab aliis, idem nomen, non animadverſo priorum errore, verſui ſequenti quoque inſertum fuerit. 3. Maximè veriſimile mihi videtur,id pio ſtudio, quãvis temerario, à ſciolo quodam Helleniſtâ linguæ Hebrææ ignaro, factum fuiſſe, qui cum contuliſſet catalogum majorum Chriſti à Lucâ deſcriptum,cum verſione Græcâ Veteris Teſtamenti,animadversâ hac diverſitate inter Lucam & LXX. voluit errori,ſuo judicio admiſſo à Lucâ,mederi,ne inter ſe committi poſſent Scriptores ſacri ab hoſtibus Evangelii.Et quia fortè nondũ planè perſuaſus erat de Lucæ αὐθεντίᾳ,ſed,fabulis Iudaicis ſuper miraculosâ verſionis LXX.editione delinitus,plus tribuebat verſioni vetuſtæ, quã ſcripto recentiori,maluit Lucam ex LXX. verſione emendare,quã LXX. ex Lucâ.Tẽpus hujus depravationis admiſſæ vix perveſtigari poſſe arbitror.Antiquiſſimam eſſe duo argumenta probare videntur. 1. Quia mendum univerſale eſt,& omnes ferè Codices pervaſit, adeoque id tum admiſſum videtur,cum paucà apographa extarent,unde facilior longè erroris ejuſdem univerſalis diffuſio. 2. Quia in verſione Syriacâ reperitur,tametſi enim mihi *Guidonis Fabr.*aſſertio (*præfat.in Nov.Teſtam. trilingue*) Syrorum quorundam authoritate nixa, parum firma videatur, ipſum videlicet Marcum non modò Evangelium ſuum,ſed & cæteros omnes Novi Teſtamenti libros linguâ patriâ h.e.Syriacâ,tranſtuliſſe,adeoque primo jam ſeculo verſionem illam extitiſſe, negari tamen non debet eam perantiquam eſſe.Quandoquidem verò,ut oſtẽſum *Sect.*XXV.probabile videtur,Kainan irrepſiſſe in verſionem LXX. tum demum,cũ magna Codicum græcorũ diverſitas eſſet, & magna de ſingulorũ authoritate lis,h.e.circa ſeculi ſecũdi finem, probabile etiam

ſeculo

ſeculo ſequēte, quocunq; demũ tempore, eandem corruptelam ratione ſupradictâ, à ſciolo quodam, errorem in verſione græcâ non agnoſcente, in Lucam infartam fuiſſe. Siquidem excipiat aliquis, id non potuiſſe fieri, eò quod innumera exemplaria Evangelii Lucæ jam per orbem terrarum diffuſa eſſent, reſponderi poteſt, 1. Codicum ſacrorum numerum, ob tranſcriptionis difficultatē, nondũ adeò magnũ fuiſſe, quin corruptioni obnoxius eſſet. 2. Plurimos etiam Codices Chriſtianis ereptos & exuſtos fuiſſe in perſecutionibus illis ſævis & atrocibus, quibus Eccleſia ſub Decio, Valeriano, Diocletiano, & Tyrannis aliis mirum in modum vaſtata & diſſipata fuit, ubi non ſaltem in corpora Chriſtianorum, ſed & in libros ſacros, ſub Diocletiano vel inprimis & Maximiano Collegis, ſæviebatur, qui illos ſibi tradi volebant. Quod à quamplurimis vel ſuppliciorum atrocitate, vel illorum metu fractis, impetrabatur, unde frequens *Traditorum* nomen in Eccleſiâ veteri, qui Codices ſacros exurendos hoſtibus vel offerebant, vel prodebant. Vnde quoque nata *Donati* cum *Cæciliano* lis, ut notũ, & infauſtum Donatiſtarum ſchiſma. Cum ergo illis temporibus tanta librorum ſacrorum ſtrages fieret, facilius longè exemplaria Evangeliorum, ſubducta furori tyrannorum, vel per fraudem, vel per *κακοζηλίαν*, vel per oſcitantiam corrumpi potuerunt (præſertim cum tot illis hoſtes & aperti & clandeſtini imminerent) & error poſtmodum diffundi, per *πολυγραφίαν* Codicum, & libertatis Chriſtianæ ſub *Conſtantino*. Quam quidem conjecturam nemini pro certâ obtruſam velim, ſed communicatã ſaltem Lectori, ut probabilem, cui integrum erit meliorem aliam ſubſtituere. Nec obſtat admodum *Syri* Interpretis authoritas, quod enim fatum fuit verſionis LXX. & textus græci Lucæ, potuit etiam Syriacæ verſioni obtingere, & Kainan vel per fraudem, vel ſpecie correctionis, pio zelo inſeri, quemadmodum & alia quædam in eandem verſionem irrepsêre, ſequioribus ſeculis, v.g. *Lucæ* 1.28. ubi *κεχαριτωμένη* vertitur per מלית טיבותא *plena gratiâ*, quod ex verſione vulgatâ inſertum videtur, tum quia *Eph.* 1.6. ubi verbum activum occurrit, aliter longè vertitur, tum quia vis verbi alia eſt, & alius ſignificatus apud profanos etiam Scriptores. Adde, *Syrum* dicturum potius fuiſſe מתחננא, vel tale quid aliud, accedens magis ad vim vocis græcæ. Si cui placeat tamen, & iſtud verbi, &

Kainan ipſum à Syro Interprete ſcripta fuiſſe, non admodum repugnabo. Et ſic dicendum, & probabiliter quidem, antiquiorem longè eſſe depravationem verſionis LXX. & citius Kainan illi inſertum fuiſſe, & ex ea in textum Lucæ, primo ſtatim ſeculo, irrepſiſſe, cum & pauca adhuc apographa extarent, & nondum à Syro Interprete tranſlata eſſent Evangelia. Nec tametſi tempus primum hujus corruptelæ deſignari nequeat, ſequitur eam talem non eſſe. Fraus enim velo gaudet, & noctu ſeminantur Zizania. Et ſanè niſi callidè admodum irrepſiſſet Kainan, utique ſanè ſtatim exauthoratus fuiſſet, nec adeò multis impoſuiſſet.

XXVII. His obſervatis concidunt ea quæ *ſect.* IV. pro Kainan retinendo propoſita fuêre, & evidens eſt 1. authoritatem Lucæ fruſtra urgeri, ob falſam *hypotheſin*, adeoque inanem eſſe ἔνςασιν *Gordonii, Saliani*, & aliorum, *Sectione* VI. propoſitam ab axiomate vulgato, *authoritatem ajentem majorem & ad probandum firmiorem eſſe, negante*, gratis enim ſupponitur, quod probandum erat, Kainan videlicet à Lucâ in Catalogum majorum Chriſti relatum fuiſſe. 2. Authoritatem etiam LXX. nequicquam adduci, ſiue ab iis Kainan adjectus videatur, quod falſum, ſive, quod verum, per corruptelam illorum verſioni inſertus fuerit. Quid enim de Interpretum illorum vel authoritate, vel integritate ſit ſtatuendum, oſtenſum fuit *Sectione* XXI. 3. Authoritatem Syri Interpretis parum idoneam eſſe fulciendo Kainan, ſive per fraudem, vel errorem in eundem irrepſiſſe, ſive ab eodem ex exẽplari corrupto, quod probabile admodum, retentus ſtatuatur. Si cui enim minus probetur, ſequioribus ſeculis Kainan originem deberi, ſine abſurditate dici poteſt, prima quædam apographa, à ſciolo, Kainan ex LXX. verſione jam ante depravatâ, bono quidẽ fine, ſed temerario auſu inſerente, corrupta fuiſſe, unde & in verſionem Syram error propagari maturè potuit. 4. Authoritatem Euſebii fidem non mereri, ut qui vel fœdè ſibi contradicit, nam ibîdem loci *pag.* 8. & 9. editionis *Scalig. Arphaxad* ſtatuit *genuiſſe Sala*, & paucis poſt lineis, *Arphaxad genuiſſe Cainan*: vel, quod probabilius, Chronico etiam illius fraus facta, & ſanè in Græcis *Euſebii pag.* 9. prætermiſſo prorſus Kainan, quater dicitur, Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν (ρλε) γεννᾷ τὸν Σαλᾶ, & ſecundũ *Africanum*, & ſecundum LXX. & ſecundum calculum *Hebræum*, & ſecun-

& ſecundum calculum *Samaritarum*, quamvis loci duo poſteriores varient nonnihil in numeris. Vnde evidentiſſimum, per corruptelam, ſecundo loco, Kainan in interpretationem latinā Euſebii irrepſiſſe. Nec mirum *Auguſtinum* lib. XVI. *de Civit. Dei cap.* III. Kainan mentionem facere, cum ante illius ætatem jam corupti fuerint Codices plerique, ut ſuprà oſtenſum. *Epiphanium* quod attinet, fatendum illum in *Ancorato Sectione* CXVI. Editionis *Petavii* meminiſſe τȣ̃ Kainan: ubi inquit, Ἀρφαξὰδ γεννᾷ τὸν Καινᾶ. Καινᾶ τὸν Σάλα. Idem repetit Epiphanius *Hæreſi* LXVI. *Sect.* LXXXIV. & initio operis *adverſus Hæreſes*, quod Πανάριον vel Κιβώτιον vocat. Sed nec inde quicquam ſententiæ noſtræ decedit, quia ab *Epiphanio* provocare poſſumus ad *Epiphanium*, qui *Hæreſi* LV. κατὰ Μελχισεδεκιανῶν *Sectione* VI. confutaturus ſententiam Samaritanorum exiſtimantium Melchiſedechum eſſe Sem, argumentum petit à ſupputatione generationum & temporum intercedentium inter Sem & Abrahamum, & oſtendit ætatem Sem ſaltem ſe extendiſſe ad annos ſexcentos & quinque; annos verò à Sem ad occurſum Melchiſedeci, & congreſſum ejus cū Abrahamo, circa annū ejus nonageſimū, numerari CIↃ CXXX. propemodū: Melchiſedechū ergo nō poſſe eſſe Sem; præterquam quod ſtultum ſit illum, qui prius vocatus fuit Sem, poſt decem demum generationes vocari Melchiſedechum. Sanè, ſi ullibi *Epiphanio* ſolicitè & ſcrupuloſè computandæ erant generationes intercedentes inter Sem & Abrahamum, id loco illo fieri debebat, adeoque & Kainan numerari, ſi vel interceſſiſſet, vel in purioribus LXX. editionis Codicibus repertus fuiſſet, ubi tamen nuſquam comparet, ſed potius Arphaxad dicitur genuiſſe Sale, & quidem adjecto diſertè anno ætatis nimirum CXXXV. Imò hoc ipſum magis feciſſet ad ſcopum Epiphanii: quia, ut bene etiam monet *Author Anonymus*, hac ratione plures interceſſiſſent anni inter Sem & Abrahamum, adeoque fortius urgere potuiſſet Samaritas, Sem non eſſe Melchiſedechum. Idem *Author Anonymus* proponit & confutat ſententiam Chronographi recentioris, quem video eſſe *Salianum* Ieſuitam, excipientis ad hunc locum, Kainan ab Epiphanio omiſſum fuiſſe ex hypotheſi, eo quod textu Hebræo uteretur, cum ipſi res eſſet cum Samaritis, qui nōniſi Codices Hebræos probabant. Falſum enim hoc eſſe, ex calculo Epiphanii conſtat, qui ſequitur ibidem.

ſupputationem LXX. non textus Hebræi. Et ſanè, ut ait *Petavius* in Animadverſ. in Epiphanium, ex Hebræorum & Latinorum rationibus congruunt tẽpora, & Abrahamo ſupervixit Sem annos XXXV. Ex LXX. verò editione nequaquam conveniunt. Supponitur ergo, non probatur, Epiphanium Hebræum textum hac in parte ſecutum fuiſſe. Opus ergo in Codice LXX. quo uſus fuit Epiphanius, non extitiſſe Kainan. *Author Anonymus* addit authoritatem aliam ejuſdem Epiphanii ex *libro de ponderibus & menſuris*, ubi Iacobum vigeſimum ſecundum conſtituit ab Adamo, qui tamen vigeſimus tertius eſſet, ſiquidem intercesſiſſet Kainan, quod reperitur *Sectione* XXIII. & XXIV. Dicendum ergo, vel poſt Epiphanium, Kainan locis citatis inſertum fuiſſe operibus ejus, quę fraus fieri non potuit ibi, ubi temporum & generationum ſeriem ediſſerit Epiphanius: vel etiam dici poteſt cum *Authore Anonymo*, diverſis exemplaribus editionis LXX. jam tum uſum fuiſſe Epiphanium, quorum magna & copia & varietas jam ætate illius extabat. Quod & ad illum Epiphanii locum reſpondendum, quem CL. *Gomarus* citat, & ad loca ſimilia *Hieronymi, Auguſtini, & Nazianzeni*, quæ ibidem allegat, patres illos pro puritate, vel impuritate exemplarium, quibus uſi fuerunt, diverſam generationum enumerationem inſtituere. Adde & fundamentum Patrum, de ſeptuaginta & ſeptem generationibus, falſum eſſe, nam & Kainan inſerto, & Ioſepho etiam annumerato, tamen ſeptuaginta ſaltem & ſex reperiuntur. Allegorias quoque, quibus Patres in numero illo indulgent, parum ſolidas eſſe probatione non eget. Recentiorum etiam Scriptorum aciem, quam inſtruit *Salianus*, non eſt quod moremur, cum illam rationibus ſolidis deſtitutam viderimus, cui authoritates & rationes firmiores, in ſuperioribus magno numero allegatas, opponimus.

XXVIII. Non negandum tamen, nec diſſimulandum, ne quid prætermittamus, quædam adhuc hîc urgeri poſſe contra ſententiam allatam. 1. Parum veriſimile eſſe, Deum permiſſurum fuiſſe, tam inſigne mendum non ſaltem in verſionem LXX. Interpretum, opus humanâ induſtriâ compoſitum, ſed etiam in Scriptorem ſacrum, & textum authenticum irrepere. 2. Sic labefactari αὐθεντίαν textus originalis, & occaſionem præberi vel profanis, vel procacibus ingeniis, eludendi omnia, quæ ipſis ex ſacris

ex sacris Codicibus proponentur, cavillo facili, hoc vel illud irrepsisse in contextum sacrum, instar Kainan hypobolimæi. 3. Vix ac ne vix quidem omnia prorsus exemplaria potuisse depravari,& in eodem errore conspirare. 4. Majorem reverentiam deberi Sacræ Scripturæ, quam ut ei falcem adeò facile immittamus. 5. Mosen & Lucam optimè inter se conciliari posse,retento etiam Cainane:quamvis enim Moses statuat, Arphaxadū anno tricesimo quinto Salachum genuisse,optimè tamen eundem avum Salachi dici posse,si dicamus Arphaxadum anno decimo octavo genuisse Cainanem, & Cainanem anno decimo septimo Salachum,& sic posse compleri annos triginta quinque Arphaxadi.Hoc enim vires naturæ non superare, tametsi tardiùs illis temporibus nuptiæ contrahi solitæ fuerint, imò id eo facilius fieri potuisse,quod natura tum temporis multò, quam nostrâ ætate, vegetior esset. Et hanc solutionem acutam satis,& meliorem longè solutione *Pererii* propositâ,& confutatâ *Sectione* XI. substituit CL.*Gomarus* cap.11.de Geneal.Christi. 6. Multa alia à Mose præterita (quod idem *Gomarus* urget) nihilominus referri,v.g. 1.I.*Paralip*.VII.21. cædem filiorum Ephraimi. 2. Nomina magorum qui Mosi in Ægypto restiterunt,qui vocantur Iannes & Iambres II.*Timoth* III.8. 3. Prophetiam Henochi,de quâ *Iud*.v.14.15. ut ergo hæc,vel ex priscâ majorum traditione, vel etiam ex singulari Spiritus Sancti inspiratione revelata fuêre,sic & eodem modo Cainanem à Mose olim præteritum, Spiritus S. patefactione, Lucæ cognitum fuisse.

XXIX. Quamvis verò ἐνστάσεις hæ in speciē validæ videantur pro retinendo Kainan,tamen non desunt solutiones commodæ illis revincendis. Ad 1. *Resp*. Non absurdum esse hoc à Deo permissum, tum quia in eo parum situm, nec ob id periclitatur fides Christiana:tum quia remedium errori corrigendo suppetit ex Mose:tum quia voluit Deus sapientissimo consilio, nodis ejusmodi, in rebus minoris momenti, nostram vel exercere diligentiam,vel subigere superbiam:tum quia *Codices* aliquos saltem salvos voluit,qui Kainan prætermitterent, & errorem planiorem facerent. Satis etiam est, Spiritum S. sacri Scriptoris mentem & calamum ab errore præservasse, tametsi nec librariorum calamum ab errore,nec falsariorum manum & mentem

à fraude præſervare, ob cauſas ſupradictas, voluerit. Ad 2. *Reſp.* admitti & *fallac.* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *Elenchum parium.* Αὐθεντίαν enim ſuam textus ſacer habet à ſuo Authore, & ab integritate ſuâ, in omnibus iis quæ ad fidẽ & ſalutẽ neceſſaria, ubi ſingularis Dei providẽtia elucet, quod non paſſus fuerit idẽ peccatum peccari in iis quæ ſunt illius generis, quod ex harmoniâ uniformi & univerſali Veteris & Novi Teſtamenti evidens eſt. Tametſi ergo concedamus, nomen Kainan hic non eſſe γνήσιον, eo quod ex collatione Moſis & Scriptoris Paralipomenωn νοθεύσεως argui poſſit, an ob id fibula laxabitur petulantiæ & procacitati humanæ, vel in rebus ad fidem neceſſariis, vel in iis, quorum rejiciendorum cauſa nulla? imò quorum retinendorum cauſæ graves, quales vel in primis, harmonia conſtans Codicis ſacri, loci paralleli, analogia fidei, & alia id genus. Nec objici nobis poteſt *Dubio* VI. rationes ſimiles à nobis allatas in confutatione ſententiæ illorũ, qui verba quædam verſui II. *cap.* I. *Matthæi* inſerenda cenſent. Ratio enim diverſitatis manifeſta eſt. 1. Quia plura verba ibi inſeruntur, 2. quia inſerũtur ſine causâ, cũ cõmoda nodi illius, ut notavimus, ſolutio detur ſine mutatione ullâ textus ſacri, qualis hic dari nequit. Ad judiciũ enim illorũ provoco, qui Kainan γνήσιον cenſent, piâ S. Scripturæ integritatis reverentiâ, quam valde probamus, ducti, oſtendant illi nobis cur hiatus ille à Moſe fuerit ibi admiſſus in tam ſolicitâ ſupputatione & annorum, & generationum? cur idem factum à Scriptore Paralipomenωn? qui ſibi conſtet Chronologia ſacra Kainan retento? qui Lucas conciliandus cum Scriptoribus V. Teſtamenti? an illis ſatisfiat ſolutionibus etiam ſpecioſiſſimis propoſitis, vel Kainan & Sale nominibus eandem perſonam deſignari, vel dici Arphaxad genuiſſe Sale, ut avum, non patrem. Non dubito quin patroni ipſi harum opinionum, re penitius conſideratâ, imbecillitatem utriuſque & agnituri ſint, &, quæ aliquorum ex illis ingenuitas eſt, faſſuri. Sanè ſiquidem eadem ratio ſtemmatis genealogici, quod extat & apud Moſen, & apud Paralipomenωn Scriptorem foret, quæ illius eſt, quod texit Matthæus, & deſignatio fieret certi numeri, cujus ratio habita fuiſſet, quod diſertè præſtat Matthæus, ſpeciem aliquem ſaltus ille ab avo ad nepotem haberet. Vt etiam Scriptores librorum Regum & Paralipomenωn, tres generationes intermedias con-

dias constituentes inter Ioramum & Oziam, non emendamus ex Matthæo, sed conciliamus, causâ allatâ probabili & commodâ, cur Scriptor sacer illas prætermissas voluerit, quas intercessisse non negat: sic nec Moses, nec Paralipomenων Scriptor ex Lucâ emendandi, in quo tā evidentes νοθεύσεως rationes occurrunt. Adde, unum potius locum ex tribus, quam tres ex uno esse corrigendos. Ad III. *Respond.* frequentissimè Codices omnes, vel pleróſque saltem manuscriptos conspirare in uno eodémque errore, quod Philologis & Criticis compertum, qui in bonis Scriptoribus emendandis occupantur. Et ratio ejus rei evidēs, quia, uno codice corrupto, error in innumeros alios diffūdi potest, quod ipsum, quomodo hoc loco factum fuerit, suprà satis superque ostēsum, sive prima statim apographa, sive illa exemplaria corrupta statuantur, quæ persecutionum passim grassantium tempestas reliqua fecerat Ecclesiis Christianis. Ad IV. *Respond.* sanè falcem non temerè immittendam esse S. Scripturæ, & reverenter illam tractandam, & hoc ab unoquoque Interpretum Christianorum exigi, cujus quidem studii nostri religiosi documenta dedimus crebra in superioribus, retentis & assertis omnibus illis, quæ ullâ ratione retineri & defendi potuerunt. Interim eo ipso debita S. Scripturæ reverentia inviolata servatur, quando illa resecātur, quę Scriptores sacros inter se committunt, falsi quid infarciunt, & S. Scripturæ authoritatem labefactant, quę omnia, retento Kainan, evitari nequeunt. Ad V. *Resp.* Conciliationem sanè illam Mosis & Lucæ perquam speciosam esse, adversari tamen I. textui Mosis, quæ enim ratio aliarum generationum, & antecedentium, & consequentium, ea etiam ratio generationis Selah ab Arphaxad, *Gen.* XI.12. Atqui in omnibus reliquis immediatè subjicitur filius patri. E. idē in illâ quoque locum habet, nec subintelligendus filius intermedius. Quod quidem eo firmius concludi potest, quia idem bis reperitur alibi in eâdem serie, & *Gen.* X. & I. *Paral.* I. Vnde opponi nequit ἔνςασις de generatione *mediata* Ozię à Ioramo, *Matth.* I.8. etsi reliquę omnes fuerint *immediatæ*, hiatus enim ille semel admittitur, indicatur sæpius. Moses etiam annos solicitè cōputat, nō Matthæus. Ratio ergo dispar: ab illo aliquid prætermitti potuit, ab isto nō item. Et vt è Scriptorib. V. Test. de Geneal. iudicamus apud Matthæum sic & apud Lucā. 2. Arphaxad decimo o-

ctavo anno genuisse Cainanem, & Cainanem decimo septimo anno Salachum, gratis supponitur, non probatur. 3. Repugnat idem reliquis generationibus ibidem à Mose enumeratis, nec enim ullus ex patribus illis infra tricesimum annum generasse legitur. *Instat* CL. *Gomarus*, naturam id ferre potuisse, utpote multò vegetiorem, quam nostrâ tempestate. *Responderi* tamen potest 1°. non quæri, an id fieri potuerit, sed an factum fuerit? 2°. Si factum fuit, cur id Moses bis reticuerit in tam solicitâ vel inprimis numerorum supputatione? cur idem silentio transmissum fuerit à Scriptore Paralipomenων? 3°. Quid si dicamus tardiorem etiam fuisse ἀκμὴν hominum illius ætatis? ut enim senectus illorum, & declinatio tardior, sic & tardior fortè ἀκμὴ, unde & tardius illos nupsisse legimus. Sic citior ἀκμὴ, seculis sequentibus, postquam ætas patrum magnâ sui parte imminuta fuit. Sed de hoc quidem parum litigandum censeo, nec enim agitur hîc περὶ τῶν δυνατῶν, sed περὶ τῶν ὄντων, non de possibilibus, sed de gestis. Ad 6. *Respond.* 1. In exemplis allatis peccari *Elencho parium*, alia enim ratio illorum quæ ignorari poterant, sine jacturâ ullâ sacræ veritatis: alia verò ratio rei, de quâ agitur. Illorum commemoratio prætermitti poterat à Mose, Kainan prætermitti non poterat, siquidem intercessisset, ne hiulca redderetur & Genealogia majorum Christi, & Chronologia sacra, quarum utramque integram esse pertinet ad ἀσφάλειαν fidei, & Scripturæ S. perfectionem, non verò factum aliquod singulare, v.g. cædem posterorum aliquot Ephraimi referri, vel Magorum Ægyptiorum nomina. 2. Prophetiam Henochi (quam ἄγραφον potius quam ἔγγραφον fuisse ex verbis *Judæ* patet) satis semel a Spiritu S. relatam fuisse, nec necessarium erat eâ à Mose referri, nec ejus admissio pugnat cum Mose, admissio verò Kainan hypobolimæi pugnat. 3. Peccatur *fall.* παρὰ τὸ ἑπόμενον, alia multa sacris Scriptoribus ductu Spiritus S. innotuisse, ergo & nomen Kainan Lucæ. Nec in hoc vertitur cardo controversiæ, sed cur vel Mosi, vel Scriptori Paralipomenων non innotuerit? & unde probetur innotuisse Lucæ? & cur Spiritus S. committere voluerit Lucam cum Mose, & Scriptore Paralipomenων? Nec his, vel similibus quæstionibus aliis, laxantur habenæ curiositati, sed modestè ostenditur, id statuendum non esse pro certo & indubitato, quod variis absurdis urgeri

urgeri poteſt. Si reſpondeatur, in eo acquieſcendum, quod à Lucâ commemoretur Kainan, negandum, à Lucâ id vel factum fuiſſe, vel fieri potuiſſe, ob rationes & ſolidas, & multas in ſuperioribus demonſtratas, quas hîc repetere nihil attinet, quibus oſtenſum, Kainan non à Lucæ, ſed à falſarii cujuſdam ſtylo originem traxiſſe.

Cenſemus itaque meritò à CLAR. *Bezâ* Kainan expunctum fuiſſe, nec illum eo nomine culpandum, vel antiquitatem erroris obtendendam veritati claræ & manifeſtæ. Vnde petulanter admodum *Ieſuitæ* multi, doctiſſimi & candidiſſimi Senis manes ob id in manibus cõviciis onerãt. *Hic*, ſanè, *nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt, Ærugo mera.* Attamen *Bezæ* eruditionem, & candorem, & utiliſſimos in N. Teſtamentum labores omnes boni & docti cum voluptate & fructu ſemper agnoſcent. Si veritas ſibi primas, modeſtia certè ſecundas depoſcit, & inter viros doctos, de argumento aliquo religioſo maximè diſſentientes, ſemper vigere debet, prout Apoſtolus nos jubet ἀληθεύειν quidem, ſed ἐν ἀγάπῃ. *Eph.* IV. 15.

XXX. *Iac. Cappello* Viro CL. etiã vindicias debemus, quem *Iacobus Salianus* in *Annalibus Eccleſiaſticis* ſuis ob expunctum, & tribu motum Kainan, graviter etiam proſcindit, 1. Inquit Novum Sectarium *Capellum* pro Calvinianâ modeſtiâ non erubuiſſe dicere iſtum Cainan confictum à LXX. eundemque ſuppoſititium appellare. *Reſp.* 1. Sectariorum nomen iis relinquendum, qui in partes eunt, & vel Pauli, vel Apollo, vel Cephę, vel alia id genus nomina factioſa, eaque inferiora longè, ſectis ſuis præſcribunt, quod Monachorum eſt. 2. Sectarii ſunt *Ieſuitæ*, qui non contenti uſitato & ſacro Chriſtianorum nomine, nomen illud affectant, quod ἀκοινώνητον, & ſe, peculiari inſtituto, *Socios* illius profitentur, cujus Chriſtianos omnes ſervos eſſe in lucro deputãdum. Suos ſanè Chriſtus φίλους vocare dignatur, & ἀδελφούς, ſed hoc Chriſtianorum omnium nomen commune, non aliquorum peculiare, nec ab illis affectatum, ſed gratioſâ Domini voce indultum. Nec privatorum verecundiæ eſt, ſe ſocios Regum vel Magnatum jactare, minus Regis Regum. A Chriſto utique ἑταῖρου, *ſocii* nomen, tribus ſaltem legimus tributum, mercenario murmuratori, hypocritæ carenti veſte nuptiali, & Iudæ proditori. *Matth.* XX. 13. XXII. 12. XXVI. 50. in quo-

rum hæreditatem egregiè ſuccedanei illi Patres, novi Ieſu ſocii, invaſerunt. Parallelos hîc ducere nihil attinet. 3. Sectarius eſt *Cappellus* cum Paulo *Act.* XXIV. 14. κτ̀ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, ut qui fideliter ſerviit *patrio Deo, credens omnibus quæ in Lege & in Prophetis ſcripta ſunt.* 4. Si Calvinianæ modeſtiæ, & inverecundiæ, vel Kainan ſuppoſititium vocare, vel ſtatuere, multas corruptelas in verſionem LXX. irrepſiſſe, *Cornelius à Lapide* Calvinianus erit, inverecundus erit, qui *prius* aſſerit cum *Cappello*, quod ignorare non poterat *Salianus*, quem tamen eo nomine non flagellat: tales etiam multi alii ex Doctoribus Pontificiis, qui fatentur poſterius, & id coguntur fateri, imò ipſe *Salianus* ibidem *Sectione* IX. & ad annum 131. 5. Falſum, quod ſciam, *Cappellum* dicere, Kainan à LXX. confictum fuiſſe, irrepſiſſe in illorum verſionem, æquè ac in Lucam, aſſerit, confictum ab illis non item, quod de ſuo largitur *Cappello* Ieſuita. Non ergo impoſtores LXX. *Cappello*, ſed illi, qui optimum illorum laborem corruperunt, quamvis, quid de eorum authoritate ſit ſtatuendum, & cur *Auguſtino* hîc non omninò ſubſcribendum, ſatis ſupérque ſuprà oſtenſum fuerit. II. *Inquit Salianus*, Cappellum novatorem hanc cauſam afferre, cur corrigi Evangelium velit, & LXX. mendacii & impoſturæ accuſandos putet, Hebræos Codices, Chaldæas paraphraſes, & Chronologias Iudaicas carere Cainâ, his tamen omnibus præponderare Evangelium Lucæ & LXX. Prophetarum. *Reſp.* Prætermiſsâ *Novatorum* nomenclaturâ, quæ Patribus ſocietatis, judicio etiam multorum virorum gravium inter Pontificios, competit, niſi *veteratores* eſſe malint, negamus I. Evangelium Lucæ præponderare Moſi, cum eodem Spiritu actus ſcripſerit uterque, minus verſionem LXX. ſeniorum (quos melius longè *Hieronymus* Interpretes vocat, quam Prophetas) 2. negamus vel à Lucâ, vel à LXX. ſcriptum Kainan, ſed & illi, & iſtis affictum. III. Salsè ridet *Cappellum* Salianus, quod ille nitatur authoritate verſionis vulgatæ, & Concilii Tridentini. Illam ſanè authenticam eſſe, ſed & Kainan in Evangelio Lucæ retinere, nec eam additione, aut detractione violandam eſſe. A Moſe verò unam generationem ſapienti conſilio omiſſam, ſicut tres à Matthæo, vulgatum verò Interpretem, quod in Hebræo legerat, fideliter repræſentaſſe. *Reſp.* At I. ſine cauſâ fluctus in ſimpulo excitat *Ieſuita*, nec enim *Cappellus* niti-

lus nititur authoritate vulgatæ versionis, vel solâ, vel præcipuè, vel per se, quasi illius judicio stare aut cadere velit, *sed argumento ad hominē*, ex *hypothesi* Pōtificiorum, contra quos maximè disputat in hoc argumento, utpote quorum plerique Kainan retinendum censent. Errores cæteroquin innumeros versionis illius nec probat, nec tuetur *Cappellus*, minus Conciliabuli Tridentini Canones & bruta fulmina, quod Iesuitæ ex scriptis illius satis compertum habent. 2. Ineptè versionem vulgatam *authenticam* vocat Iesuita, hoc attributum enim Codicibus originalibus reservandum, nec versio ulla humana extra erroris aleam. Et sanè vulgata versio secum ipsa confligit, dum in Genesi prætermittit Kainan, in Lucâ retinet, errore non animadverso. 3. A Mose generationem unam prætermissam gratis dicitur, non probatur. Nec cōsilium illud sapiens, ob quod id factum, vel à *Saliano*, vel ab ullo ex gregalibus ejus nobis aperitur. Ineptam enim, quam subjicit *Salianus* conjecturam, *Sectione* VII. in superioribus futilem prorsus & evanidam esse ostendimus. IV. *Salianus* Eusebium & Epiphanium à *Cappello* citatos sibi & sententiæ suæ vindicat, ad reliquas authoritates respondet, afferri tantum negantes, imò merum silentium, à se authoritatem ajentem produci ad probandum firmiorem, à se etiam, Kainan uno Epiphanii loco prætermissi, causam redditam fuisse. *Resp.* I. *Eusebium* semel Kainan habere, quinquies nō habere, probabilius itaque longè unum locum corruptum, quam plures. 2. Authoritatem negātem in sacris validam esse, adeoque Mosis & Scriptoris Paralipomenων, silentio prætereuntium Kainan. 3. Authoritatem ajentem, & ponentem Kainan in Lucâ, supponi, non probari. 4. Rationem diversitatis inter Patres, modò ponentes, modò prætermittentes Kainan, à diversitate exemplarium, quibus usi, pendere. 5. *Epiphanium* nobis vindicavimus, loco ejusmodi allegato ex Hæresi Melchisedecianorum, qui corruptionis suspectus esse nequit, ubi & causam silentii, à *Saliano* è *Radero* notatam, ratione inuictâ, & *Petavii* gregalis testimonio jugulavimus. V. *Salianus* ad ἐνςασιν *Cappelli* negantis, eandem esse rationem Matthæi, omittentis tres generationes, & Mosis unam prætermittentis, excipit, rationem esse majorem, nam si tres omittantur sine culpâ, cur non una? Matthæum compingere tres tessaradecades, Mosen decades duas, quas & *Iosephus* & *Berosus*,

fatente *Cappello*, obſervarint. Falſum etiam eſſe, Matthæum nos quaſi intento digito ad veros fontes remittere, & nos ex iſtis fontibus librorum Regum & Paralip. intelligere, quid ibi deſit. Imò, inquit *Salianus*, ita & in re noſtrâ ex Lucâ, & LXX. veri fontibus intelligimus, quid deſit in Moſe. *Reſp.* Fruſtra omnia. Nam 1. truncat *Salianus Cappelli* argumentationem, quæ ſolida, quando docet Matthæum genealogiam in teſſaradecades diſtribuiſſe, non itaque ſcrupulosè omnes generationes recenſuiſſe, ſed epitomen aliquam, adeoque nos ad tabulas luculentiores remiſiſſe, Moſen idem non præſtare, ſed Deum velle has Moſis tabulas eſſe archetypas & authenticas, quæ inſuper confirmantur duobus locis aliis. Non ergo parem utrobique rationem eſſe. Hoc voluit *Cappellus*. 2. Probet *Salianus* potius, quam ſupponat gratis, Moſen ad decades illas reſpexiſſe, quod negamus, & pernegamus, cum nullum ejus rei veſtigium extet in Moſe. 3. Adde, ſolicitam annorum ſupputationem inſtitui à Moſe, non à Matthæo: prętermitti itaque tres generationes potuiſſe ab iſto, nullam debuiſſe ab illo. 4. Iejunum ſcomma *Saliani*, & *Sect*, VII. & in *ſcholiis*, Matthæum nõ remittere Lectorem ad veri fontes, nec verbum habere, aut literam, aut apicem, quo illud indicet, niſi fortè putet *Cappellus*, notas marginales à Matthæo poſitas fuiſſe. Atqui putidum, & viro docto indignum, λογομαχεῖν. Senſus *Cappelli* evidens, hactenus nos à Matthæo remitti ad tabulas, & fontes alios, quatenus & tabulæ, & fontes alii ſacri dantur, è quibus prætermiſſa à Matthæo peti poſſunt: unde verò petentur prætermiſſa à Moſe? Matthæus ſtemma genealogicum contexturus noverat, Regum omittendorũ ſeriem peti poſſe è veteri Teſtamento, adeoque ſibi non anxiè de eâ eſſe laborandum. In Moſe nihil tale, nec in Paralipomenωn Scriptore, quorum ſilentio non erat præſtò remedium ſimile. Sic annon dici poſſunt Iureconſulti ad Leges alias remitti, ſiquidem dentur aliæ anteriores ejuſdem argumenti ἐξηγητικαὶ poſteriorum, tametſi verbo tenus non deſignentur? 5. Quæ etiam ratio ſequelæ, à *Ioſepho* & *Beroſo* decades duas obſervari, ergo etiam à Moſe? 6. Lucæ fontem turbidum hîc fluere oſtenſum, non Lucæ, ſed temporum, & corruptorum vitio: LXX. veri fontes eſſe, gratis dicitur, utpote quorum illuvies & ſqualor, prout hodie fluunt, à Pontificiis ſanioribus ſatis ſupérque agnoſci-

agnoſcitur & deploratur. Imò, ſiquidem illorum verſio proba ibidem loci, de quo agitur, cur centenos annos diſertè in illâ extantes, ut adjectitios, rejicit? & cur major ratio retinendi Kainan, quam calculi adjecti? Sin errorem ibi agnoſcit, quod facit, cur tantopere de Kainan retinendo litigat? Annon calculus vitioſus narrationis illius ſinceritatem proſcribit? an tale quid in Moſe, quod vel vitium, vel defectum arguat? cur non ergo illius potius, quá verſionis corruptæ authoritate, & judicio ſtetur? Abſit etiam, ut admittamus ſine probatione, vel Lucam LXX. pro Prophetis habuiſſe, vel illos hac in re ſecutum fuiſſe. Cur etiam *Salianus, Cappellum* κατὰ πόδας ſecutus, non examinavit loca νοθεύσεως ſuſpecta, & ab eodem allegata? ne, vel ξένον, vel ἀλλόκοτον vel irreligioſum prorſus videretur, ſuperfluas voces duas in Lucâ, non Evangeliſtæ, ſed alienâ prorſus culpâ reperiri. Et hæc quidem pro *Cappello* cõtra *Salianum*. Nihil à nobis, quod nervum habeat, diſſimulatum, Lectori ex collatione Scriptorum evidens erit. Hæc quoque ſufficiunt omnibus iis confutandis, quæ *Auguſtinus Torniellus* habet in *Annalibus ſacris* pro eâdem ſententiâ. Quæ etiam *Pererium* feriunt ſtatuentem, quamvis ſuſpẽsè & anxiè, in Concluſione *Diſputationis* XI. *lib.*XVI. *in Geneſin*, eandem ſententiam cæteris minus improbabilem, & minus reprehenſioni obnoxiam eſſe. Legat Lector quæ idem *Pererius* habet *pag.*540. ejuſdẽ Diſputationis, ubi leve ac futile vocat κρησφύγετον de Decadibus duabus à Moſe conſideratis, quo unicè nititur *Salianus*, & ſolidè illam ipſam, quam tamen ſub finem probare videtur, ſententiam evertit, *dilemmate* valido propoſito & confirmato, quod *Sectione* XII. produximus: prout & fatetur diſertè, ſe diu multúmque cogitando nullam rationem adhuc reperire potuiſſe, cur Moſes generationem Cainan, ſiquidem ea inter Arphaxad & Sale interceſſit, præterire debuerit, aut potuerit? Vbi etiam bene notat, in libris *Paralipomenωn* utique commemorandam fuiſſe hanc generationem Cainan, ſiquidem interceſſiſſet aliquando, cum vel inprimis inde *Paralipomena* nomen habeant, quod in iis ſuppleantur, quæ alibi in ſacris literis relicta fuerunt. Quæ omnia proba ſunt, ſed Authorem ſuum jugulant, ſententiâ noſtram diſertè firmant, & fidem faciunt indubitato huic axiomati, non poſſe non ſecum confligere illos, qui cum veritate confligunt. Et hæc quidem de *Dubio* illo intricato,

& perplexo admodum, commentari, quamvis prolixius fortè æquo, visum fuit, ubi veritatis unica nobis cura, quam cujusvis etiam laboris dispendio, erutam & assertam voluimus. Et satis nobis vel assensum à Lectore impetrare, vel veniam saltem: quorum ille debetur veritati, ista studio ejus investigandæ.

DVBIVM XXIV.

An dentur gradus alii in Genealogiâ Christi descriptâ à Lucâ, qui hypobolimæi sint, non γνήσιοι?

EXAMEN.

Occasio hujus Dubii. Sententia Authoris cujusdam Anonymi in Thesi & Hypothesi. Fundamenta utriusque. Ἐπίκρισις *Authoris. Rationes. Examen fundamentorum Authoris Anonymi.*

I. DVBIO præcedenti, mentio sæpe facta à nobis *Authoris* cujusdam *Anonymi*, quem comperi esse *Canonicum* quendã *Lemovicensem*, cujus Dissertatio Gallica manuscripta mihi communicata *Dubio* huic occasionem dedit. Cum enim animadvertissem, non saltem Kainan, ut hypobolimæum prorsus, ab eo tribu moveri, in Genealogiâ Domini à Lucâ descriptâ, sed & duas alias generationes præter Kainan, de quibus hactenus, quod sciam, non fuit dubitatum, nec anquisitum inter Theologos, in eam rem penitius mihi inquirendum duxi, & examinanda fundaméta Viri & eruditi, & graviter ac modestè de hoc argumento differentis, præmissâ solenni protestatione, hæc à se, non in Lucæ Scriptoris sacri & Canonici cõtumeliam, quem toto animo veneretur, sed saltem in corruptelas in illum temerè, vel oscitanter infartas, dici. Statuit ergo Author ille
1, gradus duos, præter Kainan, superfluos esse & hypobolimæos in *thesi*,

in *thesi*. 2. *In hypothesi*, eos esse *Matthat* & *Levi*, qui in contextum sacrum vel per fraudem, vel per incuriam irrepserint.

II. *Thesin* à se propositam sic adstruit: Septuaginta quinque gradus hodie in Evágelio Lucæ, à Iosepho ad Adamum inclusivè reperiri, & tamen, apud Veteres, septuaginta duorum saltem ordinariè mentionem fieri. In hunc sensum citat *Irenæum Adv. Hæres. lib.* III. *cap.* XXXIII. qui floruit circa annũ Christi CLXXX. & inquit, *Lucã ostẽdisse, genealogiam, quæ est à generatione Domini nostri, usque ad Adam* LXXII. *generationes habere*. Hujus verò rei, inquit, rationem aliam reddi non posse, quam ætate *Irenæi* tot saltem, non plures gradus numeratos fuisse, credibile ergo esse, nec Lucam plures descripsisse. Addit, non posse excipi, numerum fortè in *Irenæo* corruptum fuisse, eò quod *Irenæus*, è numero illo LXXII. generationum, mysteria eliciat, & illum referat ad totidem nationes & linguas dispersas, prout illæ describuntur *Gen*.X. & XI. ubi Patres plerique, *Origenes*, *Arnobius*, *Eusebius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, & *Augustinus*, eundem numerum LXXII. constanter retinent. Hinc *Author Anonymus* infert, vel tres gradus defuisse genealogiæ Lucæ tempore Irenæi, vel jam superfluos reperiri. Prius dici nõ posse, eo quòd absurdum sit cogitatu, exemplaria Evangelii Lucæ, quæ extabant Irenæi seculo, impuriora fuisse iis, quibus hodie utimur, cum proxima fuerit Irenæi ætas ætati Apostolorum & Evangelistarum, nostra remota admodum. Imò, ut autographa præstant apographis, scaturigo & fons fluentis inde derivatis, sic & illa exemplaria præstare nostris, adeóque irrepsisse in Codices nostros corruptelam seculis sequioribus.

III. *Hypothesin* quod attinet, gradus illos hypobolimæos esse *Matthat & Levi*, probat *Author Anonymus* testimoniis aliquot. 1. Authoritate *Eusebii Pamphili* Episcopi Cæsareensis, qui floruit seculo tertio circa primum Concilium Oecumenicum Nicenum, & refert *lib.* I. *Hist. Eccles. cap.* VII. conciliationem genealogiarum à duobus Evangelistis contextarum ex Epistolâ quadam *Iulii Africani* ad *Aristidem*, in quâ non solum *Africanus* nullum inter Iosephum, Heli, & Melchi gradum intermedium agnoscit, sed & verba Lucæ citat, (τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Μελχί) sine ullâ vel Matthat, vel Levi mentione. 2. Accedit authori-

tas *Gregorii Nazianzeni*, qui floruit circa annum Christi CCCLXX. & in poëmate, quod de Genealogia Christi conscripsit, disertè statuit, Melchi ex Esthâ conjuge genuisse Heli, ex quâ Matthan è familiâ Salomonis descendens genuerat ante Iacobum. 3. Africano & Eusebio succenturiat *Author Anonymus Ambrosium*, qui fuit ὁμῆλιξ & ἰσόχρονος Nazianzeno, & *lib.* III. in Lucam inquit, *Illud quoque advertimus, quod S. Matthæus Iacob, qui fuit pater Iosephi, filiū Matthan esse memoraverit, Lucas verò Ioseph, cui desponsata erat Maria, filium Heli, Heli autem filium Melchi esse descripserit.* Ibidem *Ambrosius* sibi objicit *Dubium* illud, quâ ratione Ioseph duos patres habere potuerit, Heli nimirum & Iacobum, & duos avos diversos Matthan & Melchi, & eandem prorsus cum *Africano* solutionem adfert, nec Ambrosii itaque ætate videntur duo illi gradus intermedii inter Heli & Melchi in Evangelio Lucæ extitisse. 4. *Author Anonymus* addit *Hieronymum* ὁμόχρονον prioribus, qui *Commentario in Matthæum* probat sententiam *Africani*, quod utique nunquam fecisset, siquidem illa contraria fuisset Evangelio Lucæ, & contra authoritatem textus authentici prætermisisset Matthat & Levi. Quod argumentum etiam eò fortius stringere videtur, quod *Hieronymus* accuratus ubique fuerit in notandis omnibus illis, quæ cum libris sacris pugnare, vel illos inter se committere videbantur. 5. *Augustinus* quoque in eundem sensum citatur ab *Authore Anonymo*, qui vixit ad annum usque CCCCXXX. & *cap.* VII. *lib* II. *Retract.* confirmat sententiam *Africani*, inquiens, *Nomen ejusdem mulieris, quæ peperit Iacob patrem Ioseph de priore marito Matthan, qui fuit pater Iacob, avus Ioseph, secundū Matthæum, & de marito posteriore Melchi, peperit Heli, cujus erat adoptivus Ioseph, non tacuit Africanus.* Ex his omnibus, inquit *Author Anonymus*, evidens est & certum, Matthat & Levi patribus illis vel nō innotuisse, vel ab illis pro rejectitiis & hypobolimæis habitos fuisse, cùm nō sit credibile, illos voluisse hac in parte apertè cōtradicere Scripturę S. Siquidē etiā Matthat & Levi seculis illis intercessissent inter Heli & Melchi, *Africanum* sanè non fuisse numeraturū Melchi tertiū à Iosepho, cum gradibus illis admissis quintus demū reperiatur, nec Heli constituturum filium Melchi, sed Matthat potius. Hinc concludit *Author Anonymus*, insertos fuisse sequioribus seculis gradus illos duos Matthat & Levi, adeóque tribu movendos

vendos esse, ut hypobolimæos. Sententia hæc *Authoris Anonymi* videtur roborari posse conjecturâ aliâ probabili, quam inspectio graduum Genealogię Lucæ mihi suggessit: quemadmodùm enim dictum *Dubio* præcedenti, Kainan ex *versu* 37. potuisse irrepere per errorem, aut per fraudem in *versum* 36. sic etiam nomina illa duo Matthat & Levi è *versu* 29. ubi eodem planè ordine recensentur, è margine in *versum* 24. translata iisdem rationibus dici possunt.

IV. Ἐπίκρισιν nostram quod attinet, ut de intentione & scopo *Authoris Anonymi*, quamvis nostrarum partium non sit, candidè & ex æquo & bono judicamus, & eruditionem simul ac ἀκρίβειαν ejus probamus: sic non possumus illi hac in parte subscribere, & obelum, vel spongiam parare in gradus illos, quos παρενθέτους esse satagit in Genealogiâ Lucæ. Rationes nostræ potissimæ hæ sunt. 1. Majorem S. Scripturæ reverentiam deberi, quam ut ob solas authoritates humanas quicquam loco moveamus, quod in Codicibus sacris reperitur: aliam rationem esse expuncti Kainan, ob authoritatem Mosis, & Scriptoris Paralipomenων, quam sacrosanctam esse oportet, & sine quâ foret, nec Kainan loco moveri, vel lis illi intentari deberet. Nec potest excipi, idem hîc non reperiri, eo quod Genealogia à Lucâ contexta non extet in Veteri Testamēto inde à Iosepho ad Nathanem usque, siquidem verò extaret, dubio procul etiā defuturos duos illos gradus hypobolimæos. Nam præterquam quod hoc à merâ conjecturâ sit, cùm nullus nobis error hac in parte detegatur à Spiritu Sancto, nec à nobis affingendus est Codicibus sacris, ne αὐθεντίαν & integritatem illorum, simul ac licentiam nostram prostituamus. 2. Adde, Patrum authoritatem solam, Scripturâ, & ratione evidente destitutam, parum firmam esse, non solùm quia illi errori obnoxii, & scripta illorum corruptelis, sed & quia in eâdem materiâ sæpe ipsi inter se confligunt. Tametsi verò hîc multi in eâdem sententiâ conspirare videantur, id tamen exigui ponderis est, quia ab uno vel paucis ad plures error manavit, qui Scriptorum anteriorum opinioni, sine examine accurato, subscripsêre, hîc vel inprimis, ubi de conciliatione cōmodiore Evangelistarum illis in mentem non venit; Vnde *Africano* multi certatim sunt assensi, desperatione solutionis commodioris, potius quam ut vel hærerent ἀσύμβολοι,

vel ἐναντιότητα inter ſacros Scriptores dari faterentur.. Sic ſæpe ab illis erratum in aliis, quæ à recentioribus longè feliciùs eruta. Nec verò id ad contumeliam ſanctiſſimorum & doctiſſimorum Eccleſiæ veteris Antiſtitum pertinet, vel ob id illorũ fama flagellatur, aut recentiorum perſpicacia commendatur, ſed potius felicitas noſtra, quod nos illorum laboribus fruamur, illi nullorum, vel paucorum ſaltem ante ſe: Vnde ut pygmæo gigantis alicujus humeris inſidenti ad multa proſpectus patet, giganti non item, nõ illius magnitudine, ſed iſtius ſuccollatione: ſic nobis ſæpe non noſtrâ, ſed temporum felicitate, & aliorum manuductione datur proſpectus ad ulteriora. Non novum verò eſſe, unum errorem, quamvis ab uno ſaltem Authore hauſtum, ad quamplurimos emanaſſe, unus Chiliaſtarũ error ſatis ſupérq; teſtatur, qui à *Papiâ*, ſecundũ *Euſebium*, diſſeminatus, & Orientẽ, & Occidentẽ pervaſit, & ſe latiſſimè diffudit, & *Irenæo, ac Sulpitio Severo* in Galliâ, *Tertulliano & Lactantio* in Africâ, *Iuſtino Martyri* Romæ, aliis alibi impoſuit, quamvis Patres illi etiam ſatis vicini eſſent ſeculo Apoſtolorum. Non mirum ergo hanc *Africani* opinionem de genealogia Lucæ, ſpecioſam primâ fronte, Patribus multis impoſuiſſe, adeoque quia ab illo prætermiſſi Matthat & Levi, idem ab aliis exceptum & tranſcriptum. 3. Quia Patres hîc opponi poſſunt Patribus, & multi ex iis, qui aliquam genealogiæ à Luca contextæ mentionem faciunt, retinent Matthat & Levi, è quorum cenſu eſt *Hieronymus*, qui, *Tomo* IX. *cap.* III. Lucæ, diſertè eos inſerit inter Heli & Melchi. Sic *Auguſtinus quæſt. Evangel. lib.* II. *cap.* V. inquit *Lucam à Domino uſque ad David quadraginta tres generationes enumerare*, quod falſum ſi Matthat & Levi expungantur: ſic idem *Auguſtinus cap.* VI. ejuſdem libri docet *ſeptuaginta ſeptem perſonas, ſecundum generationes, quas Lucas ſecutus eſt, inveniri*, quibus vero fidiculis LXXVII. perſonæ exprimentur è Lucâ ſine Matthat & Levi? Sic *Gregorius Nazianzenus* Carmine περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ γενεαλογίας diſertè utrumque recenſet.

Μελχὶ, καὶ Λευὶ, καὶ Ματθαὺ. Ηλεί. Ιωσήφ.

Fruſtra itaq; ab Authore Anonymo, ut videbimus, *Nazianzenus* citatur; qui parum ſibi conſtat, prout & hic Ματθαὺ pro Ματθὰτ recenſet, errore & manifeſto, & obvio. Sic *Theophylactus* in *cap.* III. Lucę *Edit. Rom. pag.* 227. diſertè Matthat & Levi mentionem facit.

facit. Si multi ex Patribus aliis non meminerunt graduum illorum, nec aliorum meminerũt, adeoque cum gradus genealogicos non inſerant operibus ſuis, argumentum ab illorum authoritate duci nequit.

V. Authoritates quod attinet, quæ citantur ab Authore Anonymo, illæ tanti non ſunt, ut ob eas nomina duo è textu ſacro expungere debeamus. *In genere* enim notandum, Patres variè admodum de gradibus genealogicis loqui, adeoque illorum teſtimoniis ſolis ſtandum non eſſe, quod ex illorum inter ſe collatione Lectori ſtudioſo evidens erit, ſive diverſis illi exemplaribus uſi fuerint, ſive eâ in re alioquin parum fuerint accurati, & ſibi ex incertis traditionibus multum permiſerint. Vel ſolus *Damaſcenus* huic rei fidem faciat, qui Πάνθηρα quendam & Βαρπάνθηρα ſtramentitios & hypobolimæos, toti antiquitati ignotos; infarcit lib. IV. *de Orth. fide cap.* XV. & quem Lucas patrem conſtituit Levi, ille filium facit, inquiens Λευὶ ἐγέννησε τὸν Μελχὶ, contradicens diſertè Evangeliſtæ, quamvis ibîdem ad ſententiam *Africani* in rei ſummâ accedat. Ne quis tamen ſcrupulus moretur Lectorem, ad ſingulas authoritates diſtinctè reſpondebimus. 1. Ad teſtimonium *Irenæi. Reſp.* 1. Illud quidem in ſpecie ad Theſin probandam facere, ad hypotheſin non item. Nec enim magis expungit Matthat vel Levi, quam alios quoſvis. 2. In numeris parum accuratos eſſe Patres, & ſæpe in calculo ſacro hallucinari, ſæpe etiam numeros torquere ad myſteria, quæ inde educere per interpretationes allegoricas ſatagunt. Vt vero illa ſæpe infirma & incerta, ſic & fundamenta eorum. An adeò mirum ergo LXXII. duas ſaltem generationes ab Irenæo fuiſſe numeratas? 3. Tametſi etiam Irenæum hic erraſſe dicamus, non ob id ſequitur Codicem Irenæi vitioſum fuiſſe, ſed fortè Irenęum non fuiſſe accuratum in gradibus percenſendis, vel ſi Irenæi Codex vitioſus fuerit, non ſequi omnes alios illâ ætate etiam vitium paſſos fuiſſe. 4. Imò, annon *Author Anonymus* fatetur, multos è Codicibus veteribus habuiſſe Kainan hypobolimæum, & quidem, quod demonſtravimus *Dubia* ſuperiore, maturè poſt Evangeliſtarum tempora; non ergo adeò mirum *Authori Anonymo* videri debet, *Irenæum* codice vitioſo uſum fuiſſe. 5. Sed non opus ut eò confugiamus, ſiquidem enim calculum rectè poſuerimus, totidem ſaltem cum Irenæo

generationes reperiemus in Genealogiâ Domini, nimirum septuaginta & duas, quamvis annumeratis Matthat & Levi. Nam cum inquit *Irenæus*, *à generatione Domini usque ad Adam genealogiam* LXXII. *generationes habere*, verba ejus æquè *exclusivè* ac *inclusivè* possunt accipi, & probabilius *exclusivè*, non cōnumeratis terminis duobus *à quo*, & *ad quem*, Christo & Adamo, hoc sensu, septuaginta & duas generationes interjici inter Dominum & Adamum, quod verissimum, Iosepho prætermisso, & parenthesi incluso, (ut ostensum ad Dubia XX. XXI. XXII. *Sect.* XXX.) quippe qui ad Genealogiam illam, quam Lucas contexit, non pertinet, à quo dictum, Iesus (qui putabatur filius Iosephi) erat filius Heli. Quâ ratione tantum abest, ut Iosephus Genealogiæ illi sit inserendus, ut potius disertè ex eâ excludatur. Heli ergo erit primus à Christo, cujus Christus ex Mariâ nepos, Mariâ ipsâ quoque hîc non annumeratâ, ut fœminâ, ex more gentis. Vt verò fundamentum hoc unicum *Authoris Anonymi*, cui alia omnia superstructa, solidè eversum pateat, gradus omnes inter Christum & Adamum interjectos subjiciemus 1. *Heli.* 2. *Matthat.* 3. *Levi.* 4. *Melchi*, 5. *Ianna.* 6. *Ioseph.* 7. *Mattathias.* 8. *Amos.* 9. *Naum.* 10. *Esli.* 11. *Nagge.* 12. *Maath.* 13. *Mattathias.* 14. *Semei.* 15. *Ioseph.* 16. *Iuda.* 17. *Ioanna.* 18. *Rhesa.* 19. *Zorobabel.* 20. *Salathiel.* 21. *Neri.* 22. *Melchi.* 23. *Addi.* 24. *Cosam.* 25. *Elmodam.* 26. *Er.* 27. *Iose.* 28. *Eliezer.* 29. *Iorim.* 30. *Matthat.* 31. *Levi.* (ubi in apographo *Authoris Anonymi*, quod ad manus meas pervenit, hiatus, & prætermissi per incuriam amanuensis, *Simeon, Iuda, & Ioseph*, numerorum tamen ratione sibi constante) 32. *Simeon.* 33. *Iuda.* 34. *Ioseph.* 35. *Ionam.* 36. *Eliacim.* 37. *Melea.* 38. *Mainan.* 39. *Mattatha.* 40. *Nathan.* 41. *David.* 42. *Iesse.* 43. *Obed.* 44. *Booz.* 45. *Salmon.* 46. *Naasson.* 47. *Aminadab.* 48. *Aram.* 49. *Esrom.* 50. *Phares.* 51. *Iuda.* 52. *Iacob.* 53. *Isaac.* 54. *Abraham.* 55. *Thara.* 56. *Nachor.* 57. *Samech.* 58. *Ragau.* 59. *Phalec.* 60. *Heber.* 61. *Sale.* (Kainan ut hypobolimæo, etiam ex sententia *Authoris Anonymi*, omisso) 62. *Arphaxad.* 63. *Sem.* 64. *Noe.* 65. *Lamech.* 66. *Mathusala.* 67. *Henoch.* 68. *Iared.* 69. *Mahalaleel.* 70. *Kainan.* 71. *Henos.* 72. *Seth.* Et hæ sunt septuaginta & duæ illæ generationes, quarum meminit *Irenæus*, cur enim *Author Anonymus* iis accenseat Adamum, causam non video, cum *Irenæus* saltem dicat, *in generatione Domini nostri usque ad Adam*, LXXII. *generationes genealogiam Lucæ habere.* Tantum ergo abest, ut Matthat &

that & Levi ſint expungendi, ut contra iis expunctis, LXX. ſaltem generationes reliquæ fiant, & calculus Irenæi planè cō-turbetur. Miror ſanè hæc non fuiſſe animadverſa ab *Authore Anonymo*, viro cæteroquin erudito & accurato, in quibus tamen potiſſimum cauſæ ſuæ fundamentum conſtituit, prout & in fine Diſſertationis ſuæ teſtatur, ejus ſolius occaſione ſe primò in hanc ſententiam perductum fuiſſe, gradus tres ſuperfluos reperiri, adeoque diſquiſitionem hanc inſtituiſſe, quinam illi ſint, ubi duas *hypotheſes* falſas repetit, & calculum à Ioſepho inchoandum, & incluſivè ſumendum Adamum, quorum neutrum docet *Irenæus*.

VI. Ariete hoc palmario everſo, levi operâ, illa, quæ ab *Authore Anonymo* ad probationem *hypotheſews* afferuntur, diſpungi poſſunt. *Euſebii* teſtimonium & *Africani* ex Euſebio, leve eſt. 1. Quia παρεράματα Euſebii frequentia, & judicium imbecillum, obvium paſſim viris doctis, & in antiquitate verſatis. 2. quia Euſebius ſolâ Africani fide nititur, & verba ejus nuda refert. 3. Quia *Africani* authoritas dubia, verba ejus timida & ſuſpenſa, & conciliatio Evangeliſtarum, ab eodem tentata, inanis, ut demonſtratum ad *Dubia* XX.XXI.XXII. 4. Eo ipſo quo *Africanus* contradicit Lucæ, erroris reus peragi poteſt: Lucâ enim enumerante Matthat & Levi, nec contradicente ullo Scriptore Canonico, contradicente verò *Africano*, cujus quæſo judicio ſtandum exiſtimabimus, Lucæ, an Africani?

VII. *Gregorii Nazianzeni* authoritas parum promovet. 1. Quia illius teſtimonium ab *Africani* unius fide ſuſpenſum. 2. Quia imprudenter admodum, ut molliſſimè dicam, ſibi contradicit, & errores alios miſcet, quæ non viſa, nec conſiderata *Anthori Anonymo* miror. Nec enim candor ejus, quem in toto ſcripto cæteroquin animadverto, patitur, ut ſiniſterius quid ſuſpicer, & hęc ab eo diſſimulata conſultò putem: conferat verò Lector inter ſe verſus illos *Nazianzeni*, & judicet, quid illius teſtimonio tribuendum videatur. Nam primò, in Carmine περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ Γενεαλογίας exprimit opinionem *Africani*, inquiens

Ματθαὶ ἐκ Σολομῶνος ἄγων γένος, ἠγάγετ᾽ Ἐσθάν.
Τοῦ δ᾽ ἄρ᾽ ἀποφθιμένοιο, λαθείδης οὔνομα Μελχί.
Καὶ τοῦ μὲν Ἰακὼβ, τοῦ δ᾽ Ἠλεὶ γείνατο παῖδας.

Ἠλεὶ δὲ φθιμένοιο, ἐπεὶ γόνον οὔτιν' ἔλειπεν,
Αἶψα δόμον τε λέχος τε Ἰακὼβ οὐχ ὁμόπατρος
Δέξατο, καὶ τέκεν υἱὸν ἀδελφεοῦ ἐσθλὸν Ἰωσήφ.
Οὕτω τοῦ μὲν ἔην, τοῦ δ' ἔγραφε θεσμὸς Ἰωσήφ.

Hîc ſanè nullos interſerit *Nazianzenus* inter Melchi, Heli, & Ioſeph, adeoque ignoraſſe omninò videturgradus intermedios Matthat & Levi. At paulò poſt illâ ipsâ *paginâ* 37. *Edit. Baſil. Ioannis Hervagii*, quando enumerat generationes omnes è textu Lucæ, diſertè Matthat & Levi prætermiſſos prius inſerit.

Μελχὶ, καὶ Λευὶ, καὶ Ματθάν. Ἠλεὶ. Ἰωσήφ.

Et ne videatur *Matthan*, vt dictum, ex lineâ Salomonis inſertus fuiſſe, eo quod apud Lucam legamus Ματθὰτ, non Ματθὰν, qui occurrit apud Matthæum, ei rei cavet Nazianzenus hemiſtichio ſequenti

Λουκᾶς μὲν οὕτω.

Sic pari ratione Ματθὰτ è *verſu* 29. vocat Ματθὰν, adeoque docet nomina illa à ſe promiſcuè accepta,

τοῦ Λευὶ. τοῦ δ' ἀπὸ, Ματθάν.

Quî verò hæc conciliari poterunt? vel enim Matthat & Levi interceſſerunt re verâ, vel non. *Si prius*, falſi ſunt verſus priores, in quibus ſententiam *Africani* ſequitur *Nazianzenus*. *Si poſterius*, falſi ſunt verſus poſteriores, & nequicquam inſeruntur Λευὶ & Ματθὰν inter Μελχὶ & Ἠλεί. Sic *Nazianzenus* ibidem errorem aliũ habet, & arbitratur Mariam è tribu Levi, & familia Aaronis oriundam fuiſſe, & id probat teſtimonio Angeli,

--- Παρθενικῆς γὰρ ἔην παῖς. ἐκ Μαρίης δὲ
Λευΐδης. Μαριὰμ γὰρ ἀφ' αἵματος ἦεν Ἀαρὼν
Μάρτυς δ' ἄγγελος ἄμμιν --quod tamen falſum eſſe ſuprà demonſtratum fuit.

VIII. *Ambroſii* authoritatem, quam ſubjicit *Author Anonymus* ex *lib.* III. *Commentar.* ejus in Lucam, parum moramur, quandoquidem ille non è Lucâ genealogiam recenſet, ſed ſaltem, conciliaturus Matthæum & Lucam, confugit ad ſententiam *Africani*, vel ſine examine, & collatione ejus cum textu ſacro, quod ſolenne Patribus multis, vel deſperatione ſolutionis probabilioris. Non ergo inferendum, *Ambroſium* nullo modo probaturũ fuiſſe ſententiam *Africani*, niſi illam conformem deprehendiſſet con-

ſet contextui Lucæ, vidimus enim *Nazianzenũ* utrumque conjunctim habere, & ſententiam Africani, & tamen ſimul in relatione textus Lucæ, Levi & Matthat. *Hieronymi* authoritas etiã nequicquam adducitur *è capite primo* Matthæi, 1. Quia ibi in genere ſaltem meminit ſententiæ *Africani. Super hoc*, inquit, *& Africanus temporum ſcriptor, & Euſebius Cæſarienſis in libris διαφωνίας ἐυαγγελιῶν plenius diſputarunt*: ubi ſive dicamus *Hieronymum* ſecutum fuiſſe ſententiã *Africani*, quod probabile, ſive non ſecutum, uterque ſenſus ex ęquo ex verbis *Hieronymi* elici poterit, ut qui ſaltem doceat, ea de re diſputatum fuiſſe ab his vel illis. 2. *Hieronymum* opponimus *Hieronymo*, teſtimonio obſcuro, & ambiguo, teſtimonium clarum & evidens, in textu enim Lucæ, qui *Tomo* IX. *Hieronymus* diſertè Matthat & Levi interſerit inter Eli & Melchi ſine obelo. Annon *authoritas affirmans hîc major negante?* ut melius applicemus axioma à *Gordonio & Saliano* ſuprà detortum. Nec *Auguſtino* ſubſcribendum, tum quia ille parũ ſibi conſtat in hac materiâ, tum quia hoc quoque ex *Africano* hauſit, & ſine accuratiore diſquiſitione excepit, tanquam plauſibile argumentum conciliandis Evangeliſtis, & revincendis Adverſariis. Conjectura etiã de duobus illis nominibus per errorẽ in textum, alieno loco, relatis, leuis eſt, quia cauſa deeſt, cur irrepſiſſe dicãtur. Et hæ quidem vindiciæ debebantur veritati, quas ſine obtrectatione ulla, cujus cauſam procul habeo, opponẽdas cenſui *Authori Anonymo*, & in illâ ſententiâ perſto, ſolis hominum ſuffragiis nihil in S. Scripturâ loco movendum. Et ſanè, ſine Moſis, & Scriptoris Paralipomenων authoritate, nec Kainan excẽturiandus fuiſſet. Religioſè enim in religioſis verſandum, & ſumma reverentia adhibenda circa ea, quæ Dei majeſtatem nobis repręſentant. Nec dubito, quin A*uthor* A*nonymus* pro candore, quem in ſcripto ejus obſervo, re penitius conſideratâ, non nobis, ſed veritati, ſit herbam porrecturus.

DVBIVM XXV.

Cur Mulieres vel alienigenæ & gentiles, vel peccatorum enormium reæ, Genealogiæ Christi inſertæ fuerint, ſanctæ mulieres non item?

Causa dubii propositi. Patrum meditationes suaves. Lyrani ἐνστάσεις. *Earum confutatio. Vis vocis* זונה. *Rationes aliæ commemoratarum mulierum, & peccatricium, & gentilium. Maldonatus notatus.*

I. DUBIUM hoc non de nihilo. Non immeritò enim mirari subit, quî factum, quod sanctarum mulierum non meminerit Matthæus in Genealogiâ Servatoris nostri, sed quatuor saltem mulierum, duarum indigenarum, & duarum alienigenarum: indigenarum Thamar & Batsebæ, alienigenarum Rachab & Ruth, quæ tamen omnes ingentium criminum reæ, Thamar incestus, Batseba adulterii, Rachab prostituti pudoris, Ruth una cum illâ cultus idololatrici, ut quæ æquè ac Rachab educata in tenebris paganismi fuit, ista origine Hierechuntina, illa Moabitis, utraque è gentilium maledictioni divinæ obnoxiarum censu.

II. Statuendum tamen, ut nihil omninò sine gravi causa à Spiritu Sancto in S. Scripturam relatum fuit, sic nec temerè fœminas has peccatrices, omnes singularium criminum reas, & alienigenas aliquas, sacro huic Catalogo insertas fuisse. Causis verò aliis levioribus prætermissis, quæ à quibusdam Interpretibus solent adferri, jucundæ admodum & ἑλκυστικαὶ sunt meditationes Patrum quorundam veterum, quibus scrupulum hunc sibi & aliis eximere sategerunt. 1. Quidam volunt à peccatricibus insignibus descendisse Christum, ut ostenderet, se propter peccatores venisse, peccata in se & translaturum, & deleturum. Hoc innuit *Origenes Homil.* XXVIII. in III. *cap.* Lucæ. *In Matthæo,* inquit, *nominari Thamar, quæ cum socero fraude concubuit, & Ruth Moabitidem, nec de genere Israel, & Raab, & conjugem Vriæ, quæ violavit mariti torum, quia Dominus & Salvator noster ad hoc venerat, ut hominum peccata susciperet, & propterea descendens in mundum assumpsit peccatorum hominum vitiosorúmque personam* &c. Subtilius verò ἀλληγορεῖ *Origenes*, dum causam reddere conatur, cur apud Lucam mulierum ejusinodi mentio non extet, inquiens id fieri, eo

quod Christus ibi de lavacro conscēdens, & in secundo quodam ordine describatur. Hieronymus subscribit *Origeni in cap.* I. Matthæi. *Notandum*, inquit, *in Genealogia Servatoris nostri nullam sanctarum mulierum assumi, sed eas quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens omnium peccata deleret. Vnde & in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabee uxor Vriæ.* Sic *Ambrosius in cap.* III. Lucæ. *Matthæum putasse, Christum ne hujus quidem exortem asserendum esse pietatis, ut maculatæ quoque originis non recusaret injuriam.* His accedit *Chrysostomus Homil.* III. in Matthæum, ubi postquam se diffudit in varias allegorias de Thamar, & gemellis ejus, subjicit, *διὰ τοῦτο καὶ τῆς Ῥοὺθ, καὶ τῆς Ῥαὰβ μέμνηται, τῆς μὲν ἀλλοφύλου, τῆς δὲ πόρνης, ἵνα μάθῃς, ὅτι πάντα ἦλθε τὰ κακὰ λύσων τὰ ἡμέτερα, ὡς γὰρ ἰατρὸς οὐχ ὡς δικαστὴς παραγέγονεν.*

III. Antequam alias Patrum rationes proponamus, prima vindicanda est. *Lyranus* enim solutionem allatam multis communem in personâ *Hieronymi* oppugnat, & contendit, hanc causam hic locum habere non posse: 1. Eo quod ob peccata tres Reges fuerint expuncti ex hoc Catalogo. 2. Eo quod Maria inseratur huic Catalogo, quamvis sancta. 3. Eo quod Rachab & Ruth propter virtutis actum potius expressæ fuerint, illa ob exploratorum receptionem, ista ob pietatem in socrum, & quod utraque paganismo relicto ad populum Dei transierit, unde & Rachab in Catalogo fidelium collocatur *Hebr.* XI. & Ruth insigni testimonio ornatur à Booz. 4. *Meretricem* fuisse tantum cognomen Rachab, & non oportuisse, quod fuerit talis secundum rem, sicut v.g. pauper aliquis Regis sæpe nomen sortitur. Hebræos etiam habere hospitatricem, ubi nos habemus meretricem. Et sane addi potest sententiæ *Lyrani*, nomen זונה non videri pertinere ad infamiam Rachab, sed vitę genus designare, quod cauponariam fecerit, ut volunt plerique ex Iudæis, nominatim Rabbini, *Salomo & Kimchi.*

IV. Sed tamen hæ *Lyrani* objectiones tanti non sunt, ut Patrum piæ & sanctæ meditationes ob eas sint rejiciendæ. Nam 1. *Lyrani* ἔνστασις particularis saltem est de Rachab, & Ruth, nec attingit exempla Thamar, & Bathsebæ. 2. Peccat *Lyranus Elencho parium*, alia enim ratio trium illorum Regum, ut ostensum *Dubio* IV. qui expuncti non ob peccata sua, sed ob maledictionem peculiarem denuntiatam domui Achab. Leve enim mihi vi-

detur, & parum ſolidum, quod quidam excipiunt, tres Reges prætermiſſos, eò quod in impietate ſuâ perſtiterint, mulieres hæ peccatrices non item. Quot enim Reges impii inter majores Chriſti ibidem referuntur, qui ad extremum uſque ſpiritum in idololatrico cultu & omnis generis flagitiis perſtitêre? 3. Alia hîc ratio Mariæ, alia, aliarum fœminarum: illa ut mater immediata Chriſti prætermitti non potuit, iſtæ potuêre. Adde Mariā ſubjici Catalogo huic potius, quā inſeri. 4. Manet ſemper nodus, cur quatuor mulieres reæ ingentium peccatorū Catalogo huic inſertæ legantur, laudatæ non item, quales Sara, Rebecca, Rachel, & aliæ id genus. 5. Confundit *Lyranus* tempora, laudantur ſanè Rachab & Ruth, ſed non quandiu illa pudorem ſuum proſtituit, & utraque diis patriis ſacra fecit, verùm tum demum, poſtquam idolorum cultu relicto, pietatem & fidem ſuam inſignibus documentis populo Dei probârunt. 6. Falſa *Lyrani* ſententia, quam ſupponit, non probat, זונה fuiſſe cognomentum Rachab, vel notare, eam cauponariam feciſſe, & fuiſſe ξενοδόχον vel πανδοκεύτειαν ſaltem, *cauponam*, ut vertit *Pagninus*. *Inſt.* Duplici argumento poſſe roborari ſententiam *Lyrani* 1. authoritate *Paraphraſtæ Chaldæi*, qui vertit אתתא פונדקיתא pro אשה זונה γυναῖκα πανδοκεύτριαν, voce Chaldaicâ è græcâ formatâ, *mulierem cauponariam facientem.* 2. *Origine vocis*, videtur enim deſcendere à radice זון, quod notat Chaldæis alere, paſcere. 3. *Ratione*, quia abſurdum, proſtibulum nubere Principi: At Rachab Salmoni Principi in tribu Iudâ copulata legitur: *Reſp.* Repugnare ſententiæ *Lyrani* 1. *Authoritatem Apoſtolicam* ἀναντίῤῥητον inter Chriſtianos, quæ oſtendit τὸ זונה, nec cognomen fuiſſe Rachabæ, nec deſignare ibi vel ſolùm, vel præcipuè vitæ genus honeſtum & licitum, nam *Hebr.* XI. 31. Ῥαὰβ diſertè vocatur ἡ πόρνη ſcortum. Idem epitheton retinet *Iacobus* II. 25. Ῥαὰβ ἡ πόρνη, ubi *Syrus* utrobique habet זניתא meretrix, proſtibulum. 2. *Analogiam Grammaticam*, præterquam enim quod זון Chaldaicum eſt, non Hebræum, ſiquidem nomen illud à זון derivaretur, potius זנה quam זונה dictum foret, ut זרה à זור & alia id genus, ex *formâ quieſcentium in mediâ Vau*, cum זונה ſit *ex formâ quieſcentium in ultimâ* ה. Quamvis fatendum, quædam exempla hujus etiam formæ reperiri, ut טובה à טוב quæ tamen rariora. 3. *Verſionem* LXX. quæ conſtanter vocem זונה reddit per πόρνην.

πόρνην 4. Non eſt ergo quod Rabbinorum *Salomonis* & *Kimchi*, vel Pagnini, aut aliorum id genus hominum authoritatem moremur, quæ cum illorum dignitate comparari nequit, quos pro ſententiâ noſtrâ citavimus. 5. Authoritas *Paraphraſtæ Chaldæi* Apoſtolicâ longè inferior, & probabile admodum per εὐφημισμὸν Chaldæum ſubſtituiſſe vocem leniorem à Græcis, quod ſolenne Chaldæis, traductam, eò quod durum illi videretur, æquè ac Iudæis aliis, mulierem tantæ virtutis & dignationis, pudorem proſtituiſſe, & quæſtum infamem corpore ſuo feciſſe, vel etiam ſpeculatores illos, homines probos, & officii memores divertiſſe in ganeum. Quaſi verò, ut notat Doctiſſimus *Maſius*, illi libidinis ſuæ explendæ, & non potius ejus, quod ſibi datum erat, negotii conficiendi causâ, fornicem ſubierint. Sic Rachab, quod addit *Maſius*, gratiam Dei tanto illuſtriorem reddidit, & cœleſtes choros eo majori gaudio exhalaravit, quãto vitia impuriora cum virtutibus majoribus commutavit. Addamus ſententiæ *Maſii*, ſpeculatores illos non conſultò in fornicem divertiſſe, ſed ejus rei inſcios, divinâ tamen providentiâ paſſus illorum dirigente, ad ædes Rachab delatos fuiſſe, duas ob cauſas, tum quia cauponariam ſimul facere ſolebat (quod valde probabile) & hoc velum obtendere vitę infami, & multorum acceſſui: tum quia, ut è textu patet, ædes illius non ſolum in loco obſcuro & remoto, ſed & muro vrbis inædificatæ erant, adeoque cõmodæ admodum & ad receptum clandeſtinum, & ad fugam, quod etiam bene ipſis poſtmodum ceſſit. Vnde quoque hominibus illis conſtare poterat de vitâ hoſpitis ſuæ? qui peregrini prorſus erant, & tum primò urbem ingreſſi, & quibus tutum non erat in multa curioſè inquirere. Nullo modo itaque illis vitio vertendum, quod illuc diverterint. Quid ſi Chaldæus etiam Interpres uno nomine conjunctim expreſſa voluerit duo diverſiſſima, quæ ipſi videbantur latitudine vocis Hebrææ, & à זון & à זנה derivatæ comprehendi, & vitæ genus, & flagitium, proſtibulum enim πανδοχεύτρια eſt, æquę ac cauponariam faciens, utraque utique אתתא פונדקיתא vocari poteſt. *Maſius* quidem ſententiæ illi accedit, id vocis per εὐφημισμὸν à *Chaldæo* ſubſtitutum, *ut impurum meretricis nomen vitaret, & pudicis parceret auribus, non ut rem ipſam diſſimularet, atque pro muliere meretrice, tabernariam induceret*. Idem addit *Maſius*, aliis pleriſque locis ab

illo verecundiæ gratiâ factum esse, prostibulum alibi etiam vocari nomine minus infami, נפקת ברא *exeuntem foras*, de verbo ad verbum, item טעיתא quasi aberrantem, vel *oberrantem*, & מטעיתא, sive מטעיא ab eâdem origine. Meretricem etiam Rachab fuisse inde probat *Masius*, quod, dum omnibus necessariis atque familiaribus suis salutem paciscitur, mariti non meminerit. Adde *Tamuldicos* prodere, totis quadraginta annis, quibus Israelitæ post relictam Ægyptum, oberrarunt in deserto, Rachab corpus quæstui habuisse, & quinquagenariam tandem meliora consilia cepisse, quod tamen falsum esse, nec locum habere posse, ostensum *Dubio* III. *Sect.* V. His prolixius immorati fuimus, non tam ad Lyrani interpretamentum explodendum, quam ut authoritatem Apostolorum Pauli & Iacobi, nomen Hebræum זונה hoc modo exponentium, à cavillis *Iudæorum* vindicaremus.

Quod etiam objectum fuit, parum verisimile esse, prostibulum nupsisse Principi è tribu Iudâ, qualis Salmon, leve est. Nam præterquam quod Rachab & beneficio insigni, & fide majori se commendarit populo Dei, & Reges ac magnates multi conjugia cum inferioribus in S. Scripturâ iniisse legantur, multi sæpe genio obsequuntur suo, & majorem affectus sui quam vel ordinis, vel existimationis suæ rationem habere solent. Adde & Rachab luxuriosum & infame vitæ genus pœnitentiâ salutari terminasse, unde quando ab Apostolis vocatur πόρνη, id δίχανεμπικῶς saltem intelligendum, & *antecedenter*, ut Simon vocatur leprosus, etiam post sanationem *Marc.* XIV. 3. Matthæus publicanus, sic ille qui justificatur, vocatur impius, & meretrices & publicani dicuntur præcessuri alios in regno cœlorum, quæ attributa non *reduplicativè* vel *consequenter*, sed *antecedenter* saltem sunt intelligenda.

V. Substituit *Lyranus* rationem aliam, cur fœminarum illarum mentio facta fuerit à Matthæo, & inquit, *eas ob id expressas esse, quia fuerint viris suis, ex quibus conceperant, accidentaliter conjunctæ.* Addit Lyranus. *Non debere aliquem moveri, si recedat in hoc à dictis Hieronymi, quia dicta sanctorum non sint tantæ authoritatis, quin liceat sentire contrarium in his quæ non sunt per S. Scripturam determinata*, & probat id *Augustini* testimonio. *Posterius* hoc *Lyrani* effatum in Thesi æquissimum est, & praxis ejus solennis Scri-

ptoribus

ptoribus Pontificiis: oſtendant illi, quo iure idem noſtris Theologis licere nolint, & cur, ob diſſenſum eorum à Patribus, immanibus ſæpe conviciis illos proſcindant. *Prior* verò ratio à *Lyrano* propoſita levis eſt & inanis, cui bono enim illarum ſaltem mentio facta, quæ accidentaliter viris conjunctæ fuerunt? Quid verò inde vel Chriſto, vel nobis, vel ſcopo Matthæi accedit? Firmior longè Patrum ſentẽtia, quam impugnat *Lyranus*, Chriſtum à peccatribus inſignibus deſcendere voluiſſe, ad teſtandam inſignem Dei miſericordiam, & ſingularem συγκατάβασιν ſuam, ut hoc conſolationi peccatorum daret, ſe medicum, non Iudicem peccatoribus primo adventu futurum oſtenderet, & teſtatum faceret, ſe probra & vituperia noſtra ſuſcepiſſe, ut in nos gloriæ ſuæ divitias transferret.

VI. Accedunt verò etiam cauſæ aliæ à *Patribus* quoque notatæ; id factum, ut oſtendatur natura Eccleſiæ militantis, eam nimirum ex peccatoribus conflatam eſſe. Hoc innuit *Ambroſius Tomo* V. *lib.* III. in Lucam, in Chriſti genealogiâ peccatrices ejuſmodi fœminas reperiri, *ne pudeat Eccleſiam ex peccatoribus congregari, cum Dominus de peccatoribus naſceretur.* Addit *Ambroſius* rationes alias egregias, cur id factum fuerit, nimirum, 1. ut Chriſtus beneficium redemptionis etiam à ſuis majoribus inchoaret. 2. Ne quis putaret originis (h.e. majorum) maculam impedimento eſſe virtuti. 3. Ne quis ſe inſolenter de generis ſui nobilitate jactaret. 4. Ne parentum crimina erubeſcat ille, cui datur facultas obumbrandæ originis flore virtutis.

VII. His gemina ſunt, quæ obſervat *Chryſoſtomus*. 1. Deum ſic voluiſſe retundi faſtum Iudæorum, gloriantium ubique de ſuis progenitoribus, & eorum virtute. 2. Sic innui, unumquemque de propriis, non de majorum peccatis, ſolicitum eſſe debere, nec ulli de majorum virtutibus gloriandum. 3. Non eſſe deſperandum de peccatoribus gravium etiam criminum reis, utpote quorum vocationi & converſioni circa *horam undecimam* locus adhuc eſſe poteſt *Matth.* XX. 6. 4. Filios negligendos non eſſe, etſi in parentibus præceſſerit vitium, quod docet Hieronymus *Epiſt.* LXI. *ad Pammachium.* 5. Illorum virtutem ſplẽdidiorem eſſe, qui, malis progenitoribus orti, ſtrenuè nihilominus virtutem conſectantur, ἐκεῖνον, inquit *Chryſoſtomus*,,

ἐκλάμπειν μειζόνως, ὁ μὴ ἐκ τῶν σπουδαίων προγόνων ὤν, γινόμενος δ' ἀγαθός, &c.

VIII. *Augustinus* à *Fausto Manichæo* hoc nomine etiã vexatus, suaviter admodũ & sanctè de hac re loquitur *lib.* XXII. cõtra *Faustum cap.* LXIV. inquiens, Faustum Christi progenitores culpando, incarnationi ejus fidem derogare voluisse, sed ignorasse miserum *verissimum & veracissimum Salvatorem, non solum loquendo, sed etiam nascendo magistrum extitisse.* Fideles enim ejus, venturos ex omnibus gentibus, etiam exemplo carnis ipsius discere debuisse, parentum suorũ iniquitates sibi obesse nõ posse. Proinde sponsum illum, suis congruentem invitatis, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, etiam nasci voluisse de bonis & malis. Idem docet *Augustinus* in paschate fuisse præfiguratum, & concludit caput, *Christum documenta Dei & hominis ubique conservasse, & parentes bonos & malos propter convenientiam humanitatis nonspreuisse, partum autem Virginis propter miraculum divinitatis elegisse.*

IX. Et hæ quidem meditationes Patrum sufficienter ostendunt, cur peccatrices fœminas disertè designatas voluerit Spiritus S. in genealogiâ Domini. Non sine mysterio verò, non saltem duæ mulieres ejusmodi è Iudæis oriundæ recensentur, Thamar & Bathseba, sed & duæ *gentiles*, ut sic præfiguraretur maturè vocatio gentium, oleastrum inserendum esse radici sanctæ, & participem futurum pinguedinis oleæ, adeoque nativitatem & beneficia Messiæ ad gentes æquè se extendere, ac ad Iudæos. Quod ipsum cũ per viros gentiles præfigurari non potuerit in hac genealogiâ, (siquidem enim tales inter majores Christi numerarentur, utique non descendisset ille nec è lumbis Davidis, nec ex semine Abrahami) voluit Deus ejus rei typum extare in mulierum illarum, exoticarum quidem, & alienigenarum per naturam, cooptatarum tamen postmodum per gratiam in populum Dei, speciali & expressâ designatione. Hoc ipsum etiam jam olim bene observatum fuit à *Patribus*, sed fatendum, illos nimis hac in parte luxuriare, & in minutiis variis applicandis & vexandis, ingenio & patientiâ Lectoris abuti. *Ambrosius & Chrysostomus* Historiam *Thamar* & gemellorũ conãtur per omnia ἐξονυχίζειν & ad innumera mysteria torquere, quæ apud Authores suos videri possunt. *Ambrosius* etiam Thamar co-

mar conatur vindicare à culpâ, inquiens, *illam non tam famosam quàm justam fuisse: Non enim temporalis usum libidinis requisivisse, sed successionis gratiam concupivisse*, cujus tamen peccatum nec excusari debet, nec potest, etsi *Chrysostomus* etiã, *Homil.* LXII. in Genesin, de eadẽ excusandâ laboret, eo quod servierit divinæ dispensationi, & boni ingentis causa extiterit, quod ex facto ejus eductum. Quasi mala facienda essent ut bona eveniant, & hominibus peccandum, ut Deo sua constet gloria, & providentiæ divinæ sua ratio. Ex *Rachabæ* etiam Historiâ allegorias nobis innumeras procuderunt Patres, quarum quædam non incommodæ, subtiliores tamẽ pleræque, quam solidiores. Videri possunt hac de re, *Origenes, Author operis Imperfecti in Matthæum, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus*, & multi alii, ex quibus centones hîc texere nihil attinet. Sufficiat notasse, Rachab non malè vocari typum Ecclesię, gentilis vel in primis, fornicarię primùm post idola, postmodum verò susceptricis exploratorum è populo Dei à Iosuâ vero missorum, cupidæ suę, & suorum salutis, exitio subductæ, & cooptatæ postmodũ in unum cum Israele corpus, postquam nuntium misisset idolis patriis & vitæ infami, & funiculo fili dibaphi domui suæ alligato salutare suæ redemptionis sacramentum velut protendisset. Subtilitates alias, per *Rachab* designari *latitudinem* Ecclesiæ gentilium, habitantem antehac in mundo per *Iericho*, urbem *lunaticam* inconstantiæ symbolum, designato, & alias id genus nugas, quibus homines otiosi S. Scripturæ & mysteriorum fidei Majestatem prostituunt, lunaticis relinquimus, & majorem verbo Dei reverentiam deberi censemus, quam ut ludus fiat ingeniis desultoriis, & tam indignis modis conscindatur.

X. Vt verò in applicatione Historiæ Thamar & Rachab peccatum, sic fatendum, in reliquis quoque exemplis nimis ingenio indulsisse Interpretes multos, & ea commentos esse, quæ suavia quidem sunt, sed coacta nonnihil. Sic *Chrysostomus* observat, Ruth ἀλλόφυλον fuisse, fuisse redactam ad extremam paupertatem, nec tamen Booz illam sprevisse: sic nec Christum Ecclesiam, etsi ἀλλόφυλον, & pauperem. Sed ut Ruth bonorum Boozi particeps fieri nõ potuit, antequam relinqueret patrem, matrem, & genus suum, sic Ecclesiam tum demum amabilem redditam fuisse sponso suo, postquam reliquerat τὰ πατρῷα ἔθη,

ob id etiam Ruth matrem factam fuisse Regum, sic & Ecclesiam. Didascalica & νουθετικά, quę prolixè subjicit ibidem *Chrysostomus*, ad humilitatem, & studium virtutis, utiliora sunt & solidiora. Quorũ pleraque etiam habet *Theophylactus*, *Chrysostomi* abbreviator, ἡ Ῥοὺθ αὕτη, inquit, ἀλλόφυλος ἦν, ἀλλ' ὅμως συνεζύγη τῷ Βοόζ· οὕτω καὶ ἡ ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησία, ἀλλόφυλος οὖσα, καὶ ἔξω τῶν διαθηκῶν, ἐπελάθετο τοῦ λαοῦ αὐτῆς, καὶ τῶν εἰδωλικῶν σεβασμάτων, καὶ τοῦ πατρὸς αὐτῆς τοῦ διαβόλου, καὶ ἐλήφθη εἰς γάμον τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. De *Bathseba* verò *Author operis imperfecti* habet allegorias parum decoras, & contortas, quas prætermitto, ut & commentationes subtiliores aliorum. Hoc saltem noto, non sine gravi causâ Bathsebæ nomen non exprimi, sed illam περιφράσει adjectâ describi: genitum Salomonem ἐκ τῆς τοῦ οὐρίου, non tam in honorem Vriæ, ut quidam volunt, vel διακριτικῶς ad differentiam aliarum cognominum, vel distinctionis gratiâ ab aliis Dauidis conjugibus (cum nihil tale de multis aliis, quãvis & ipsi πολυγύναιοι fuerint, qualis Salomo, legamus) quam ut tacitè hac ratione peccatum Davidis, & indicetur, & perstringatur.

Notandum tandem, *Maldonatum*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Chrysostomi & Euthymii* rationem rejicere, docentium, ut vidimus, Christum è peccatoribus nasci voluisse, ut appareret eum propter peccata venisse, eò quod non conveniat cum iis quæ de tribus Regibus dicta, illos expunctos ob peccata fuisse. Substituit verò rationem aliam, ob quam mulierum illarum mentionem factam arbitratur, reliquas videlicet & Iudæas, & legitimas uxores fuisse, ideoque opus non fuisse eas nominari, quod nemo dubitare posset, filios, quos Evangelista recensebat, ex illis fuisse procreatos. De Rachab autem dubitari potuisse, quia fuerat meretrix & alienigena, de Bethsabee quia adultera, de Ruth, quia Moabitis, de Thamar, quia extra legitimum conjugium conceperat. Prætermisisse ergo Evangelistam, quod ordinarium erat, quodque per se intelligi poterat, quod autem singulare, ac dubium erat, exposuisse, ut infrà v. 25. Obseruet Lector. 1. Versatile *Iesuitæ* ingenium, qui eo solũ nomine in *Calvinum* & Doctores alios Orthodoxos virulenter passim inuehitur, quod illi recedant aliquando à Patrum expositionibus, à quibus tamen, etsi multorum authoritate suffultis, liberrimè recedit. Quam verò sibi libertatem deposcit, cur negat aliis? 2. Expositionem Patrum

trum commodam admodum & piam esse, nec iis contrariam, quæ de tribus Regibus ad *Lyrani* expositionē notavimus. 3. Ratio, quam *Maldonatus* substituit, tum *inanis* est tum *inconsequens*, tum *particularis*, quia nec alienigenarum, nec peccatricium nuptiæ ἁπλῶς prohibitæ erant Iudæis, adeoque causæ nihil erat, cur de conjugio & partu legitimo, vel Rachabæ, vel Ruth dubitaretur: tametsi enim *antecedenter* alienigenæ essent, & idolorum cultui mancipatæ, *consequenter* tamen tales non manserunt, cum & Rachabæ fides laudetur *Hebr.* XI. & virtus Ruth. *cap.* II. 11. & ipsa testetur *cap.* I. 16. *Deum socrus suæ*, *Deum suum* futurum. Notum etiam satis erat matrimonium cum *Bathsebâ* contractum à Davide, post mortem Vriæ 11. *Sam.* XI. 27. Alias ergo causas subesse oportet, ob quas illæ in Catalogo majorum Christi productæ. Alioquin si *Maldonati* ratio solida foret, & aliarum mentio inserenda fuisset v. g. matris Roboam, quam constat fuisse alienigenam & Ammonitidem. 1. *Reg.* XIV. 21. *nomen autem matris ejus Naama* העמונית *Ammonithis.* Non ergo reliquæ omnes Iudææ, quod supponit *Maldonatus*, sed falsò. Quid obstat etiam quominus aliæ similes multæ intercesserint, quarum tamen nulla mentio? Locum parallelum notat *Maldonatus* ex *versu* 25. qui ἄφαντος, dubio procul per operarum errorem, cum caput hoc primum 24. saltem commata vel versus habeat.


Mihi multæ ex rationibus Patrum suprà propositis placent, & illæ sufficere possunt huic *Dubio* declarando. Vnum addo, videri Evangelistam mulierum illarum quatuor mentionem fecisse, quia singularia multa & notatu digna de iis in Scripturâ V. Testamenti commemorantur, quæ Lectori sic ad διδασκαλίαν, παιδείαν & παράκλησιν inculcata Spiritus S. voluit.

DVBIVM XXVI.

An vel debuerit, vel potuerit Genealogia Christi describi ab Evangelistis?

EXAMEN.

Objectiones variæ. Causæ descriptæ ab Evangelistis Genealogiæ Domini. Observatio utilis de eorum sinceritate. Objectiones discussæ, & loci varii S. Scripturæ vindicati.

I. OST absolutas & explicatas quæstiones genealogicas, non sine causa *Dubium* hoc generale moveri potest, *An debuerit vel potuerit etiam Christi Genealogia describi?* Rationes enim dubitandi nec leves, nec paucæ occurrunt, & videntur hostes Evangelii habere, quod cavillentur, sacros Scriptores hâc in re inter se committi posse. I. Legimus *Esa.* LIII.8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Interrogatio verò hæc negans videtur, æquè ac aliæ id genus *Prov.* XX.9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, sum purus à peccato? Rom.* VIII.33. *quis intentabit crimina adversus electos Dei? Et quis nos separabit à charitate Christi?* 2. Christus *Heb.* VII.3. vocatur & ἀπάτωρ & ἀμήτωρ & ἀγενεαλόγητος. Et in hoc ipso consistit pars relationis illius typicæ, quæ instituitur ibidem inter Christum, & Melchisedechum. 3. Apostolus Paulus genealogiarum & contexturam, & meditationem prorsus proscribere videtur ex Ecclesiâ Christianâ, 1. *Tim.* I.4. ubi jubetur Timotheus intercedere prohibitione suâ, ne attendatur γενεαλογίαις ἀπεράντοις, & illæ conjunguntur cum μύθοις fabulis, quasi ejusdem vel naturæ, vel usus. 4. Imò adjicitur expressè genealogias parere quæstiones potius quàm ædificationem. Quod vel in primis videtur dici posse de genealogiâ Christi, utpote in quâ tot quæstiones, tot dubia perplexa & intricata occurrunt. Sic *Tit.* III.9. jubetur Titus cohibere genealogiarum disquisitionem, & illis conjunguntur μωρὰς ζητήσεις, ἔρεις, μάχας νομικάς, quasi omnium par ratio, & subjicitur causa, quæ omnibus illis cõjunctim aptari potest, εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς, καὶ μάταιοι. Hæc, & alia id genus, possunt opponi stemmati genealogico Servatoris nostri, contexto à Matthæo & Lucâ.

II. Causæ verò variæ dari possunt, cur laborem hunc occu-

parint

parint Euangelistæ, & adeò solicitè & Iosephi, & Mariæ majores scripto perpetuo consignatos voluerint, quas hîc repetere nihil attinet, cùm illæ ex antedictis satis supérque peti possint. Sufficiat hîc nosse, & *debuisse* id præstare Evangelistas, & *potuisse. Debuisse.* 1. Vt constaret Messiam nostrum verum esse hominem. 2. Vt constaret eum esse hominem oriundum è semine benedicto, è familia Abrahami, è tribu Iuda, & stirpe Davidicâ, eáque jam aridâ & ad radices ac truncũ redactâ, ut suum promissionibus complementum, sua etiam fidei Christianorum ἀσφάλεια constaret. *Potuisse* id ipsum etiam Evangelistas præstare, & contextura Matthæi simul ac Lucæ ostendit, & collatio seriei utriusque tum inter se, tum cum Catalogo majorum Christi, qui reperitur in V. Testamento. Et tantum abest, ut vitio verti debeant sacris Scriptoribus ἐναντιοφανῆ quæ occurrunt, ut potius inde inferri debeat, illos non collatis capitibus & consiliis voluisse Lectori imponere, cum alioquin nihil facilius illis futurum fuisset, quam eandem prorsus contexturam sequi, & genealogias ejusmodi describere ex *Genesi* & *Paralipomenis*, quæ nec *Dubiis*, nec scrupulis ullis locum relinquerẽt, ita ut nec cum Mose, vel Paralipomenωn Scriptore, nec inter se committi ullâ ratione possent. Mirum ergo, illos nihil moratos præjudicia vulgi, famæ ac existimationis suæ quasi prodigos fuisse, ut impulsum causæ superioris prorsus sequerentur in ejusmodi argumento, unde nihil vel dignitatis, vel lucelli, vel gratiæ, vel authoritatis ad illos redire poterat, sed contraria omnia, ob nodos varios, quos ex Catalogo utroque necti posse non ignorabant.

III. Nec verò authoritates allatæ quicquam faciunt ad impugnandum Evangelistarum institutum. *Non prima* ex *Esa.* LIII. Tametsi enim multi ex Patribus locum hunc intelligant de generatione Christi, voces tamen & Hebræa דור, & Græca γενεάς, & Latina *generationis*, ambiguæ admodum sunt, & variè possunt accipi, vel pro serie temporum, vel pro serie hominum sibi invicem succedentium, vel pro ætate aut generatione unius ejusdémque hominis, vel pro rebus gestis: quæcunque verò interpretatio eligatur, nihil concludi poterit contra Evangelistas. 1. Possunt verba Prophetæ intelligi de amplitudine Ecclesiæ Christianæ, quæ *activa generatio* Christi dici potest, quasi dicat

Propheta, quamvis excisus & succisus fuerit è terra viventium, hoc tamen non obstabit, quominus ampla ipsi futura sit generatio, & talis quidem, quæ præ multitudine numerari non possit. Et huc referri commodè potest, quod Deus olim Abrahamo, *numera stellas si potes, sic erit semen tuum*. Et hoc est *semen* illud *longævum*, quod Messias ibidem ab *Esaiâ* dicitur visurus. 2. Possunt etiam verba Prophetæ intelligi, vel de generatione æternâ Christi, quà Dei, quę reverâ inenarrabilis est, vel de duratione Christi, quamvis succisi è terrâ viventium, quæ nec ipsa percenseri numerando potest. 3. Ponamus etiam sermonem esse de generatione Christi secundum naturam humanam, illa reverâ etiam ineffabilis est, non respectu majorum à quibus Christus descendit, sed respectu modi generationis, quia conceptus à Spiritu sancto, & natus ex virgine. 4. Interrogationes quin etiam ejusmodi non semper impossibilitatem notant, sed difficultatem saltem, adeoque sensus esse potest; vix ac ne vix quidem illam describi vel enarrari posse, sic & alibi hoc sensu dicitur, *delicta quis intelligit?* 5. Ponamus etiam impossibilitatem notari interrogatione negante, & de humanâ Christi generatione adhuc loqui Prophetam, nihil tamen aliud inde concludi potest, nisi humanâ eloquentiâ, illam pro meritò enarrari non posse: vel homini impossibilem esse ejus enarrationem, sine revelatione cœlesti, caro enim & sanguis hæc non revelant, sed Pater qui est in cœlis: & hoc volũt plerique ex *Patribus*, qui huc referunt verba Esaiæ. 6. Si דור etiam ad res gestas à Christo, & ad vitę ejus historiam referatur, reverâ illa tot miraculis illustris est, ut divino & animo, & ore, ac calamo opus sit, ut enarrari pro dignitate possit. Peccatur ergo ignoratione Elenchi, & παρερμηνεία, dum hic locus torquetur contra enarrationem genealogicam majorum Christi institutam ab Evangelistis.

IV. Nec obstat quod Christus vocetur ἀγενεαλόγητος ab Apostolo *Hebr.* VII. & in eo cõsistat pars relationis typicæ inter Christũ & Melchisedechũ, quia talis dicitur æquè ac ἀμήτωρ, & ratione divinitatis suæ, & ratione sacerdotii sui, quod reverâ ἀδιάδοχον magis quam Melchisedecianum. Imò quemadmodum Melchisedechus non fuit ἀγενεαλόγητος ἁπλῶς, sed κατά τι saltem, sic nec Christus, & delirium Melchisedecianorum jam pridem explo-

sum

sum fuit ex Ecclesiâ Christianâ: de quo vide *Epiphanium* Hæresi LV. Non ergo Christus ἀγγυαλόγητος secundum illud, secundum quod describitur ab Evangelistis.

V. Απροσδιόνυσοι quoque & ἐξαγώνιοι sunt loci ex I. *Tim.* I. & *Tit.* III. *capitibus.* 1. Quia ibi sermo est de ejusmodi genealogiis, quæ sunt tum fabulosæ, tum ἀπέραντοι, per ἓν διὰ δυοῖν, quales erant 1. Genethliacorum deliria. 2. Idolorum paganorum θεογονίαι, 3. Ambitiosæ Iudæorum disceptationes de majoribus suis. Genealogia verò Christi, qualis describitur ab Evangelistis, nec μυθώδης est, nec ἀπέραντος. 2. Genealogiæ, de quibus sermo est Apostolo, *non præbent ædificationem* DEI, *quæ est per fidem,* & sunt stultæ quęstiones ac contentiosæ. Sine blasphemiâ verò idipsum de genealogiâ Christi dici nequit, ut quæ non solùm utilis, sed & necessaria ad ἀσφάλειαν fidei, adeóque nec ἀνωφελὴς nec ματαία. 3. Sanè quemadmodum ζητήσεις μωραὶ καὶ ἀπέραντοι caveri jubentur in aliis genealogiis, idem studiosè in sacrâ hâc genealogiâ observandum, & præcidendæ quæstiones curiosæ potius, quam necessariæ, nec fibula laxanda temeritati humanæ. 4. Quidam ex Theologis coniecerunt, jam tum inter Iudæos & Christianos de utrâque Christi Genealogiâ disceptatum fuisse, quæ litigia Apostolus composita velit, & Christianos immorari illis quæ necessaria sint ad ædificationem. Aliud verò est genealogias improbare simpliciter, aliud ζητήσεις μωρὰς, ἔρεις, μύθοις, & alia id genus, circa genealogias. *Timotheorum* verò & *Titorum* adhuc hodie est cohibere pruritum ingeniorum desultoriorum in hoc argumento, & illis inculcare monitum eximium Pauli, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. *Rom.* XII. 3.

DVBIVM XXVII.

Cur Evangelista Matthæus *cap.* I. 18. faciat mentionem desponsationis Mariæ? Et cur Deus voluerit Messiam nasci ex matre desponsâ?

EXAMEN.

Causæ Dubii propositi. Rationes quæsiti utriusque tripertitæ. Examen aliquarum. Cottonus notatus. Salmero confutatus. Marcionitarum & Manichæorum falsum dogma. Variæ generationum species.

I. PRIORIS quæstionis solutio pendet ex solutione *posterioris*; Rerum enim causis intellectis, intelliguntur etiam causæ, ob quas res ipsæ scripto consignatæ, & memoriæ Ecclesiæ commendatæ fuerint. Non sine causâ etiam de utroque quæri, & ambigi potest: cùm enim Messias nasci debuerit ex virgine, & re verâ Maria mater Christi hoc nomen in S. Scripturâ obtineat, nec desponsatio ejus quicquam faciat ad γέννησιν Christi, suspensus Lectoris animus relinquitur, quem ob finem id & fieri, & commemorari divina Providentia voluerit, quæ utique nihil sine gravi causâ in sancto hoc mysterio intercedere, & in sacrum Codicem referri jussit, cùm tamen videatur hoc ipso in dubium vocari posse, & B. Virginis virginitas, & Christi nativitas ex intemeratâ Virgine.

II. Causæ hujus rei variæ referuntur ab Interpretibus, quædam minus solidæ, solidiores aliæ. Quæcunque verò illæ sint, referri possunt vel *ad Christum*, qui natus, vel *ad B. Virginem* ex quâ natus, vel *ad nos*, ob quos natus est.

Christi causâ, Patres id factum docent, 1. Vt Christus haberet in ætate infantili, velut tutorem, custodem, & nutritium. 2. Ne Christus pro spurio haberetur inter Iudæos, & sic Evangelium ejus rejiceretur ob contemptum personæ. 3. Addunt quidam ex Veteribus, id factum ut minus pateret ejus nativitas, vel inprimis ut partus ille virgineus lateret Diabolum: ex quo enim prolatum Oraculum, virginem concepturam & parituram filium, Diabolum fuisse insidiatum virginitati, matrimonii verò velo id ei fuisse opertum. Rationem hanc proponunt *Ignatius, Origenes, Hieronymus, Basilius*, aliique ex Veteribus. Sed re verâ, conjectura illa, salvâ Patrum authoritate, levis est & jejuna,

cum

cum Deus non saltem diu ante, partum virgineum prænuntiari voluerit, ut esset ex κειμηλίοις Messiæ nasciturii, sed & eum patefieri insignibus documẽtis, & paulò ante complementum, & statim post illud, apparitionibus Angelicis, stellâ extraordinariâ, adventu Magorum, & aliis id genus signis, quæ Diabolus ignorare non potuit, unde & continuas ferè Christo insidias struxit. Ineptè ergo *Cottonus* Iesuita, pro grandiloquentiâ suâ, inquit, hoc fuisse *extra sphæram intellectualem Dæmonum*: per solam enim desponsationem Mariæ nec celari potuit nativitas Christi, nec si potuisset, debuisset, cum Deus rem tanti momenti non tectam uel opertam, sed potius multis illustribus patefactionibus declaratam & comprobatam voluerit.

III. *Matris causa*, ex quâ Christus natus, id etiam factum volunt Veteres variis de causis. 1. Vt peccatum, per conjugatam virginem in mundum introductum, purgaretur remedio per conjugatam virginem allato. Sed hoc leve. 2. Vt Genealogia Mariæ non saltem per Patrem, quod à Lucâ præstitum, sed etiam per sponsum, quod præstitum à Matthęo, deduci posset, & sic constaret duplici testimonio, Mariam fuisse oriundam ex semine Davidis, & veram Messię matrem, secundum promissiones Veteris Testamenti. 3. Vt consuleretur & famæ & vitę B. Virginis, ne Maria in scortationis vel fornicationis suspicionem adduci posset, & ob id vel probro vel etiam pœnę obnoxia reddi, quam rationem tangit *Ambrosius in Lucam: Christum maluisse aliquos de sua generatione, quam de matris pudore dubitare, nec putasse ortus sui fidem matris injuriis adstruendam.* Addunt alii, *præstitisse, Iudæos dicere, nonne hic est filius Ioseph, quàm, nonne hic est filius meretricis?* quod utique aliâs citius fuissent dicturi, suspicionem enim hanc minoris fuisse momenti, cum hęc conceptionem legitimam non tollat, illa tollat. Quod quidem parum appositum mihi videtur, cum in hoc exemplo requiratur non saltem mater, quę non ex fornicatione, sed & mater, quæ nec ex copulâ conjugali conceperit. 4. Vt B. virgo ductorem & socium fugæ haberet, quæ paulò post erat suscipienda in Ægyptum, quæ ratio ab *Hieronymo* notatur in *Matth.* cum nec Virgo sola, nec in comitatu alterius, quàm mariti, tantum iter honestè conficere posset, unde & revelationes hac de rę ad Io-

ſephum,non ad Mariam directæ leguntur *Matth.*11.13.19.*Luc* 11.8.5.*Ambroſius Comment.in Lucam lib.*III.addit,id factum, ut ſic magis adhiberetur fides Mariæ,& mendacii omnis ſuſpicio removeretur, quando Maria ſe virginem peperiſſe profiteretur, cùm innuptæ quidem puellæ gravidæ velum quærendum fuerit,nuptæ non item. 6. Hoc ipſo etiam B.virginis pudicitiam aſſertam voluit Deus,cum enim Lex *Deut.*XXII.adulterii dãnet ſponsã,quæ poſt ſpõſalia in fornicationẽ incidiſſet,& verò nihil tale unquam Mariæ intentatũ legatur,ſanè & ex ſpõſi ſilẽtio, & ex impunitate B.Virginis non parũ adſtruitur intemerata illius virginitas. 7. *Salmero* addit *Tract.* XXXI. decuiſſe B.Virginem omnem ſtatum ſubire,ut,per omnia in omnibus tentata,diſceret omnibus miſereri & ſubuenire, virgo virginibus,cõjugata conjugatis, & ut omnes ad eam pro auxilio auderẽt accedere. Quò refert illud *Didonis, Nõ ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.* Sed hæc ratio falſa eſt,ſupponit enim πρῶτον ψεῦδος Pontificiorum, Mariam ex parte adjutricem,& redemptricem noſtram eſſe,& partem officii Chriſti ei tranſcribendam. Quod ſacrilẽgum & idololatricum: matrem eam Servatoris agnoſcimus,nõ ſervatricem, θεότοκον & θεοτόκον, non θεόν; κεχαριτωμένην, non χαριζομένην vel χαριτοῦσαν, beatam,non beatificantem. Quo fundamento èverſo, evertitur quoque cultus idololatricus, qui cum *Collyridianis* veteribus B.Virgini à Pontificiis exhibetur, quos *Epiphanius* docet ἐσπουδακότας ταύτην παρεισάγειν ἀντὶ θεοῦ *Hær.* LXXVIII.

IV. *Noſtri reſpectu*,cauſæ etiam non leves intercedere videntur, cur Deus Mariam Ioſepho deſponſam voluerit. 1. Id factum, ut ſic ſanctificaret Deus in unâ eadémque perſonâ ſtatum utrumque & virginitatis, & conjugii, & utrumque ſibi acceptum eſſe teſtaretur, nolens quidem Chriſtum naſci ex matrimonio,ſed tamen non ſine matrimonio,ex virgine quidem, ſed ex virgine deſponſa. 2. Vt pateret Chriſtum & conjugatorum,& extra conjugium viventium Servatorem eſſe. Quod opponendum *Marcionitis & Manichæis* veteribus, qui non niſi virgines corpore tenus tales ſalvari contendebant olim,quibus & *Montanus* & *Montani* aſſeclæ acceſſerunt, ut & hodie multi è Clero Romano, qui in virginitatis, quam nec habent,nec habere laborant,laudes,cum matrimonii contemptu expatiantur, & inane caſtitatis nomẽ obtendunt,rem penſi non habent. 3. Vt ipſius

ipsius Iosephi testimonio Mariæ virginitas commendaretur, & sic nos de pudore ejus certi prorsus redderemur, quandoquidem nullum in ejusmodi casu sponsi testimonio prius, vel antiquius, ut qui & zelotypus esse præsumitur, & dubio procul vitium primus propalasset, nisi indubiis argumentis de sponsæ suæ pudore edoctus fuisset, quod placuit olim Patribus multis, inter alios *Ambrosio & Basilio.* Præsertim cum dubium hoc primò Iosephum ipsum solicitum & suspensum reddiderit. Vnde & *Bernhardus* suaviter inquit, *se malle in hoc credere sponso, quam virgini, ut Thomæ dubitanti & palpanti de resurrectione Christi, quam Cephæ audienti & credenti.* 4. Vt Maria typus esset Ecclesiæ, quæ & virgo, & tamen desponsa. 5. Vt sic ostenderetur generatio filiorum DEI, ut enim Christus de virgine desponsâ natus est, sic & spirituales DEI filii, & veri Christi discipuli illi demũ judicãdi, qui nascituri sũt, vel nati de Ecclesiâ virgine, desponsâ Christo.

V. Inde sanè evidens est, causas satis graves fuisse, ob quas DEUS Christum non saltem ex virgine, quod necessarium erat ad eum à peccati omnis labe & contagione præservandum, sed etiam ex virgine desponsâ nasci voluerit. Nec ob id fidei fidelium quicquam detractum, cum S.Scriptura illi satis supérque caverit, additis testimoniis claris, eam gravidam repertam ἐκ πνεύματος ἁγίου, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, & τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν fuisse ἐκ πνεύματος ἁγίου, & id omne fuisse factum ut impleretur Oraculum Propheticum, Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει. Additur etiam sub finem *capitis primi*, Iosephum quidem eam uxorem accepisse, non tamen cognovisse.

VI. Ob easdẽ verò causas, ob quas DEUS id factum voluit, ob easdẽ id voluit publicatũ per Matthęum. Adde quod sic ostẽditur, *non cõcupiscentiâ carnis*, quod observavit olim Origenes, *sed divinâ providentiâ & voluntate* Mariam Iosepho conjunctam fuisse. Tametsi etiã nihil faciat hoc ad γέννησιν Christi, sive genituram ejus, quæ in cõceptu & nativitate cõsistit, facit tamen ad γένεσιν ejus, quã capite illo Matthęus fuerat executus. Et sanè, cũ Iosephi saltẽ genealogiam pertexuerit Matthæus, *Dubium* suboriri poterat, ex aliâ tribu Mariam fortè fuisse oriundam, nisi adjectum fuisset, *Mariam fuisse desponsam Iosepho*, adeoque contribulem contribuli, agnatam agnato secundum Legem. Notant etiam quidam ex Veteribus, DEUM voluisse exstare omnis generis na-

tivitates & generationes. 1. Generationem sine interventu viri & fœminæ, qualis Adam. 2. Generationem ex viro sine fœminâ, qualis Evæ. 3. Ex viro & fœminâ, qualis omnium ordinariâ naturæ Lege. 4. Ex fœminâ sine viro, qualis Christi solius.

DUBIUM XXVIII.

An possit inferri ex verbis Matthæi *cap.* 1. 18. πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, & *versu* 24. οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ, &c. Iosephum & Mariam post nativitatem Christi convenisse?

EXAMEN.

Causa Dubii propositi. Duplex error circa verba Evangelistæ. Helvidianorum opinio, origo, argumenta, adversarii. Hieronymi fervor. Pontificiorum error, & opinio tripartita. Fundamenta eorum è Scripturâ, & ratione. Calvinus & Orthodoxi Theologi vindicati. Eorum sententia de virginitate Mariæ. Distinctio statuum diversorum ejus, & articulorum fidei. Votum B. Virginis sine probatione Scripturæ, ex sententiâ Bellarmini, Perronii & aliorum. Confutatio Helvidianorum. Conjunctio Mariæ & Iosephi quoad nuptias, non quoad torum. Causa. Vis vocum ἀνδρὸς & γυναικὸς, אשה & איש νυμφίου & νύμφης. *Vis verbi Græci* συνελθεῖν *& Syri* אשתותף. *Vis vocum* πρὶν ἢ, *& præpositionis ante ex Hieronymo. Vis*

vocum

vocum ἕως οὗ, ἄχρις οὗ עד אשר עד כי &c. *Solutiones aliæ confutatæ. Commentitius splendor faciei B. Virginis. Quid* πρωτότοκος *Græcis*, בכור *Hebræis. Latitudo vocum*, ἀδελφὸς, אח. *Basilij dictum insigne. Contradictio Romanensium. Fabula de B. Virgine à Parentibus devotâ. Confutatio ejus. Casaubonus laudatus. Baronius notatus. Masculi saltem Deo consecrati. Commentum de cellis circa templum exstructis, & à virginibus occupatis. Exempla Iosabæ Annæ, & alia id genus, inepta. Quid* κατάκλειστοι עלמות *veteribus. Dilemma solidum Bezæ. Absurda quæ sequuntur votum B. Virginis. Conflictus Scholasticorum super voto, vel proposito Mariæ. Loci Scripturæ vindicati. Blasphemiæ Cornelii à Lapide. Locus eximius Epiphanii. Maldonatus confutatus. Beza vindicatus. Absurditas Maldonati. Abulensis, Salmero, & Scholastici alij confutati. Virginitas quale donum. Differentia inter* μνηστεύειν & γαμεῖν, μνηστείαν & γάμον, לקח אשה & ארש אשה *& verba Syriaca illis respondentia.* ἔνστασις *Pontificiorum discussa. Distinctio* τοῦ ἀπολῦσαι & τοῦ ἀποπέμψασθαι *levis. Opinio Chrysostomi parum probabilis. Epiphanij dictum insigne.*

I. DVBIVM hoc & movendum, & dissolvendum duplici potissimùm de causâ. Præterquam enim quod facit ad sensum verborum Matthæi rectè percipiendum, *Helvidianis & Antidico-Marianitis* ex unâ parte occurrendum est, ex alterâ *Pontificiis*. Vtrique enim in genuinâ verborum horum

interpretatione graviter allucinantur. *Helvidiani* quidem, qui *Helvidium* Magiſtrum ſuum ſecuti ſtatuebant, poſt nativitatem Chriſti, Ioſephum & Mariam non ſaltem conveniſſe in nuptias, ſed & in torum: Orta fuit hæc hæreſis ſub *Theodoſio I.* circa annum CCCLXXX. Authorem habuit *Helvidium* quendam *hominem ruſticum, & vix primis literis imbutum*, ut docet *Hieronymus*. Argumenta ejus præcipua fuerunt, 1. Mariam dici deſponſam fuiſſe Ioſepho, non commendatam ſaltem, adeóque ut actu nupturam. 2. Ioſephum vocari ἄνδρα Μαρίας, Mariam γυναῖκα Ioſephi, notas verò eſſe harum vocum ſignificationes. 3. De non conventuris non debuiſſe dici, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. 4. Dici, Ioſephum Mariam non cognoviſſe, ſaltem ἕως οὗ ἔτεκεν. 5. Chriſtum vocari πρωτότοκον, utíque reſpectu fratrum aliorum *Rom.* VIII. 29. Mariam ergo plures ſuſcepiſſe filios, & Chriſtum plures habuiſſe fratres. 6. Fratres Chriſti plures actu recenſeri in Scriptura.

Oppoſuerunt ſe *Helvidianis* multi ex veteribus, præcipuè *Epiphanius Hæreſi* LXXVIII. κατὰ Ἀντιδικομαριανιτῶν, *& Hieronymus lib. adverſus Helvidium* qui exſtat *Tomo* II. *Oper. Hieron.* ubi prolixè in laudes & commoda Virginitatis excurrit. Quo in argumento, fervore diſputandi ſenſim abreptus, per ἀμετρίαν quandam ἀνθολκῆς, cujus exempla crebra apud Patres, matrimonio ſe parum æquum præbuit, non ſaltem tractatu illo, ſed & ſcriptis poſtmodum in *Iovinianum* libris. Nec *Hieronymus* ipſe id diffitetur in *Apologiâ pro libris adverſus Iovinianum, ſcriptâ ad Pammachium*, dum inquit: *Librum contra Helvidium de perpetuâ Beatæ Mariæ Virginitate ſcripſimus, in quo neceſſe fuit nobis, ad Virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de moleſtiis dicere nuptiarum.*

II. Vt verò *Helvidiani* ex unâ parte verbis Evangeliſtæ vim faciunt, & id aſſertum eunt, quod nec ex S. Scripturâ probari poteſt, & cujus contrarium longè probabilius eſt: Sic *Pontificii*, qui in alia omnia eunt, ex alterâ parte peccant, dum perpetuam Mariæ virginitatem pro articulo fidei, ſub æternæ damnationis anathemate credendo, Eccleſiæ Chriſtianæ obtrudunt, & contendunt ἀειπαρθενίαν & voto peculiari à Mariâ promiſſam, & ob ejus religionem totâ vitâ ſervatam. Qui tamen & ipſi in diverſas abeunt ſententias. 1. Quidam ex illis arbitrantur, Mariam voto pa-

voto parentum perpetuæ virginitati fuisse addictam, vel ante nativitatem, vel statim post eam. Quam sententiam inter veteres sequitur *Gregorius Nyssenus Tract. de sanctâ Christi nativitate*, & *Nicephorus Eccles. Hist. lib.* I. *cap.* VII. 2. Alii contendunt Mariam, prius quam nuberet Iosepho, votum hoc nuncupasse. 3. Alii volunt id factum post conjugium jam initum, cum consensu Iosephi.

III. Probant verò *Pontificii* in genere sententiam suam I. *Locis Scripturæ.* II. *Rationibus. Loci Scripturæ* sunt 1. *Ex Ezech.* XLIV.2. *Et dicit mihi Iehova. Porta hæc clausa esto, non aperitor, & quisquam non ingreditor per eam, quia Iehova* DEUS *Israelis ingressus est per eam, erit igitur clausa.* Cujus loci applicationem hanc instituit *Augustinus* Serm. XVIII. de Tempore Tomo X. *Quid est*, inquit, *porta in domo Domini clausa, nisi Maria semper erit intacta? Et quid est, Homo non transit per eam, nisi quia Ioseph non cognovit eam? Et quid est, quod Dominus solus intrat, & ingreditur per eam, nisi quia Spiritus S. imprægnavit eam. Et quid est, clausa erit in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum?* Quam interpretationem Pontificii ut genuinam, & de mente Prophetæ, amplexantur, & inde perpetuam Mariæ virginitatem concludunt. 2. Ex verbis *Luc.* 1.34. ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, inferunt, Mariam virginitatis votum nuncupasse. Videamus quibus fidiculis id exprimat Evangelistæ. *Maldonatus* in eo omnes ingenii nervos præ reliquis contendit. *Verbum cognoscendi* (inquit in *cap.* 1. Lucæ) *hoc loco non significare actum, perspicuum est, nec enim dubium fuisse, tunc, cum hoc dicebat, eam virum non cognoscere: significare igitur consuetudinem, quemadmodum si quis abstemius dicat, se non bibere vinum, neque enim eum significare, se tum cum loquitur non bibere, sed se non solere bibere. Sic dicere discipulos Iohannis, Quare nos & Pharisæi jejunamus, discipuli autem tui non jejunant, id est, non solent jejunare? Et Magister vester non soluit didrachma?* Matth. XVIII. 24. *Id est non solet solvere.* Addit Maldonatus, *non posse hoc significare solam consuetudinem, sed consuetudinem cum impotentia conjunctam. q. d. Virgo, Quomodo fiet istud, quia nec virum soleo cognoscere, nec possum? Si enim sola consuetudo significata fuisset, in promptu fuisset Angelo respondere, si non soles virum cognoscere, cognosce nunc, & concipies quem te concepturum dixi. Impotentia verò*, inquit Maldonatus, *duplex esse potuit, aut naturalis, qualis in omnibus hominibus ante pubertatem, &*

in multis in grandiore etiam ætate est, aut moralis, quâ non posse dicimur facere, quod facere non licet, quemadmodum si Christianus dicat, nõ possum in quadragesima carnibus vesci, id est, non licet mihi. Hanc autem moralem impotentiam adhuc duplicem esse, inquit Maldonatus, *aliam, quæ ex lege aut præcepto, aliam quæ ex voti religione nascitur. Ex præcepto, ut si Christianus dicat, non adoro Idola, id est, non possum adorare, quia prohibeor divina lege. Ex voto, ut si Carthusianus aliquis dicat, non vescor carnibus, id est, non possum vesci, quia impedior voti religione. B. Virginem non potuisse naturalem impotentiam significare, cum nubilis credatur fuisse, & reipsâ jam nupta fuerit, significasse ergo moralem impotentiam, non vero eam quæ est ex lege, vel præcepto, nulla enim lege, vel præcepto eam prohibitam fuisse, uti viro suo: significasse ergo moralem impotentiam natam ex voto. Inde concludit, rectè multos & graves Authores putasse Beatam Virginem antequam ad eam veniret Angelus virginitatis votum edidisse.* Illorum verò sententiæ accedit *Maldonatus*, qui existimant, Mariam prius quam matrimonio jungeretur, nuncupasse hoc votum. Horrere enim pietate imbutum animum vel cogitare, sanctissimam virginem corpus suum aliquando corruptionis periculo exposuisse, quod fecisset profecto si non obstricta voto, nupsisset.

IV. *Rationes* alias eidem rei confirmandæ adfert *Abulensis*, & ex eo *Salmero Tract.* XXXI. 1. hoc fuisse ex *dignitate* Christi, decuisse enim eum qui, secundum naturam divinam, unigenitus Dei filius erat, unigenitum quoque esse matris secundum naturam humanam. 2. Id fuisse *è dignitate Spiritus Sancti*, cujus sacrarium fuit uterus Virginalis, non enim ab homine sine profanatione usurpari potuisse, quod Spiritui Sancto peculiariter fuerit dicatum. 3. Id fuisse *è dignitate B. Virginis*, quæ alioquin ingratissima videri posset, si tali ac tanto filio parum contenta, virginitatem, quam sponte ante conceptionem Spiritui Sancto dicaverat, perdere voluisset per carnis concubitum. 4. Hoc ipsum etiam non sine magnâ Iosephi temeritate cõcipi posse, eò quod Angelus ei revelasset Virginis per Spiritus S. fœcundatæ mysterium. Paulum etiam expressè dicere 1. *Cor.* III. *Si quis templum Dei violaverit, Deum illum esse disperditurum.* 5. Imò id posuturum appetitum libidinis, incontinentiam, & infirmitatem carnis in B. Virgine. 6. Id contrarium futurum proposito Virginis

ginis B. neque enim illam acquievisse Angelo nativitatem Messiæ nuntianti, nisi postquam intellexisset, salvam nihilominus fore suam virginitatem. Sic *Scholastici* alii addunt rationem triplicem, debuisse B. Virginē perpetuam Deo vovere virginitatem, 1. ut esset decentissimum Dei habitaculum. 2. Vt esset exemplo muliebri sexui ad idem votum nuncupandum. 3. Vt esset in ea privilegium omnis tum nobilitatis, tum sanctitatis.

V. Vt verò *Pontificii* eò facilius obtineant institutum, & nobis persuadeant, Mariam votum ejusmodi perpetuæ continentiæ nuncupasse 1. Annuntiationem Angeli tum demum factam contendunt, postquam illa jam actu erat conjuncta Iosepho per matrimonium, & post nuptias peractas, & sic volunt illam dici μνηστευθεῖσαν à Matthæo 1.18. ut μεμνηστευμένῃ *Luc.* II. 5. & actu γεγαμημένῃ ac domum ductam, eò quod vocetur Iosephus non amplius νυμφίος sponsus, sed ἀνὴρ αὐτῆς, *Matth.* 1.19. & illa γυνὴ Iosephi v. 20. 2. Idē etiam inde constare ajunt, quod, nisi jam domum ducta fuisset Maria à Iosepho, licuisset illi facile dimittere Mariam sine ullâ religione, neque opus fuisset solicitâ illâ & scrupulosâ cogitatione de eâ clàm deserenda, promissiones enim ejusmodi *de futuro* facile dissolvi posse inter sponsum & sponsam. 3. Addunt tandem, Deum non satis consulturum fuisse tum famæ, tum pudicitiæ B. Virginis, siquidem ipsa gravida apparuisset in ædibus paternis, nondum maritum, sed sponsum saltem habens. Cum tamen eum potissimum ob finem videatur Maria desponsa Iosepho, ut filius ejus posset haberi pro legitimo, adeoque honori & matris, & prolis simul prospiceretur. Addunt nubem *Patrum* idem testantium.

VI. Vt verò liquidò constet, quid super hac re sit statuendum, obseruandum, gravem à Pontificiis *Calvino*, & aliis ex Theologis nostris injuriam fieri, quasi perpetuam Mariæ virginitatem absolutè & ἁπλῶς negarent. Quod falsum esse scripta illorum satis supérque docent. Mediam enim illi viam insistunt inter *Helvidianos & Pontificios*, & quod ex Scripturâ S. certum est, pro certo habent, quod probabiliter etiam concludi potest, pro probabili habent. Et sanè quin via hæc media tutissima sit, negari non potest.

VII. Sententiam itaque nostram quod attinet, distinctè consideramus *status* diversos B. Virginis, & de illa loquimur, vel *ante* conceptionem & partum, vel *in* conceptione & partu, vel *post* utrumque. Distinguimus etiam articulos fidei, creditu necessarios, ab iis, quæ probabiliter creduntur, ob rationes verisimiles. Quoad *duos status* priores, pro certo credimus, & ut articulum fidei indubitatum amplexamur, Mariam virginem intactam & intemeratam & concepisse Servatorem, & peperisse, & furores *Cerinthianorum* & *Ebionitarum* veterum detestamur, qui, ut evincerent Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, commenti sunt illum ex commistione Iosephi & Mariæ genitum fuisse, ut patet ex *Iren. lib.* I. *cap.* XXV. *de doctrina Cerinthi*, cujus rei suspicionem omnem amolitur diligenter Spiritus Sanctus per Evangelistas, verbis πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν ἕως οὗ, &c. Adde quod, hoc fundamento everso, Christus nec peccati omnis expers, nec servator peccatorum esse ullo modo potuisset. *Quod* enim *ex carne genitum, caro est*. *Tertium statum* quod attinet, post conceptionem & partum Servatoris nostri, piè credimus, B. Virginem talem semper mansisse, & illibatum virginitatis florem perpetuò servasse, & libenter subscribimus Orthodoxæ antiquitati eam ἀεὶ παρθένον vocanti. Non quod hoc apodicticè ex Scripturâ demõstrari possit, sed quod probabile admodum sit, sanctum hoc Organum ad tam eximium cõceptum & partum à Deo selectum, non fuisse temeratum ab homine. Rejicimus ergo *Helvidii* & sequacium dogma, pro certo statuentium, B. Virginem post partum nomen hoc exuisse, & prolem ex Iosepho suscepisse. Nec tamẽ *Pontificii* ex S. Scripturâ probare possunt, Mariam votum perpetuæ virginitatis unquam nuncupasse. Causa ergo nõ est, cur pro articulo fidei, sub æternę damnationis pœnâ credendo, hoc dogma obtrudant Ecclesiæ Christianæ, cum nulli fidei articuli, extra unicum hoc fidei omnis principium, dentur. *Bellarminus* verò & *Perronius* Cardinales & *Baillius* Iesuita Gallus, aliiq; multi apertè fatentur probationes huic dogmati in Scripturâ S. deesse, quando traditionum necessitatem inter alia hoc quoque modo asserere satagũt, multos esse fidei articulos, qui in Verbo scripto non reperiantur v. g. *perpetuam Mariæ virginitatem*, & alia id genus.

VIII. Sen-

VIII. Sententiâ nostrâ ita propositâ, & explicatâ, tum *Helvidianorum*, tum *Pontificiorum* argumenta sunt examinanda, & ostendendum ab utrisque peccari.

Helvidianis hæc opponimus. *Primò inquiunt*, Mariam dici desponsam Iosepho. E. ut aliquando nupturam. *Resp.* peccari *Ignor. Elenchi & Fallac.* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim saltem largiri possumus adversariis, nupturam fuisse aliquando Mariam Iosepho, sed & illud, eam actu nupsisse, & ab eo fuisse domum ductam, non ut μεμνηστευμένην solummodò, sed etiam ut γεγαμημένην vel γεγαμηκυῖαν: quæstio verò semper manet, an ob nuptias virginitatem exuerit, & non potius Iosephus æquè ac Maria, cognito extraordinario hoc mysterio, ab usu conjugii perpetuò abstinuerint, non ex voto quidem, sed ex mutuo consensu, γάμον ἄγαμον celebrantes, sola animorum & cordium, non corporum conjunctione. Domum verò ductam Mariam à Iosepho fuisse constat ex *cap.* 11. Lucæ *versu* 45. ἐπορεύοντο οἱ γονεῖς αὐτοῦ & vers. 48. ἰδοὺ ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε. vers. 51. ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. Post integrum ergo duodecennium, quam ætatem tum attigerat Christus, adhuc unà vivebant Iosephus & Maria, & quidem in cōjugio, quî enim alioquin id honestè fieri potuisset, sine dispendio famæ B. Virginis? vel quî Iosepho patris nomen & authoritas in Christum puerum obtigisset? Nec absurdum, conjugium ex solâ animorum conjunctione metiri inter conjuges, accedente causâ peculiari, modò illi ὁμωρόφιοι, post fidem sibi mutuò datam, vivant, & omnes amoris mutui vices, convictu communi, bonorum & malorum communione, etsi sine commistione quoad torum, inter se alternent. Si exempla ejusmodi in conjunctione ordinariâ dantur, quid miri in extraordinario hoc exemplo id ipsum reperiri, & Iosephum, Angeli mandato obsequutum, *accepisse Mariam uxorem*, vel *in uxorem suā*, salvâ semper virginitate Virginis adeò eximiè κεχαριτωμένης, Hanc sententiam, *Helvidianorum* opinioni oppositam, amplexamur, ut piam magis, & magis ex dignitate B. Virginis.

Nota

IX. Sic concidit etiam quod *secundò* urgent *Helvidiani*, Iosephum vocari ἄνδρα Μαρίας, Mariam γυναῖκα Iosephi: præterquam enim quod *ellipsis* ibi locum habere possit, de qua *Beza*, (εἰς τὸ εἶναι αὐτὴν γυναῖκά σου) ex antedictis evidens est, quo sensu & Iosephus ἀνὴρ Mariæ, & hæc γυνὴ illius rectè vocentur. Adde, voces

illas in S.Scripturâ *in genere* ſæpè *ſexum* ſaltem deſignare, non verò *qualitatem* ſemper, vel *ſtatum in ſexu*, ut איש & אשה apud Hebræos, illud ἄνθρωπον notat ſæpè indefinitè, non ἄνδρα ſolum, iſtud præter γυναῖκα, θῆλυ etiam in genere deſignat, & θυγατέρα, quod ex LXX. Interpretum verſione, qui voces illas promiſcuè reddunt, evidens eſt. Potiſſimùm verò deſponſæ puellæ γυναῖκες dici poterant, ut benè notavit Doctiſſimus Interpres, quia deſtinatione tales erant, unde adulterii reus peragebatur, qui deſponſam deflorârat, æquè ac qui corruperat nuptam *Deut*.XXII.23. Et exemplum Iacobi evidens, Rachelem, ut ut deſponſam ſaltem, uxorem vocantis *Gen.* XXIX.21. Vnde & *Hieronymus* cõtra *Helvidium* verè ait, *Conſuetudinem Scripturarum eſſe, ſponſas u xores appellari.* Vide *Gratiani Decr.ſec.part.Can.*XXVII. *quæſt.*II. & *Can.*XL. *& in notis ad Can.*XXXIX. *ſicut Ioſeph pater Domini dictus eſt, non effectu genituræ, ſed officio & curâ providendi, ſic & conjunx matris ejus appellatur, non conjugii effectu, ſed ſubminiſtratione neceſſariorum, & individuæ mentis affectu.* Item, *ſponſæ appellantur conjuges, conſuetudine Scripturæ, ſpe futurorum, non effectu præſentium.* Sic *Can.*XLI. exẽplum adducitur è Scripturâ, generos Loth dici, qui tamen accepturi ſaltem erant filias ejus, unde & filiæ Loth virgines vocantur. Sic *Auguſtinus lib.*II.*de nupt.& concup.* docet, Mariam vocari conjugem à primâ fide deſponſationis, quia in eâ fundamentum matrimonii & copulationis, Non mirum ergo Ioſephum vocari ἄνδρα, Mariam γυναῖκα, ſponſus enim maritus dici poteſt, ſponſa uxor: prout maritus & uxor vice verſa vocari interdum ſolent ſponſus & ſponſa. Sic apud *Heſychium* videmus vocari νυμφίον καὶ νύμφην, πάντα τὸν γήμαντα, καὶ παιδοποιησάμενον, κἂν πολυχρόνιος ᾖ, cujus exemplum etiam occurrit apud *Homerum Odyſſ.η.* qui Nauſithoum vocat νυμφίον etſi παῖδα λιπόντα. Imo & in ſacris *Luc.*XII.33. νύμφη vocatur, quæ habet πενθερὰν, & *Apoc.*XXI.9. Hieruſalem deſcendens è cælo ſimul vocatur & νύμφη & γυνὴ τοῦ ἀρνίου. Sic Eccleſia copulata actu Chriſto vocatur ſponſa, & tamen conjunctio matrimonialis eſt ex numero typorum deſignantium unionem noſtri cum Chriſto. Quamvis etiam dici poſſit, hoc referri debere ad ſtatum hujus vitæ, ubi ſponſalia ſaltem dantur, cum plena copulatio Eccleſiæ cum Chriſto reſervetur vitæ futuræ.

X. *Tertiò* inſtant *Helvidiani*, de non conventuris non debuiſſe

buiſſe dici, *πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς. Reſp.* Peccari *fallac.* homon. in verbo *συνελθεῖν*, dum id ſumitur ab illis pro *συνουσιάζειν, μιγῆναι*, ſignificatu reſtricto, cum nihil obſtet, quominus id verbi latius intelligamus pro copulatione & conjunctione actuali duorum conjugum per domiductionem, quaſi dicat Spiritus S. priuſquam domum ducta eſſet Maria, illam repertam fuiſſe gravidam &c. Fatemur quidem *τὸ συνέρχεσθαι* ſenſu ſuprà dicto aliquando reperiri, ut 1. *Cor.* VII. 5. negamus tamen id vel eſſe perpetuum, vel ordinarium. Et opponimus exempla crebra ſignificatus latioris. *Marc.* III. 20. *συνέρχεται πάλιν ὄχλος. Luc.* V. 15. *συνήρχοντο ὄχλοι πολλοί. Act.* II. 6. *συνῆλθε τὸ πλῆθος. Matth.* XXV. 17. XXVIII. 17. *συνελθόντων αὐτῶν.* Adde quod Interpretem hîc habeamus Angelum v. 20. *τὸ συνελθεῖν αὐτοὺς* explicantem per *παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.* Sic *Syrus* Interpres verbum generale habet, עד לא ישתותפון *antequam conſociarentur*, ut benè *Tremellius*, antequam nuptiæ illorum fierent, & Mariam Ioſephus domum duceret. Nam τὸ אשתותף *in Ithpahel* Syris nil aliud eſt quam conſociari, conjungi. *Benoni* plurale משתותפין occurrit hoc ſenſu *Act.* II. 42. Ad *Rom.* I. 32. reſpondet *τῷ συνευδοκεῖν.* 1. *Cor.* XII. 13. *τῷ κοινωνεῖν.* Et ſic ſatis cauſæ datur, cur Ioſephus voluerit *λάθρα ἀπολῦσαι* conjugem, quia nimirum gravidam deprehenderat, quam nondum domum duxerat: quæ deſertio minus erat gravis in hoc ſtatu, quàm ſiquidem nuptiæ jam fuiſſent peractæ, & ſponſa domum ducta. Antequam ergo conſociarentur actu per nuptias Ioſephus & Maria, *illa inventa fuit in utero habere*, &c. prout jam olim veteres intercedere volebant tempus aliquod inter deſponſationem & domiductionem, ut colligimus ex *Gen.* XXIX. & *Deut.* XX. 7. idque gravibus de cauſis, quas hîc perſequi neceſſe non eſt. 2. Tametſi largiamur *Helvidianis*, quia agitur de conjugibus, *τὸ συνελθεῖν* ſtrictiore ſignificatu hîc accipi, pro conſociatione quoad torum, peccatur tamen *fallac. παρὰ τὸ ἑπόμενον*, non enim ſequitur neceſſariò, ſi hoc vel illud factum fuerit, antequam hi vel illi congrederentur, illos poſt fuiſſe congreſſos. Vnde & *Hieronymus* benè reſpondet *Helvidio*, *licet præpoſitio ante ſæpè indicet conſequentiam, nonnunquam tamen eam tantum oſtendere ea, quæ prius cogitabantur, ut poſt fierent* (v. g. *antequam pranderem in portu, navigavi*) multa tamen intercedere poſſe, quæ prius cogitata abrumpant. *Et Hiero-*

ronymus lepidè inquit, hoc ſenſu dici poſſe, *Helvidium antequam pœnitentiam ageret, morte præventum fuiſſe*, nec tamen ſequi eum poſt mortem pœnitētiam egiſſe. Sic dici poteſt, priuſquam congreſſi eſſent duello amici, illorum litem fuiſſe extinctam, non tamen inde inferri poteſt, eos poſt congreſſos fuiſſe, ſed ſaltem cogitaſſe congredi. Hoc ſenſu arefacta dicitur herba antequam in culmum aſſurgeret II. *Reg.* XIX. 26. 3. Hoc ipſum per *βίαιον* opponimus *Helvidianis*, eo ipſo enim quo cognovit Ioſephus antequam illam ſive in domum, ſive in torum ſuum duceret, eam eſſe gravidam ex Spiritu S. illam utique poſt attingere noluit, ne ſacrarium illud Spiritus S. temeraret. Et hoc eſt quod urget *Author Op. imperf. in Matth. Homil.* I. (Tomo II. Operum Chryſ.) *Poſtquam cognovit, inquit, quia facta eſt unigeniti* DEI *templum, quomodo poterat hoc uſurpare? quomodo quod antea facere noluit vir religioſus, expectans nuptias ſuas, poſtea facturus fuerat, ut habitationem* DEI *carnalibus concupiſcentiis ſordidaret?*

XI. *Inſtant Helvidiani quartò*, Dici, Ioſephum Mariam non cognoviſſe ἕως οὗ ἔτεκεν. E. cognoviſſe poſt. *Reſp.* I. Particulas illas ἕως οὗ, ἄχρις οὗ, עד אשר, עד כי, & alias ſimiles, & apud Hebræos, & apud Græcos, non tam illativas futuri eſſe, quam negativas vel affirmativas præteriti, tametſi interdum utrumque deſignent v. g. *Gen.* XLIX. 10. *Non auferetur ſceptrum à Iuda* עד כי, donec venerit Schilo. Sic quando *Gen.* XXVII. 44. Iacobus jubetur à Rebeccâ habitare cum Labane dies pauciſſimos עד אשר uſque dum avertatur excandeſcentia fratris Eſavi. Frequentiſſimè verò phraſes hæ, & aliæ id genus, intelliguntur de tempore præterito, ſine ulla illatione contrarii in futurum, & oſtendunt, quid hactenus non ſit factum, non quid poſtea factum ſit. Et ſæpe non finem, ſed continuationem actus ſignificant. v. g. *Gen.* VIII. 7. legimus emiſſum à Noacho corvum hinc inde circumvolitaſſe עד *uſque dum ſiccarentur aquæ.* Sic *Gen.* XXVIII. 15. *Non deſeram te, uſque dum perfecerim* עד אשר *quæ elocutus ſum tibi. Deut.* XXXIV. 6. *nec novit quiſquam ſepulchrum Moſis uſque ad diem hunc.* I. *Sam.* XV. 35. *Non vidit Samuel Saulem uſque ad diem mortis ſuæ.* Sic II. *Sam.* VI. 23. Michal dicitur non *habuiſſe filium uſque ad diem mortis ſuæ*, *Pſal.* LXXI. 18. *dum ſenex & canus ſum,* DEUS *ne derelinquas me, donec indicavero brachiū tuum huic generationi. Pſal.* CX. I.

Sede à

Sede à dextris meis, donec posuero hostes tuos scabellum pedum tuorum. Sic *Psal.*CXXIII.2.*Oculi nostri ad Iehovam* DEUM *nostrum, donec gratiam fecerit nobis.Sic Matth.*V.18. ἕως ἂν παρέλθῃ &c.& 26.*non exibis illinc* ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην. *Matth.*XXVIII.20. *Ecce ego vobiscum sum* ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. I.*Cor.*XV.25. *oportet illum regnare* ἄχρις οὗ, *usque dum inimicos subjecerit pedibus ejus.* I. *Tim.*IV. 13. ἕως ἔρχομαι, *attende lectioni.* Sic *Author Operis Imperf.in Matth. Homil.*I. adducit exemplum alicujus, de quo dici potest, eum non locutum fuisse cum hoste, donec vixit, non tamen inde sequitur, eum post mortẽ cum illo fuisse locutũ. Sic discessuri sæpe solemus multis precari bonam valetudinem, *donec* revertamur, sine illatione contrarii in futurum. Vnde & *Basilius Homil. de gen.Christi, num* XXV. τὸ ἕως, inquit, πολλαχοῦ χρόνου μὲν τινα δοκεῖ περιορισμὸν ὑποφαίνειν, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν, τὸ ἀόριστον δείκνυσιν, & ibidem citat locum *Matth.*XXVIII.20.& inquit, ἡ ἐπαγγελία τοῦ παρόντος, οὐκ ἔστιν ἀποκοπὴ τοῦ μέλλοντος. Ex his & rationibus, & exemplis evidens est, illationem necessariam ad futurum, vel ponendum, vel negandum, texi non posse ex particulis illis, adeóque argumentum *Helvidianorum* non esse nec apodicticum, nec Catholicum.

II. *Author operis imperfecti in Matth.* aliam nobis suppeditat solutionem, Iosephum non cognovisse Mariam, cujus esset dignitatis, mater nimirum filii DEI, donec in nativitate, & post, ex variis miraculis id ipsum didicisset: Idem innuit *Epiphanius Hær.*LXXVIII. contra *Antidico-Marianitas. Sect.*XVII. οὐκ ᾔδει γὰρ, ὅτι τοιαύτην δόξαν τιμηθήσεταί τις, ἐπὶ τῆς γῆς μάλιστα γυνή. οὐκ ᾔδει οὖν αὐτὴν, ἕως οὗ εἶδε τὸ θαῦμα, &c. Sed hæc Interpretatio I. coacta 2. contraria textui, & pietati Iosephi, quia id Iosephus satis ex Angeli relatione, & allegatione dicti Prophetici, & noverat, & nosse poterat.

III. Aliqui ex Patribus etiam existimarunt, verbum γινώσκειν hic non de congressu maritali, ex Hebraismo, & per ὑποκορισμὸν aliquem esse accipiendum, sed simpliciter & latius de cognitione absolutâ, eò quod facies Mariæ statim à conceptione tanto fulgore coruscârit, ut nec adspici, nec agnosci posset. In hũc sensum citatur *Hilarius* à *Thomâ in Catenâ. Propter sanctissimæ Mariæ glorificationem à Ioseph cognosci non potuit, donec peperit. Dominum enim gloriæ habens in utero quomodo cognosceretur, si Moysis cum* DEO

colloquentis glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israel, quāto magis Maria agnosci vel intueri [barbarè] *non poterat, quæ Dominum potentiæ in utero habebat? Post partum autem à Ioseph agnita invenitur, specie faciei, non tactu libidinis.* In hunc sensum *Glossa ordin.* in Matth. *Dicitur, quod Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam Spiritus S. à conceptione impleverat penitus, & ideò non cognoscebat facie ad faciem, quam desponsaverat, donec uterus euacuaretur.* Sed nec hęc solutio vel solida, vel de mente Spiritus S. quia 1. nota satis acceptio τοῦ γινώσκειν ex Hebraismo, quando de conjugibus sermo est. 2. Altum in S. Scripturâ de fulgore illo faciei Mariæ silentium, cum tamen minores circumstantiæ innumeræ aliæ exactè referantur. 3. Idem fulgor non Iosephi solùm, sed & omnium intuentium oculis innotuisset, quemadmodum splendor faciei Mosis promiscuè feriebat omnium oculos, quod non potuisset non graviter commovere, imò expugnare Iudęorū animos ad habendā mysterio fidem. 4. Nec opus hac interpretatione contortâ & precariâ, quam nequicquam *Dionysius Carth.* subtilem & veracē vocat, cum prima sufficiat retundendæ *Helvidianorum* sententiæ, & fabula hæc pro origine habeat *Pseud-evangelium* quoddam *Nazaræorum* jam pridem explosum.

XII. Vrgent *quintò Helvidiani*, Christum vocari πρωτότοκον, adeoque per σχέσιν talem dici respectu fratrum. *Resp.* Sed notum, πρωτότοκον interdum vocari in Scriptura *absolutè*, interdum σχετικῶς & *relatè*, interdum *negativè*, interdum *positivè: Relatè & positivè*, quando refertur ad sequentes alios: *Negativè & absolutè*, quando hac voce negantur saltem anteriores alii, & sic primogenitus est, ante quem nemo natus, sive alii post nati fuerint, sive non. Et sic unigenitus dici potest primogenitus. Id ipsum ex stylo S. Scripturæ probari potest. *Exod.* XIII. jubentur Israelitæ offerre primogenitum pecorum, & redimere primogenitos hominum, *prius* octavâ die *Exod.* XXII. *posterius* die quadragesimâ *Lev.* XII. Atqui si primogeniti vocem בכור sumamus *relatè* & *positivè*, non poterat tum temporis constare, an partus uterque talis esset, & tamen ob id non erat differenda oblatio: quod urget *Hieronymus adv. Helu.* Vnde & Maria statuti hujus memor, id ipsum à nativitate Christi, quadragesimo statim die, sine morâ ulteriore sibi incumbere putavit *Luc.* II. Sic *Exod.*

IV. Deus

IV. DEUS vocat Iſraelem בכורו primogenitum ſuum, ſine relatione ad alios. Nam & Eccleſia gentilium primogenituræ hujus particeps eſt, utpote inſita oleæ, & particeps reddita radicis & pinguedinis ejus. Sic *Exod.* XII. quando DEUS dicitur percuſſiſſe primogenitos Ægypti, utique ſanè multi erant inter illos, qui unigeniti, cum in unâquaque domo ſtrages edita fuerit ab Angelo. Meritò ergo *Hieronymus in cap.* I. *Matth. Tom.* IX. *morem divinarum Scripturarum eſſe dicit, primogenitum vocari, non quem fratres ſequuntur, ſed eum qui primus natus fuit.* Sic *Baſilius Homil. de ſanctâ Chriſti nativitate,* ὐ πάντως, inquit, ὁ πρωτότοκος πρὸς τοὺς ἐπιγινομένους ἔχει τὴν σύγκρισιν, ἀλλ' ὁ πρῶτον διανοίγων μήτραν πρωτότοκος ὀνομάζεται. Sic *Hieronymus* adv. Helv. *omnis unigenitus & primogenitus, non omnis primogenitus & unigenitus.* Et addit, *Definivit Sermo Dei, quid ſit primogenitū, omne, inquit, quod aperit vuluā.* Adde quòd & ex *iure*, & ex conſuetudine, unigeniti illas ipſas obtinent prærogativas & honorum & bonorum, quæ primogenitis competunt, adeóque pro primogenitis cenſentur. Sic primus ſemper dici poteſt, quem nemo pręcedit, ultimus quem nemo ſequitur, ſive illum ſecuti fuerint alii, iſtum anteceſſerint, ſive non 2. *Epiphanius* ſubtilius reſpondet *Hæreſi* LXXVIII. in *Antidico-Marianitas, Sect.* XVII. *Edit. Petavii,* ὐ γὸ εἶπεν, ὅτι ἐγέννησε τὸν πρωτότοκον αὐτῆς, ἀλλ' ὐκ ἔγνω αὐτὴν, ἕως ὅτυ ἐγέννησε τὸν ὑιὸν αὐτῆς, καὶ ὐκ εἶπε τὸν πρωτότοκον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸν πρωτότοκον: Non dixiſſe Evangeliſtam, quod Maria genuerit primogenitum ſuum, ſed quod Ioſephus non cognoverit ipſam, donec genuit filium ſuum, & poſt ſubjeciſſe Matthæum cum articulo, illum eſſe τὸν πρωτότοκον, quaſi *antonomaſticè* & abſolutè talem reſpectu omnis creaturæ. Et ſanè Chriſtus talis dici poteſt, tum ratione divinæ naturæ, tum ratione humanæ, utróque enim reſpectu & primogenitus fuit, & unigenitus. In hunc ſenſum ab Apoſtolo Chriſtus vocatur *primogenitus inter multos fratres. Rom.* VIII. & alibi, ſive *naturæ*, ſive *gratiæ*, ſive denique *gloriæ* prærogativam ſpectemus, quibus omnibus Chriſtus antecellit fratribus adoptivis, & antiquum primogenitorum jus in gradu eminentiſſimo obtinet. Nihil itaque inde pro Helvidio, ut nec ex locis aliis, ubi idem nomen Chriſto aſſignatur.

XIII. Quod etiam objiciunt *Helvidiani* de *fratribus* Chriſti, quorum meminit Scriptura *Matth.* XIII. illud verò leve eſt &

elumbe, quasi non nota sit latitudo hujus vocis ex Hebraismo, & fratrum nomē non sumatur *reductivè* sæpe, & *analogicè*. Et sic fratres sæpè vocantur, inter quos intercedit vinculum sive cognationis, sive affinitatis, sive adoptionis, sive religionis, sive affectus, sive professionis, sive status ejusdem. Innuit hoc Apostolus per ἐπεξήγησιν subjectam quando, *Rom.* IX.3. de Iudæis loquens ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, addit statim, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα. Et sic quidam singulari modo vocantur fratres Christi, Iacobus minor *Gal.* II. & alii id genus. Imò expresſè discernitur in Scripturâ mater Iacobi & Ioses, qui fratres Domini dicũtur, à Mariâ matre Domini, & vocatur Maria ἡ Μαγδαλληνὴ διακριτικῶς, *Marc.* XV.40. Præter consanguineos & agnatos ejusmodi, Christus omnes fideles agnoscit pro fratribus, sed nihil in eo *Helvidianis* præsidii, & clarum, illos tales non vocari respectu nativitatis carnalis ex Mariâ. Huc redit etiam solutio *Hieronymi adv. Helvid. fratres in Scripturis divinis dici quatuor modis, naturâ, gēte, cognatione, & affectu.* Exempla ubique sunt obvia in Scripturâ, qualia multa *Hieronymus* ibidem refert. 1. de Agnatis, Abrahæ & Lothi. *Gen.* XIII. 8. XIV.14. 2. de iis qui sunt ὁμοεθνεῖς vel ὁμόφυλοι *Deut.* XXIII. ne pecunia fœnori elocetur fratri. *Act.* XXII. Paulus ad Iudæos ἄνδρες ἀδελφοί. 3. de ejusdem Religionis sociis, sic & Iudæi & gentes post utrorúmque conversionem fratres dici possunt. 4. De amicis. Sic David Ionathanem vocat fratrem. II. *Sam.* I. 20. 5. de iis inter quos conformitas aliqua intercedit, *Iob. cap.* XXX.29. ait se fuisse אח draconibus, & רע socium filiabus Struthionis, ubi posterius est ἐξηγητικὸν prioris. Sic *Hesiodus* in *Theog.* θάνατον vocat ἀδελφὸν ὕπνου. Sic agnati apud *Eustathium* κασίγνητοι vocantur. Et Hebræi de voce semel saltem in Textu Biblico occurrente dicunt, אין לה אח, *non ei frater* est, h.e. similis alia. *Hieronymus* inter alias responsiones hanc etiam addit, sub finem *lib. adv. Helv.* eodem modo multos vocari fratres Christi, quo Iosephus pater ejus, quatenus nimirum æstimabantur tales esse.

XIV. Hæc prolixius contra *Helvidianos* disputare voluimus, quamvis opinio illorum hodie sit exoleta, tum ad ἐξήγησιν textus sacri, qui primo intuitu *Helvidianis* favere videtur, tum ad abstergendam calumniam omnem, quâ Theologi nostri gravantur, quasi vel virginitatē B. Virginis negent, vel *Helvidianorũ* veterum

terum dogma poſtliminio reducant, cùm piè credamus, Ioſephum æquè ac Mariam tot miraculis circa nativitatem Chriſti conſpectis, tot encomiis illius adhuc vagientis auditis, quæ admirationem illis expreſſiſſe legimus, à cohabitatione omni quoad torum abſtinuiſſe: cùm nobis etiam Chriſtus iam duodecennis, ut unigenitus adhuc proponatur *Luc.* 11. Interim tamen probanda non eſt *Pontificiorum* temeritas, qui ad alterum extremorum nimis deflectunt, & prætoriâ, imò dictatoriâ authoritate perpetuam virginitatem Mariæ, pro articulo fidei ſub æternæ damnationis pœnâ credendo, nobis obtrudere ſatagunt. Quod nec ex S. Scripturâ probari poteſt, nec conforme eſt modeſtiæ Patrum, nec fidei noſtræ neceſſarium, modò pro certo & indubitato ſtatuamus, matrem Domini illibatam & intactam conſervaſſe virginitatem ad nativitatem uſque Servatoris noſtri Et hoc eſt quod *Baſilius* docet diſertè *Homil. de ſancta Chriſti gener. num.* XXIV. μέχρι τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας, ἀναγκαία ἡ παρθενία, τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου. Et paulò ante ibidē, hcc ipſum μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεσθαι λόγῳ. Cùm ergo id nec ad ſalutem noſtram ſit neceſſarium, nec demonſtratum in S. Scriptura, mirum, quâ ſpecie pro articulo fidei obtrudatur Eccleſiæ Chriſtianæ. Et ſanè cùm Adverſarii multi, ut dictum, hoc dogmate inter alia Traditionum neceſſitatem, & S. Scripturæ *inſufficientiam*, ut blaſphemè loquuntur, adſtruere ſatagant, fatentur ſatis, locos è Scripturâ citatos ſine ratione ſolidâ ad dogma hoc probandum applicari, & votum illud commentitium prorſus eſſe, quod ex *Luc.* 11. probare contendunt alii magno animorum ardore. Viderint gregales hi, novæ Babylonis architecti, qui denuo linguis variant & ſententiis, quomodo lites ſuas inter ſe componant.

XV. Dictum verò fuit in ſuperioribus, Pontificios in tres ſententias ſcindi, 1. Quoſdam velle, Mariam fuiſſe à parentibus virginitati perpetuæ addictam, vel ante nativitatem, vel ſtatim poſt eam. 2. Alios contendere, Mariam, antequam nuberet, hoc votum nuncupaſſe. 3. Alios, id factum poſt conjugium jam initum cum Ioſepho.

Primam ſententiam & probat, & perſequitur prolixè *Baronius* in Apparatu Annalium, *Chriſtophorus à Caſtro* in Hiſtoriâ Deip. Virg. *Seb. Barradas* Tomo 1. Comm. in Conc. Evang. aliique com-

plures ex Pseud-Evangelio quodam, quod nomine ἀποκρύφου τινὸς ἱστορίας citat *Gregorius Nyssenus*, & eo saltem nomine commendat, quod non sit penitus absurda. Audiamus verò lepidum commentum, & experiantur homines ingenui, qui adhuc suæ spontis sunt, & sani judicii, quo loco id habendum censeant: Inquiunt τερατολόγοι illi, Ioachimum & Annam B. virginis parentes, sterile conjugium pertæsos, tandem illam à Deo multis precibus impetrasse, & inde à cunis Deo devovisse, anno verò tertio ætatis Deo stitisse in templo, ut educaretur intra septa ejus, in loco virginibus consecrato: Novem annis inter cœlestia Angelorum alloquia exactis, & parentibus B. Virginis cœlo receptis, eam parentum voto liberam, ultro idem nuncupasse. Cum verò ab agnatis ad nuptias solicitaretur, illaque voti religionem obtenderet, consultum fuisse oraculũ, & responsum acceptum, ejusmodi sponsum deligendum B. Virgini ex familiâ Davidis, qui eam non attingeret, sed custodis saltem & patroni vicem obiret, sorte verò Iosephum deprehensum. Fabulam hanc febrilem & anilem, applausum apud viros doctos reperire mirum foret, ni satis constaret, & judicia & scripta Romanensium sub nutu dominantis esse, & nihil potius plerisque, quàm δουλεύειν τῇ ὑποθέσει. Meritò itaque eruditissimus *Casaubonus* eo nomine perstringit *Baronium Exerc.* I. *ad Appar. Annalium* XXI. XXII. *Num.* XLVIII. & XLIX. Cui censuræ & nos subscribimus. 1. Quia historia illa ἄγραφος est Evangelistis. At quî probabile, Evangelistas minus mira de Mariâ virgine tam solicitè & tam studiosè exequuturos, & hæc prætermissuros fuisse, quæ tanti momenti? 2. Quia Authores, ex quibus hæc habet *Baronius*, mali commatis sunt, & sequiorum seculorum, & ψευδεπίγραφοι ex parte, qualis *Evodius*. *Gregorii Nysseni* judicium ex *Homil. de sancta Christi nativitate* suprà vidimus. 3. Quia *Thesis* ipsa falsa, ejusmodi virgines intra septa templi fuisse conclusas, de quo nec præceptum ullum habemus in totâ Scripturâ, nec exemplum. Imò altum super hac re apud *Iosephum*, *Philonem*, & alios id genus Scriptores silentium, qui tamen accuratè exequũtur res Iudaicas, & vel inprimis ea, quæ sacra & cultum DEI attingunt. 4. Quia hoc ipsum ἀντίγραφον est. Iudæi enim non solebant moniales Deo consecratum ire, masculi enim solùm consecrabantur Deo, fœminæ non itẽ: sic *Exod.* XII. 12. הזכרים, *masculi*

masculi expressè vocantur, qui Deo consecrandi erant ex primogenitis, voce generali restrictâ per specialiorem aliam. Idem notatur à Lucâ disertè *cap.* II.23. πᾶν ἄρσεν, inquit, ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται. Sic Anna I. *Sam.* I.12. vovet, si Deus ei dederit זרע אנשים *semen virile*, se id Deo consecraturum. Imò nec masculi præter Levitas ministeriis sacris destinabantur, sed redimebantur ex Lege *Exod.* XIII.13. tantum abest ut sodalitia virginum inter Iudæos extiterint, ut ne masculorum quidem, præter oriundos ex tribu Levi, reperirentur. 5. Adde, quod *Gregorius Nyssenus*, loco allegato, disertè fateatur, nec consuetudinem, nec gravitatem vel honestatem permisisse mulierem inter Sacerdotes in templo versari. 6. Sic, cōmentum illud Pontificiorum de cellis circa templum exstructis, in quibus habitaverint & viri, & virgines Deo dicatæ, frivolum prorsus est, & sine fundamento, quod solidè ostendit *Casaubonus Exerc.* I. XXII. ad *Appar. Annal. Num.* XLIX. 7. Exempla mulierum excubantium in ostio tabernaculi *Exod.* XXXVIII.8. Iosabæ II. *Reg.* XI. & Annæ Prophetissæ ἀπροσδιόνυσα prorsus esse, idem *Casaubonus* eruditè docet *Exerc.* I. *Num.* LIII. *ad Appar.* XXIII. & subjicit, quid veteres per ἐγκλείστους vel κατακλείστους puellas intellexerint, quas sanè inter tot Sacerdotes in templo sacris operantes עלומות, & absconditas vel reclusas fuisse, mirum quantum! Et re verâ mulieres illæ non excubantes, sed הצובאות turmatim convenientes, de quibus *Exod.* XXXVIII.8. & I. *Sam.* II.12. sermo, privatæ pietati suæ, non publicis ministeriis, non voti, sed devotionis præsentis ergo, non perpetuò, sed ad tempus operabantur. Qualis Anna Prophetissa, quę οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, eò quod assidua fuerit in precibus & oblationibus, istic loci, προσμένουσα videlicet ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας, quod de verè viduis Paulus habet I. *Tim.* V.5. Eâdem phrasi ad assiduitatem alicujus exprimendam uti solemus quotidie dicendo, illum non destitisse, vel discessisse ab hoc vel illo instituto, negotio, loco &c. Adde quod Anna illa non virgo, sed vidua fuisse dicatur expresè à Luca *cap.* II.32. Nihil ineptius etiam Iosabæ exemplo, ut quæ Iojadæ summi sacerdotis uxor disertè vocatur II. *Paral.* XI. adeoque meritò cum marito eosdem incolebat lares. Locum ex secundo *Maccabæorum à Baronio* citatū eruditè exponit, & vindicat *Casaubonus Num.* LIII. *Exerc.* I. & docet

epitheton honestiorum virginum ordinarium fuisse, quod *κατάκλειστοι* vocarentur, & θαλαμευόμεναι, ut quæ suos *παρθενῶνας* incolebát, in quibus seorsim educabantur. Sic uxores ipsæ Poëtis Græcis *οἰκουρήματα* dicuntur, & virgo Hebræis עלמה, quasi עלומה abscondita, quod optimè redditur per *κατάκλειστον*. 7. Reliqua omnia à *Baronio*, & aliis allegata, fabulosa sunt, & inepta, cùm nec oracula amplius, nec Vrim, vel Thummim, nec Prophetæ, nec modi alii similes DEUM consulendi tum téporis reliqui fuerint genti Iudaicæ. Imò si publicè cautũ fuit, ne Iosephus Mariâ uteretur, ob Oraculum peculiare, quî non Iudæis in honore peculiari habita B. Virgo? quî Iosephus eam suspicatur pudorem prostituisse, & ob id desertionem molitur? quî non à sacerdotibus quæstio habetur de pudore ejus? quî etiam constabit sibi ratio illa multorum ex Pontificiis, desponsam fuisse B. Virginem Iosepho, ut famæ simul ac vitæ Mariæ & honori Christi consuleretur, siquidem constabat omnibus, conjugium inter Iosephum & Mariam contractum tori libertatem illis minimè facere?

XVI. Cæterùm votum illud virginitatis perpetuæ quod attinet, quod Mariam nuncupasse contendunt, nullo prorsus nititur fundamento, sed est à merâ conjecturâ Pontificiorum. Et meritò illi à CL. *Beza* urgentur, quod nec *ante*, *nec post* sponsalia ejusmodi votum à Beatâ virgine emissum fuerit; *Non ante*, cur enim se Iosepho post nupturam spopondisset? cùm non ignoraret & quis esset finis conjugii, & quæ potestas mariti in corpus uxoris. Cur etiam se tentationi exponere voluisset, & Iosepho inanem spem, inania promissa facere? *Non post* contracta sponsalia, cùm non amplius fuerit suæ spontis B. Virgo, nec id voti genus ratum esse potuerit sine consensu sponsi, cum sponsa pro uxore quoad vinculi obligationem habita fuerit inter Iudæos. *Num.* XXX. 13. Sic, quæ causa quæso subesse poterat voti illius nuncupandi, ante annuntiationem Angelicam? cum & vota ejusmodi ignota fuerint inter Iudæos, & probrosum apus eosdem fuerit carere liberis, quod exépla Saræ, Rachelis, filiæ Iephtæ, Annæ, Elizabethæ, & alia id genus ostendunt. Idem fatetur *Baronius in Appar. Num.* XLVII. *vigebat tunc ea apud Iudæos consuetudo*, inquit, *cùm filiæ ipsorum adultæ essent, eas nuptui tradere, verebatúrque ignominiæ, si quis aliter faceret*. Huc accedit, quod Maria

jam ante

jam ante annuntiationẽ *μεμνηστευμένη* erat sive *μνηστευθεῖσα* Iosepho, adeóque eo ipso, quo consensit in nuptias, suæ spontis fuit & sine vinculo voti. Fatentur enim *Scholastici* cum *Gratiano Decr. prima parte Dist.* XXVII. *can.* IV. *voventibus virginitatem non saltem nubere, sed & velle nubere, damnabile esse*, quod repetit *Abulensis Quæst.* XXX. *in Matthæum*. Et cùm, ut suprà ostensum, penes viros fuerit, uxorum vota vel rata habere, vel infringere secundum legem, prout & in aliis maritorum potestati & arbitrio obnoxiæ erant, utique gravi se sine causâ periculo exposuisset B. Virgo, vel sponso fidem fallendi, vel DEO, ob votum nuncupatum. Hanc verò potestatem maritorum non saltem in V. sed & in N. Testamento durasse Paulus clarè docet I. *Cor.* VII. dum inquit, *Vxorem non habere proprium corpus in potestate, sed virum*. Precarium ergo prorsus, & inane, quod de voto illo à virgine nuncupato comminiscuntur Adversarii, & probabile potius, Mariam virginem desponsam quidem, nondum tamen domum ductam, cognito extraordinario hoc mysterio, à Iosepho impetrasse virginitatis suæ conservationem, cùm non potuerit non uterque graviter commoveri tot eximiis documentis Mysterii illius insignis, quod in B. Virgine operatus erat Spiritus S. adeóque animorum saltem non corporum contubernium inter illos fuisse contractum, ut hâc ratione debitus honor constaret σπουδαίως τῷ χωρήσαντι τὸν ἀχώρητον, ut eleganter loquitur *Epiphanius Hær.* LXXVIII. *Sect.* VIII. quamvis idem doceat Iosephum octogenarium demum duxisse Mariam juvenem, adeoque nuptias inter Iosephum & Mariam, salvâ ejus virginitate, contractas fuisse. Sed hoc & incertum, & parum necessarium. Nam novum non est, γάμον ejusmodi ἄγαμον dari. Vnde Ius Græco-Romanum Edit. Leunclavii lib. VIII. quo continentur ζητήματα καὶ ὑποθέσεις γαμικαὶ, cap. XVIII. notat τὸν γάμον οὐ τὸ συγκατευδῆσαι ἀλλήλοις τὸν ἄνδρα καὶ τὴν γυναῖκα συνίστασιν, ἀλλ' ἡ γαμικὴ αὐτῶν συναίνεσις. & *cap.* XXI. Γάμος γὰρ, οὐ τὸ γυναικὶ συμφθαρῆναι μόνον, ἀλλὰ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνάφεια, καὶ συγκλήρωσις τοῦ βίου παντὸς, θείου τε καὶ ἀνθρωπίνου δικαίου κοινωνία.

XVII. Excipit *Abulensis Quæstione* XXX. *in Mattheum ex Thomâ & Durando in Lomb. Lib.* IV. *Dist.* XXXII. *quæst.* II. §.8. B. Virginem ante contractum matrimonium non quidem vovisse virginitatem, sed saltem proposuisse sibi illam servare, propositum au-

tem non obligare, & ab eo potuisse resiliri, votum autem obligare, & ab hoc non posse resiliri. Cum proposito verò illo nupsisse Mariam. Sed hæc omnia 1. precaria, & ex merâ conjectura, ut & illa quę de simplici & conditionato voto adjicit *Abulensis*. 2. Contraria plerisque Doctoribus Pontificiis, votum, non propositum saltem virginitatis à Mariâ susceptum contendentibus, eò quod ex sentētiâ *Thomæ* II[a] II[æ] *quæst.* LXXXVIII. *art.6.* ea quæ fiunt ex voto, statuantur majori laude digna, & magis meritoria, quam quæ ex proposito solummodò fiunt. 3. Inutilia ad scopum *Pontificiorum* evincendum. Ejusdem momēti sunt quæ *Abulensis* adjicit, Mariam coactam fuisse à parentibus ad conjugium, contra suam voluntatem, ideoque consensisse, & in eo ipso magnam ejus fidem fuisse, quod confideret DEUM sibi adhuc gratiam hanc largiturum, ut etiam in conjugio intactam servaret virginitatem suam, & sic eam conformatā fuisse Abrahamo patri credentium, posteritatis suæ multiplicationem firmiter credenti, etiam postquam jam gladium jugulo Isaaci admovisset. Vtrumque ergo, & Abrahamum & B. Virginem *duo incompossibilia* simul credidisse. *Alii* addunt, edoctam fuisse Virginem à Spiritu S. Iosephum consensurum ad servandam virginitatem: Sed & hoc precarium prorsus. *Alii* contendunt, eam nunquam in animo habuisse consummare matrimonium. Quid vero aliud est pacisci, & contrahere sine voluntate implendi id quod promittitur, quàm æquivocationibus & mendaciis ludere illum, cui promittitur: & vel in matrimonii, vel in voti leges peccare? Excipit *Maldonatus in cap.* I. *Lucæ*, non sperni conjugium, etsi ab usu ejus abstineatur. Sic I.*Cor.*VII.5. orationis causâ id fieri à conjugibus posse, sine matrimonii contemptu. Nec Mariam virum lusisse, cui, declarato voto, consentientiq; in ejus observationem, nupsit: Licere sterili & impotenti viro scientem & consentientem ducere uxorem, licere itaque etiam mulieri virginitatis votum habenti, mysterii causâ, consentienti viro nubere: Licere conjugatis post contractum matrimonium, mutuo consensu, ab ejus usu abstinere, cur ergo non liceat eâdem conditione contrahere? *Resp.* I. Locum Pauli ἀξαγώνιον esse, aliud enim ab usu conjugii ἁπλῶς abstinere, aliud id facere κατά τι, & πρὸς καιρὸν, ut disertè habet Apostolus I.*Cor.*VII.5. qui & addit ibidem, ϗ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε.

Aliud

Aliud id facere ἐκ συμφώνου, ut loquitur Paulus, aliud ex voto. 2. Votum ejuſmodi nuncupatum fuiſſe à B. Virgine ſupponitur, non probatur, cum ante annuntiationem Angelicam cauſa voti nulla fuerit, poſt annuntiationem, virgo iam deſponſa ſuę ſpontis amplius non fuerit. 3. Conſenſum voluntarium Ioſephi admittimus, ſed ſine obice vel voti, vel neceſſitatis. 4. Steriles & impotentes ſui ſimilibus nubere, non improbatur, diſſimilibus, improbatur, ne tentationi Sathanæ locus detur, quæ euitari nequit, ſi vel conditione illâ contrahant conjuges, vel voti laqueum, parum conſcii ſuæ infirmitatis, ſibi injiciant.

XVIII. *Loci Scripturæ* pro perpetuâ Mariæ virginitate adducti, non concludunt negatum. Non locus ex *Ezech.* XLIV.2. de portâ clausâ per quam ſolus Dominus intret. 1 Quia Theologia ſymbolica non eſt argumentativa. 2. Quia nulla ratio dari poteſt, cur hæc verba de Mariâ virgine ſint intelligenda, cum deſit analogia & applicatio reſpectu portæ Aquilonaris, quæ ibidem deſcribitur. 3. Quia ea quæ dicuntur de principe aſſidente illi portæ ut comedat panem coram Iehova, Chriſto vel Mariæ applicari commodè nequeunt. 4. Quia & veteres & recentes Interpretes, ipſimet etiam Pontificii, hîc linguis variant & ſententiis: *Quidam* cum *Origene Hom.* XIV. *in Ezech. portam clauſam* dicunt eſſe ſecretiora Scripturæ ſacræ, quæ clauſa, donec aperiantur à principe Chriſto, à Leone illo tribus Iudæ, qui ſolus poteſt & librum aperire, & ſeptem ejus ſigilla ſolvere. In hanc ſententiam propendet etiam *Hieronymus*. *Alii*, per *portam clauſam*, *cælum* intelligunt, quod clauſum peccatoribus, & ſolâ Chriſti virtute reſeratum. *Alii* id trahũt ad nativitatem Chriſti, ex utero clauſo Mariæ prodeuntis, quaſi verò in eo virginitatis ratio conſiſteret: unde liberaliter admodum cõcludit *Cornelius à Lapide in cap.* XLIV. *Ezechielis*: Patres & Interpretes omnes Chriſtianos id ſtatuere, & plurimos cenſere, hunc eſſe ſenſum literalem, certè primarium eſſe, & maximè intentum à Spiritu Sancto. Vbi & prolixè in laudes B. Virginis digreditur, & illam blaſphemè ibidem vocat *portam cæli*, & inquit, *omnem gratiam, & omnia dona è cælis à Deo per B. Virginem, utpote portam, ad nos deſcendere, eam eſſe ſolium gloriæ Dei, arcam Teſtamenti, clypeum omnibus in ſe ſperantibus, dominam, advocatam, mediatricem noſtram,*

civitatem refugii, propitiatorium Altißimi, è terra in cœlum hominibus per B. Virginem quasi portam intrandum & ascendendum esse. Eam vocari scalam Iacobi, januam cæli, portam paradisi, matrem salutis, dominam Angelorum, reginam mundi, Trinitatis filiam. Hinc paßim Doctores dicere, medium efficacißimum ad assecurandam sibi æternam felicitatem esse, si quis cultui B. Virginis se addicat, ab eaque poscat dirigi rectis itineribus in viam portúmque salutis. His similia multa habet *Sebast. Barradas libro* VI. integro *Comm. in Conc. Evang.* Et *Salazar* disertè inquit (in *Defens. pro immacul. Virg. Conc.*) *Virginē humani generis mediatricem & redemptricem esse: Mediatricem dici primùm ratione propriæ mortis, quam pro salute hominum desideravit, & obtulit, & quodā modo perpessa est.* Item, *humani generis reparationem Christo & Mariæ donatā esse, & tam angelos, quam homines propter Mariam ad gratiam & gloriam prædestinatos esse.* Euge sanè! Hoc non est Christum & honore & officio suo exuere, & creaturam idolum erigere? Hæc Iesuitarum Theologia est. Quanto satius cum *Epiphanio* dicimus, ἴσλω βλάβlω admitti ἀπὸ τῶν κατευτελιζόντων τὴν ἁγίαν παρθένον, & ἀπὸ τῶν αὐτὴν ὑπὲρ τὸ δέον δοξαζόντων. 5. Melius longè locus Ezechielis intelligi potest de porta Sancti Sanctorum in templo Hierosolymitano, quod fuit typus sacrarii cœlestis, in quod Christus, expiatione peccatorum nostrorum factâ, solus ingressus est, virtute suâ. *Heb.* VIII. 2. IX. 24. Huc pertinet etiam locus ille *Ioh.* III. 13. 6. Potest etiam applicari dictum propheticum ad mysteria regni cœlorum, quę sunt porta clausa, nec aperiuntur, nec quisquam ad ea potest ingredi, nisi princeps Christus, & quibus ille aditum recludit. *Augustini* expositio allegata ex *Serm.* XVIII. *de Temp.* 1. allegorica. 2. à sensu Prophetę aliena. 3. ὑποβολιμαῖα, non γνήσια, quod de *Sermone* illo, & aliis *Perkinsus* ostendit.

XIX. Locum qui exstat *Luc* I. 14. quod attinet, contendunt *Pontificii*, verba ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω non significare actum præsentem, sed consuetudinem, & consuetudinem cum impedimento, non naturali sed morali, non ex præcepto sed ex voto. Huc enim redit anxia illa, & tot commissuris ac juncturis fibulata *Maldonati* disputatio, quâ ex Methodo *Gaulterii* Iesuitæ, & *Veronii* ludionis, consequentias & τὸ λογιστικὸν explodētium, liceret nobis eludere veteri verbo, *Non liquet.* Sed ut cādidius & liberalius cū homine cæteroquin iniquissimo Doctoribus nostris agamus, *Respod.* 1. peccari *falsâ hypothesi* geminâ, verba illa B. Vir-

ginis non posse intelligi, sive de tempore præterito, sive de præsenti, hoc sensu: Mariam auditis Angeli verbis, ἰδοὺ συλλήψῃ, & iis relatis ad illud ipsum annuntiationis tempus, quasi sine morâ conceptura esset, in hæc verba erupisse, πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, *cum virum* hactenus *non cognoverim*, ut *Syrus* benè vertit per præteritum Pehil דגברא לא חכים לי *quia vir non est cognitus mihi*. Vbi חכים respondet τῷ נודע Hebræorum. Etsi enim, ut benè inquit *Beza, paulo post Maria se nupturam probabiliter sperabat, utpote quæ jam esset desponsa: tamen valde mirum fuit, Virgini conceptum, & partum, nullâ matrimonii consummandi, vel Iosephi sponsi mentione factâ, perinde ut jam nuptæ prænuntiare.* Et sanè plerique ex Theologis, etiam Pontificiis, fatentur, Mariam illo ipso momento annuntiationis concepisse, quo audivit verba Angeli, & fidem illis adhibuit. Ipse Maldonatus urget τὸ ἰδοὺ, & emphasin ejus, ut designantis illud ipsum tempus. Quibus accedit etiam *Author libri de Virgine Deiparâ*, qui adscribitur vulgò Athanasio, qui supplet quædam ἐξηγητικῶς, ἐπείπερ φησὶν, ὦ ἄγγελε, ἄνδρα οὐ γινώσκω, σὺ δὲ διὰ τοῦ ἰδοὺ δεικτικοῦ προσρήματος λέγεις, ἰδοὺ συλλήψῃ, ὡς κατὰ χρόνον ἐνεστῶτα, πῶς ἔσται τοῦτο, οὐκ οἶδα. Et idem *Author* inquit Mariam hæc dixisse ἀποβλέπουσαν πρὸς τὴν φύσιν, καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰωσὴφ διαλογιζομένην. 2. *Peccat Elencho ex particularibus Maldonatus*, quasi ex exẽplis quibusdã, ubi consuetudo notatur, idem hoc loco inferri vel debeat, vel possit, tametsi etiam falsum sit, exempla illa ad actum præsentem non posse ullo modo referri. Et sanè in hoc exemplo res clara, virgo verba Angeli de præsenti tempore accipit, & meritò ita respondet, cum nondum domum ducta fuisset à Iosepho, virginem enim concipere, sine cognitione viri, novum prorsus erat & stupendum. 3. Imò aliter & commodè etiam responderi potest, alio sensu verba hæc intelligẽda esse, quem observavit olim *Ambrosius* in *Lucam*, Mariam videlicet memorem oraculi Prophetæ, de virgine pariturâ Messiam, ad quod alludere videbatur Angelus, attonitam quæsivisse, quomodo sine viro concipere posset virgo? & dixisse, πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. Vnde idem *Ambrosius lib. II. cap. I. Mariam credidisse id futurum, sed quomodo fieret, ante non legisse.* Quid obstat ergo, quominus B. Virgo, postquam agnoverat ex verbis Angeli, se esse Virginem illam ab Esaiâ designatam, ex qua deberet nasci Messias, inquirere potuerit in modum rei, &

postulare ab Angelo, qua ratione id futurum esset? Sic *Ambrosius* inquit, *eam non dubitasse de effectu, sed qualitatem effectus quæsivisse*. Sic *Theophylactus* in Lucam, οὐχ ὡς ἀπιστήσασα ἡ παρθένος, εἶπε τὸ, πῶς ἔσται μοι τοῦτο, ἀλλ' ὡς σοφὴ, καὶ συνετὴ, ἐπιζητοῦσα μαθεῖν τὸν τρόπον τοῦ πράγματος, οὐδὲ γὰρ γέγονέ τι τοιοῦτον πρότερον, οὐδὲ μετὰ ταῦτα γενήσεται. Sic *Salmero*, *eam quæsivisse modum quo salvâ virginitate mater fieri posset*. Et ipse *Maldonatus* inquit, verba esse cupientis modum scire quo id faciendum esset, ne fortè cū aliqua virginitatis suæ fieret injuriâ. Et sane πῶς Marię est docilitatis, ac admirationis, non incredulitatis, vel diffidentiæ, vel dubitationis. Hoc sensu *Beza* in priore editione τὸ γινώσκω vertit per *non sum cognitura*, & hanc locutionem aliis locis parallelis illustravit, v.g. *Ioh*. VII. 27. Cum venit *Christus*, *nemo* γινώσκει id est, *cogniturus est, unde sit*, non quasi votum Marię sic vellet indicare, ut cavillati sunt *Pontificii*, cum *Beza*, adducto *Ambrosii* loco, satis supérque mentem suam explicârit. Quod tamen meritò post mutavit, ut cavillis omnibus ansam præcideret. Quocunque verò significatu accipiamus τὸ γινώσκω, sive de tempore præsenti, sive de futuro, sive de præterito, nihil inde pro sententiâ Pontificiorum ullis fidiculis extorqueri potest. 4. Instat *Maldonatus*, in promptu fuisse Angelo respondere, si non soles virum cognoscere, cognosce nunc, & concipies, quem te concepturum dixi. Magnum verò acumen Iesuitæ! 1. Annon enim absurdus hîc, & ridiculus prorsus *Maldonatus*? quomodo enim Angelo promptum fuisset sic respondere, cum Messias debuerit nasci sine cognitione viri, & conceptio ejus esse & miraculosa, & extraordinaria prorsus, & ex עלמה virgine, ut videbitur in sequentibus. 2. Adde quod si (ἰδοὺ) ex ipsius *Maldonati* sententiâ designabat præsentem conceptionem, quomodo potuisset Angelus de futuro respondere, *cognosces*? an ergo conceptio antegreditur cognitionem? 3. Et verò nos Angelo præscribemus verba quibus uti debeat? 4. Ponamus verò, quod falsum, B. Virginem votum ejusmodi fecisse, num illa debebat id opponere extraordinariæ annuntiationi, & declarationi tam augustæ? cum innuptarum puellarum vota patrum authoritate, nuptarum authoritate maritorum rescindi potuerint, an idem Deo illam ad mysterium extraordinarium destinanti non licuisset, vel illa obicem voti ponere aut potuisset, aut debuisset? Imò cum Pontifici

suo Ro-

ſuo Romanenſes Theologi tranſcribant poteſtatem omnem relaxandi vota, an Deo non licuiſſet, quod Pontifici licet? 6. Imò annon ſic B. Virginem ignorantiæ & ſtuporis arguunt? Si enim Meſſias debuit naſci ex Virgine, & id fuit in confeſſo inter Iudæos ex Oraculo Eſaiæ, cur illa votum ſuum opponit, quomodo fiet iſtud, cum virum non cognoſcam, vel non ſim cognitura? Annon potius contrarium planè inde debebat concludere, imò eo ipſo, quia virum non ſum cognitura, nec debeo cognoſcere, fiet iſtud. His obſervatis cōcidunt omnia illa, in quibus de impotentiâ naturali, vel morali, ex præcepto, vel voto argutatur *Maldonatus*: ſubruto enim uno tibicine, tota compages luxatur, ita bene ſibi conſtat ſtrues illa ficulnea ſophiſmatum inanium. Sic ſatis ſuperque oſtenſa eſt voti commentitii, à B. Virgine ante adventum Angeli nuncupati, futilitas.

XX. Rationes quoque *Abulenſis* & *Salmeronis* inanes, & arena ſine calce. *Prima* ἀνακόλουθος eſt. Supponitur enim, non probatur, Chriſtū debuiſſe æquè ſecundum naturā humanā unigenitum eſſe, ac ſecundū divinam. Illud neceſſarium prorſus erat, iſtud non item. 2. Imò, tametſi plures alios ex Ioſepho filios ſuſcepiſſet Maria, Chriſtus ſemper unigenitus manſiſſet, quoad modum conceptionis & generationis. 3. Quid hoc ad voti virginalis patrocinium? *Secunda* probabilis eſt, neceſſaria non eſt, ſufficit B. Virginem in actu hoc extraordinario fuiſſe Spiritui S. conſecratam, nec opus eam ſepoſitam eidem fuiſſe in perpetuum, peracto etiam myſterio: nec vel matrimonium, vel matrimonii uſus, quæ à Deo inſtitutionem ſuam habent, profanationis nomine cenſenda veniunt, nec obſtant quominus fideles, etſi conjugati, templa ſint Spiritus Sancti. *Tertia* 1. ſupponit falſum, B. Virginem ante conceptionem Spiritui Sancto virginitatem ſuam dicaſſe. 2. Peccat *fall. conſeq.* & *non cauſæ*, nec enim conjugium iniiſſe cum Ioſepho cenſenda eſt, quaſi filio tanto non contenta, ſed quia fidem jam obſtrinxerat, & erat μεμνηστευμένη, quam fallere non debebat, nec poterat, niſi ex conſenſu Ioſephi, quem quoad tori ſeparationem interceſſiſſe probabiliter credimus, & arbitramur, Deum continentiæ dono utrique Sanctorum horum conjugum ex ſingulari œconomia ita proſpexiſſe, ut ſine συμμίξει ulla carnali intemeratum animorum contubernium coluerint. Sic etiam ſatisfit rationi *quar-*

*t.e.*Locus verò Pauli 1.*Cor.*III. ἀπροσδιόνυσος prorſus eſt, quia ibi ſermo Apoſtolo de illis,qui vel doctrinâ impiâ, vel vitâ profanâ templum Dei violant,& elogium illud ad omnes fideles extendi debet:per fornicationem quidem templum Dei violari concedimus, per uſum legitimum matrimonii nõ item, alias nemo ex conjugatis templum Dei foret. *Quinta* ratio ἀνακόλουθος itidem & inepta 1. Quaſi verò omnibus dica ejuſmodi ſcribenda ſit,qui ad copulam matrimonii adſpirãt,quod ex appetitu libidinis ſaltem ad illam ferantur. 2. Donum continentiæ poſt annuntiationem Angelicam, divinitus B. Virgini conceſſum fuiſſe piè credere poſſumus,certò demonſtrare non poſſumus. Ante annuntiationem verò Mariam in copulam conjugalem conſenſiſſe,negari nequit.*Sexta* ratio falſum ſupponit,vel propoſitum virginis tale fuiſſe,vel illam non acquieviſſe Angelo, niſi poſtquam intellexiſſet id ſalvâ ſuâ virginitate futurum. Senſum verborum B. Virginis oſtendimus in ſuperioribus.

XXI. *Scholaſticorum* aliorum rationes ejuſdem ſunt commatis.Decoris enim ratio, in ſacris, nõ metiẽda ex cerebro humano,ſed ex ſolo Dei verbo,quod ſatis ſupérque exequitur τὸ πρέπον. 1. B. Virgo decentiſſimum ſanè fuit habitaculum Dei, ſed gratiâ , non naturâ , non ex ſingulari ejus præ aliis perfectione, ſed ex gratioſâ Dei electione & ſanctificatione, non ob votum antecedens virginitatis,ſed ob vitam ſanctè & caſtè,ex ſingulari continentiæ dono,exactam. Nec illa perpetuum Dei habitaculum fuit alio ſenſu,quàm quo fideles alii templa ſunt Spiritus Sancti, etſi ad tempus, dum ferebat uterum , ſingulari ſenſu , & privilegio,templum Dei dici poterat, ubi & incorruptam illam prorſus eſſe oportebat. 2. Exemplo quoque fuiſſe muliebri ſexui B.Virginem non negamus, ſed nec ſolam, nec voto continentiæ,ſed virtutibus aliis,quibus excelluit. Imò alioquin virginibus ſaltem exemplum fuiſſet,conjugatis verò fœminis non item. 3. Falſum ſupponitur , omnis nobilitatis & ſanctitatis privilegium in B.Virgine reperiri debuiſſe , ſatis illa ei adfuerint , quæ ad immaculatam Servatoris conceptionem neceſſaria erãt,cujuſmodi nec votum virginitatis eſt;nec perpetua virginitas. Imò,ſi ſibi conſtat Scholaſticorum ratio,cur non creata fuit B.Virgo, vel cœlitus demiſſa, dono prophetiæ,miraculorũ,

& aliis

& aliis id genus instructa, infirmitatis omnis humanæ expers, ut in ea emineret omne tum nobilitatis, tum sanctitatis privilegium?

Et hoc est πρῶτον Pontificiorum ψεῦδος, eminentem prorsus esse perfectionem & virginitatis, & virginum. Donum cõtinentiæ magnum esse fatemur, maximum vero negamus, & meritò cum Scriptura fidem, spem & charitatem ei præferimus. Imò tempore illo, quo B. Virgo vixit, non saltem ἀπαιδία in probro erat inter conjugatos, sed & status conjugalis præferebatur virginitati, eò quod liberorum procreatio pro singulari Dei benedictione haberetur. Et sanè encomium virginitatis singulare in V. Testamento nõ legimus, nec virginitatem tam ex corporum quàm animorum impollutione metiendam censemus. Apostolus Paulus quidẽ virginitatem statui cõjugali præferre videtur, 1.*Cor.* VII. sed non absolutè, verum conditionatè διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην. Sic τὸ καλὸν, & τὸ κρεῖττον ibîdem opponit Apostolus, non τοῦ κακοῦ, sed τοῦ δυσκόλου, non malo, sed ærumnoso, non honesto, sed utili. Et καλὸν nihil aliud ibi, quam τὸ συμφέρον, prout & Syrus habet τὸ פקח utile esse & conducens, ut *Phil.* 1. 23. Et sanè nihil per se perfectionis nec in virginitate, nec in matrimonio, sed utrumque metiendum ex legitimo ejus usu. Imò matrimonium certo respectu sanctius & sublimius, ob typum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, quem Apostolus ex hoc statu ducit. Et parum sibi constant Pontificii Doctores, in matrimonii probrum, virginitatem, cum *Hieronymo*, immodicis laudibus efferendo, cùm tamen matrimonium unum ex Sacramentis Ecclesiæ Christianæ esse velint, virginitatem non item.

XXII. Falsum verò etiam est fundamentum, quod substernunt Pontificii dogmati suo de voto Mariæ, annuntiationem videlicet Angelicam tum demum factam, postquam jam actu domum ducta à Iosepho fuisset Maria, adeoque verba ἄνδρα οὐ γινώσκω, in statu illo non posse non voti religionem indicare. Atqui Scriptura expresè docet Mariam tum temporis, cum Angelus ad eam accederet, μνηστευθεῖσαν quidem fuisse, non tamen γεγαμημένην, vel γαμηθεῖσαν desponsam, non domum ductam. Quasi verò nota non esset differentia harum vocum ex Etymologicis Græcis, & usu Authorum probatorum, qui distinguunt

μνηστεύειν & γαμεῖν, μνηστείαν & γάμον, λύσιν μνηστείας, & λύσιν γάμου. Vnde *Ius Græco-Romanum lib.* VIII. *cap.*33. περὶ μνηστείας: μνηστείαν, inquit, οἱ νομοθέται ὁρίζονται μνήμην καὶ ἐπαγγελίαν τῶν μελλόντων γάμων. Eadē distinctio apud Latinos inter *sponsalia & nuptias*, *despōsas & nuptas*. Nec duo hæc, & naturâ suâ, & ex usu Authorū probatorū distincta, cōfundi debēt. Et sanè distinctio hæc originē habet ab Hebræis, qui distinguunt inter בתולה מארשה לאיש παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρὶ; & inter אשה בעלת בעל γυναῖκα συνῳκισμένην ἀνδρὶ. *Deut.* XXII.22.23. Sic *Deut.* XX.7. distinctio manifesta inter τὸ ארש אשה μεμνήστευται γυναῖκα & inter לקחה ἔλαβεν αὐτὴν, quæ & *Matth.* I. occurrit, ubi, postquam Maria jam esset μνηστευθεῖσα, hortatur Angelus Iosephum παραλαβεῖν Μαριὰμ. Sic in Concilio *Ancyrano. Can.* XXIV. distinguitur μνηστὴ ἀπὸ τῆς γεγαμημένης. Idem solenne Græcis. Μνηστὴ *Budæo* idē quod καθωμολογημένη vel ἐγγεγυημένη in *Comment. ling. Gr.* Et *Plutarchus* distinguit καθωμολογημένην καὶ γαμεῖσθαι μέλλουσαν ἀπὸ τῆς γεγαμημένης. Sic aliud est ἐγγυᾶσθαι desponsam accipere, aliud γαμῆσαι, vel γυναῖκα λαβεῖν. Vide *Hottomanum* I C. CL. *in Comment. verb. Iuris*, qui, ex *Servio Sulpitio*, *Sponsalia* exponit, & docet fuisse contractum stipulationum sponsionumque inter sponsum & sponsam, & quia sæpe inter sponsalia & nuptias incidebant difficultates variæ, si post stipulationes illas uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur, *ex sponsu* agebat, h. e. actione ex spōsione natâ, adeoque distincta semper fuit μνηστείας & γάμων ratio. Quum ergo Maria μεμνηστευμένη quidem dicatur ante annuntiationem Angelicam, γεγαμημένη non item, falsum, eam jam actu copulatam Iosepho dixisse, ἄνδρα οὐ γινώσκω. Imò hæc omnia facta πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. Et locus eximius est apud *Chrysostomum*, qui providētiam divinam in eo miratur, quod non πρὸ τῆς μνηστείας Mariam concipere voluerit, nec μετὰ γάμον, illud, ut Iosephus testis esset castitatis B. Virginis; istud, ne conceptio filii Dei opus hominis esse putaretur. *Syrus* Interpres quinetiam, per diversa, reddit verba μνηστεύειν & γαμεῖν, prius per מכר *desponsare*, jus suum quasi vendere alii, posterius per נסב אנתתא *ducere uxorem.*

XXV. Quod urgent Pontificii ex *Luc* II.5. Mariam vocari μεμνηστευμένην, & tamen fuisse jam domum ductam à Iosepho, nihil eo causæ illorum accedit, cum non *Beza* solùm, sed & *Maldonatus* eandem rationem reddant, id ideò factum, eo quod Io-

ſephus, ab Angelo præmonitus, non ſecus abſtinuerit ab eâ, quã ſi nondum eam duxiſſet. Et ipſe *Maldonatus in cap.* II. Lucæ fatetur, *μεμνηστευμένην* eam propriè ſignificare quæ deſponſa & pacta in conjugium eſt, nondum tamen domum ducta. *Syrus* Interpres & hic retinet vocem מכירתא ſponſæ vel deſponſæ. Nec ſine gravi causâ id factum, ſed quia nullum aliud vinculum interceſſit unquam inter Ioſephum & Mariam præterquam deſponſationis, ob quam unà quidem ſemper vixiſſe videntur Ioſephus & Maria, abſque contubernio tori tamen. Cum ergo inſtar ſponſi & ſponſæ ſaltem, non inſtar mariti & uxoris ob reverentiam myſterii illius cohabitaverint, meritò nomen *μεμνηστευμένης* Mariæ adhuc tribuitur. Adde, quod non conſtet ex Scriptura, an jam tum domum ducta fuerit Maria, an verò non? ſive an nuptiarum ſolennia peracta fuerint, ubi negativa ſententia non diſplicet *Salmeroni.*

XXIV. Suprà etiam reſponſum fuit ad *ἔνστασιν* illam petitam ex nominibus *ἀνδρὸς* & *γυναικὸς*, quæ Ioſepho tribuuntur & Mariæ, loco *νυμφίου* & *νύμφης*, & oſtenſum ex Hebraiſmo uſitato hoc fieri, Sic *Deut.* XXII. 23. ille qui vitium obtulerat puellæ מארשה deſponſæ, ad mortem damnatur, ratione adjectâ, quia afflixerit את אשת רעהו uxorem proximi ſui. Vbi *Vatablus* in annotationibus ſuis inquit, eam intelligi quæ paulò poſt futura erat uxor proximi. Ergo puella, deſponſa ſaltem, jam uxor cenſebatur à fide primâ deſponſationis, & ob illam. Sic jus Græco-Romanum *lib.* VIII. *cap.* XXXIII. *ὁ μὲν Μωσαϊκὸς νόμος, ὡς γάμον, τὴν μνηστείαν ἐλογίζετο, καὶ ὁ τὴν ἄλλην μεμνηστευμένην φθείρων, ὡς μοιχὸς ἐκολάζετο καὶ ἐπειδὴ τὰ τῆς μνηστείας αὐτοῖς συνήρμοττε σύμβολα, καὶ γυναῖκα τὴν μνηστὴν προσηγόρευει.* Et addit disertè, *ὅτι ἡ ἁγία παρθένος γυνὴ τοῦ Ἰωσὴφ ἐχρημάτισε.* Sic in Novellâ Alexii Comneni *τὰ ἴσα δύναται τῷ τελείῳ γάμῳ σχεδὸν ἡ μνηστεία, ἅτε μετὰ ἱερᾶς καὶ αὕτη τελουμένη εὐχῆς, καὶ ἄλλως οὐ λύεται, εἰ μὴ καθ' οὓς τρόπους καὶ τὸ τέλειον διασπᾶται συνοικέσιον.* Sic *Chryſoſtomus*, *γυναῖκα τὴν μνηστὴν λέγει.* *Ambroſ. de inſtit. virg. cap.* VI. *Deſponſata viro conjugis nomen accepit.* Rationem addit *Ambroſius. Cum enim initiatur conjugium, tum conjugis nomen adſciſcitur.*

XXV. Leve etiam eſt argumentum, quod petunt ab anxietate Ioſephi in deſerendâ Mariâ, cum ei ſine ullâ religione illã dimittere licuerit, ut nondum domum ductam. Nihil enim ob-

ſtat, quominus hoc referamus ad fidem primam deſponſationis quam frangere temerè Ioſephus noluit; & tametſi divortium inter Ioſephum & Mariam intercedere non poterat, repudium tamen poterat, quia ad illud requiritur matrimonii conſummatio, ad hoc ſufficit ſola deſponſatio. Quam diſtinctionem *Beza* citat ex *Modeſtino* Iuriſconſulto, docente divortium inter virum & uxorem fieri, repudium verò ſponſæ remitti. An ergo mirum Ioſephum animi anxium fuiſſe, cum hæc illi ſuſpicio oboriretur, vitium virgini oblatum fuiſſe, & deſerendam ſibi illam, cui fidem dederat, & quam ſibi uxorem animo deſtinaverat? Imò cùm, ut paulò ante oſtenſum fuit, deſponſa jam habita fuerit pro uxore, annon potuit ſponſus dici ἀπολῦσαι, h.e. ἀφίεναι, illam cui fidem obſtrinxerat? Obſervant quidam ἀπολῦσαι dici de deſponſis ſaltem, ἀποπέμψασθαι vel ἐξαποςεῖλαι γυναῖκα de domum ductis, ſed id ſolidũ non eſt, cum *Matth.* XIX. 9. & *Marc.* X. 2. de jam domum ductis τὸ ἀπολῦσαι uſurpetur, ubi *Syrus* etiam promiſcuè habet τὸ שבק & τὸ שרא. Nec opus etiam, ut confugiamus ad ſolutionem aliorum, qui ex *Chryſoſtomo* arbitrantur, jam πρὸ γάμου ſponſam in ædibus ſponſi, ad explorationem ejus arctiorem, habitaſſe, parum enim probabile videtur, eundem larem incoluiſſe ſponſum & ſponſam, ante domi ductionem ſolennem ſponſæ per nuptias, nec id vel pudori ſponſæ, vel famæ & ſponſi & ſponſæ opportunum eſſe poterat. Et ſufficit fides in deſponſatione data ad explicationem τοῦ ἀπολῦσαι.

XXVI. Noſtrum quinetiam non eſt, Deo leges ullas præſcribere, quibus conſulendum fuerit, tum famæ, tum pudicîtiæ B. Virginis, nec cauſæ illæ apodicticæ, ob quas ex deſponſa Chriſtum naſci voluerit Deus, cum & aliæ graviores dentur, quas ſuprà commemoravimus. Certum eſt ex collatione, Scripturæ gravidam apparuiſſe Ioſepho Mariam, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, & antequam Ioſephus cœperit παραλαβεῖν Mariam, etſi peperiſſe dicatur in alio ſtatu. Imò tãtum abeſt ut hoc occultari debuerit per domi ductionem Mariæ, ut contra ſic obſcurata fuiſſet applicatio oraculi *Eſaiæ* de conceptu & partu virgineo, quod ipſum erat inter præcipua κριτήρια, de adventu Meſſiæ.

Authoritates Patrum ſigillatim examinare nihil attinet, quia

post Dei vocem, vox hominum exigui ponderis, & verò multi ex iis à partibus nostris in hac materiâ stant, ut suprà ostensum, alii nec sibi, nec aliis constant, vel sequiorum sunt seculorum quibus jam invaluerat superstitio. Optandum verò foret, *Pontificios* simul ac *Helvidianos* memores esse eximiorum verborum *Epiphanii*, quibus ille claudit *Hæresin* LXXVIII. nec nimio honore, nec contemptu B. Virginis, in Deum peccandum. πέρα τοῦ δέοντος, inquit, οὐ χρὴ τιμᾶν τοὺς ἁγίους, ἀλλὰ τὸν αὐτῶν δεσπότην, παυσάσθω τοίνυν ἡ πλάνη τῶν πεπλανημένων. οὔτε γὰρ θεὸς ἡ Μαρία, οὔτε ἀπ' οὐρανοῦ ἔχουσα τὸ σῶμα, ἀλλ' ἐκ συλλήψεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός, κατ' ἐπαγγελίαν δὲ, ὥσπερ ὁ Ἰσαὰκ, οἰκονομηθεῖσα. Καὶ μηδεὶς εἰς ὄνομα ταύτης προσφερέτω, ἑαυτοῦ γὰρ τὴν ψυχὴν ἀπολλύει, μήτε πάλιν ἐμπαροινείτω, ἐξυβρίζων τὴν ἁγίαν παρθένον. Quibus gravissimi Scriptoris verbis ex animo subscribimus, & simul furorem illorum aversamur, qui in Beatam filii Dei matrem sunt injurii, simul etiam superstitionem illorum deploramus, qui & S. Scripturæ, & verborum *Epiphanii* immemores, creaturæ tribuunt quod Creatoris est, & *cum animæ suæ*, quod notat *Epiphanius*, *jacturâ*, ei sacrificia quotidiana precum, & alia id genus, soli Deo debita, offerre pro præcipua pietatis parte ducunt.

DVBIVM XXIX.

Quî dicatur Maria inventa fuisse gravida ex Spiritu S. *Matth.* 1. 18. cum tamen postmodum demum id revelatum fuerit Iosepho, & Iosephus versu sequente adhuc de Mariâ deserendâ cogitasse legatur?

EXAMEN.

Occasio quæstionis. Triplex responsio & proponitur, & probatur.



HIc quoque reperit malignitas Iudaica, ubi dentem figeret, Evangelistam criminaretur, cúmque orationis confusæ & perturbati ordinis reum perageret. Sed facile nobis est Evangelistam à calumniâ, & verba ejus ab ἀκυρολογίᾳ omni vindica-

re. Solutionem *Dubii*, triplicem proponimus & facilem & commodam. 1. Responderi potest, commemorari istic loci conceptionem è Spiritu S. à Matthæo per πρόληψιν quæ frequens S. Scripturæ, æquè ac ὑστέρωσις ei opposita, ut cogitationes omnes carnales præcideret statim in limine, quibus & Mariæ pudor, & Iosephi castitas onerari potuisset. Et sanè quoad Iosephum, hîc πρόληψιν esse, id versus sequens clarè docet, siquidem enim Iosephus mysterium hoc jam compertum habuisset, nunquam ille in animũ induxisset Mariam deserere, tanti pignoris matrem. 2. Potest etiam dici absque προλήψει hoc commemorari, siquidem referatur ad Mariam, & parentes ejus, quibus dubio procul innotuerat salutatio, & declaratio Angelica *Luc* 1. 35. quæ anterior conceptione, adeóque hîc dicitur uterum ferre ex Spiritu Sancto, ut ostendatur complementum annuntiationis Angelicæ, *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te.* 3. Addi etiam potest, peccari *fall. compositionis* & dividenda conjũgi; τὸ εὑρέθη enim referendum solummodò ad verba ἐν γαστρὶ ἔχουσα, quod quidem promiscuè innotuit iis, qui circa Mariam versabantur, qui tumorem uteri agnoscere poterant, causam non item, de quâ constare non poterat, nisi ex revelatione. Hoc itaque ἐκ πνεύματος ἁγίου de suo adjecit Evangelista, ut inquit *Chrysostomus Homil.* 111. ad amovendas suspiciones. Supplendum itaque τοῦτο δ' ἦν ἐκ πνεύματος ἁγίου, vel τὸ δ' ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ut habetur *versu sequente*, ἦν ἐκ πνεύματος ἁγίου. Et sanè siquidem de hoc Iosepho constitisset, nec revelatione novâ opus ullo modo fuisset, nec Iosephus vocaretur δίκαιος qui de sponsâ innocente deserendâ cogitasset.

DUBIUM XXX.

Quî dicatur Maria uterum ferre ἐκ πνεύματος ἁγίου. *Matth.* 1.18. An inde sequatur vel Christum ex substantiâ Spiritus Sancti genitum fuisse, vel Spiritum S. dici posse Christi patrem?

EXAMEN

EXAMEN.

Causa Dubij propositi. Duplex Hæresis. Vis præpositionis ἐκ, *& Hebrææ* מִן. *Exempla. Solutio quæstionis utriusque. Rationes graves. Quæstio nova & proposita & discussa. Simile Veterum. Causa, cur Spiritui S. Conceptio Christi adscribatur.*

I. HOc Dubium duplici de causâ notandum 1. Quia, ut observat *Hieronymus*, jã olim fuêre Hæretici quidam, qui putarunt Christum genitum ex substantiâ Spiritus S. adeóque Spiritum S. Christi Patrem dicendum. 2. Quia *Anabaptistæ* fanatici superiori seculo contenderunt, Christum carnem suam è cœlo attulisse, & per B. Virginis uterum velut canalem quendam traduxisse. Sic *Basilius Tract. de Spir. S. ad Amphilochium cap.* 2. Hæreticos perstringit qui ex syllabarum aucupiis hæreses fabricabant, & contendebant τὸ ἐξ οὗ, τὴν ὕλην δηλοῦν, τὸ δὲ δι' οὗ, τὸ ὄργανον παριστᾶν, & utrumque tribui saltem κεχωρισμένοις κατὰ τὴν φύσιν πράγμασι.

II. *Augustinus lib. de natura boni cap.* XXVI. philosophatur in comparatione particularum *de* & *ex*, sed parum feliciter, & præter sensum & scopum hujus loci. Sufficiat notasse, utrúmque fanaticorum dogma falsum esse, & ortum ex παρερμηνείᾳ præpositionis ἐκ, quæ non saltem in S. Scripturâ designat *causam materialem*, sed & *efficientem* sæpe, interdum *principalem*, interdum *instrumentalem*, eâdem latitudine, quâ Hebræorum מִן cui respondet. Ponitur ergo quandóque loco ἀπὸ vel ὑπὸ in S. Codice. Loci paralleli crebri occurrunt: *Ioh.* III. 5. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν &c. Vbi manifestum, præpositionem ἐξ non designare *causam materialem*, sed *efficientem*, *principalem* respectu spiritus, *instrumentalem* respectu aquæ, ex sententiâ illorum, qui duo illa nomina ad diversa referunt, quamvis commodè etiam aliter explicari possit per ἓν διὰ δυοῖν, & καὶ sumi ἐξηγητικῶς ut *Matth.* XIII. 42. Sic *Col.* II. 8. διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Sic *Gen.* I. *in si-*

gna, tempora, & dies, & annos. LXX. Interpretes *Gen.* XXXVIII. 25.
verba הרה; אנוכי &c. לאיש reddunt ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, οὗτινος
ταῦτά ἐστιν, ἐγὼ ἐν γαστρὶ ἔχω, & v.24. הרה לזנונים vertunt, ἐν γα-
στρὶ ἔχει ἐκ πορνείας. Sic *Ioh.* VIII. 41. ἡμεῖς ἐκ πορνείας nati non ſu-
mus. Sic 1. *Ioh.* III. 8. Qui facit peccatum ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστὶν: Sic v.
9. πᾶν ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ &c. utique quemadmodum nec im-
pii ſunt ex, vel de ſubſtantiâ Diaboli, ſic nec pii ex ſubſtantiâ DEI, ſed ut illi corrupti à Diabolo, ſic hi regeniti & ſanctificati à DEO. Sic *Ioh.* VIII. 44. ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ &c. Sic v. 47. ὁ ὢν ἐκ τοῦ θεοῦ τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀκούει. *Rom.* XI. 36. ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα, id eſt, ὑπ᾽ αὐτοῦ vel ἀπ᾽ αὐτοῦ, per ἑτέρωσιν. Nihil aliud itaque hîc notatur, præter impletionem illius, quod ab Angelo reſponſum erat B. Virgini. *Luc.* 1. 35. de inumbratione Spiritus S. & miraculosâ tum ſanctificatione ſubſtantiæ B. Virginis ad hanc cōceptionē deſtinatæ divinitùs, tum formatione humanæ Chriſti naturæ, modo ineffabili, ex eâ: quaſi dicat Evangeliſta, quod conceperit Virgo, hoc factum virtute Spiritus Sancti. Sic etiam accipiendum τὸ ἐκ πνεύματος, verſu ſequente, δημιουργικῶς, non σπερματικῶς, διὰ δυνάμεως, οὐ διὰ συνουσίας, non ex ſubſtantiâ, ſed ex potentiâ Spiritus Sancti. Vnde *Ambroſius lib.* II. *de Spiritu S. cap.* 5. (*Tomo II.*) *Quod ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia eſt, aut ex poteſtate eius. Ex ſubſtantia, ſicut Filius qui ait: Ex ore altiſſimi prodivi &c. Ex poteſtate autem, ſicut illud eſt, unus* DEVS *Pater ex quo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto? Si quaſi ex ſubſtantia: Ergo Spiritus in carnem & oſſa converſus eſt. Non utique, ſi quaſi ex operatione, & poteſtate eius virgo concepit, quis neget Spiritum creatorem?*

III. Hinc ergo patet, nec dici debere, Chriſtum eſſe genitum ex ſubſtantiâ Spiritus S. nec Spiritum S. eſſe patrem Chriſti, nec Chriſtum carnem ſuam attuliſſe è cœlo. Non poteſt dici, Chriſtum eſſe ex ſubſtantiâ Spiritus Sancti, 1. Quia illius ſubſtantia immutabilis, apud quem, æquè ut apud Patrem luminum, non eſt ulla παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. 2. Quia abſurdum prorſus, conſtituere Spiritum cauſam materialem, naturæ corporeæ. 3. Quia Chriſtus ſic non eſſet ex ſemine Adæ, adeóque nec incarnatio ejus, nec ſatisfactio pro nobis. 4. Quia ſic non eſſet Filius nec Davidis, nec Abrahami, quod tamen ſuprà aſſertum. Vnde etiam patet, Spiritum S. non eſſe dicen-

dicendum Patrem Christi. 1. Quia titulus Patris prærequirit generationem ex substantiâ generantis. 2. Quia requirit generationem naturæ sibi similis. At neutrum hîc reperitur, neque enim Christus vel ex substantiâ Spiritus S. vel quoad naturam humanam Spiritui S. similis.

IV. Debuit verò Christus concipi ἐκ h.e. ὑπὸ, vel ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, quia erat opus virtute agente, & virtute non humanâ, sed divinâ. 1. Ex immundis enim genitus nec mundus esse potuisset *formaliter*, nec mundans *efficienter*. Vnde eandem quidem naturam communicatam habere debebat, sed modo communicationis diverso. 2. Debebat esse ut ἀμήτωρ secundum divinam naturam, sic ἀπάτωρ secundum humanam, vt plenè responderet typo Melchisedeci. Vnde antonomasticè vocatur semen mulieris *Gen.* III. partus virgineus *Esa.* VII. lapis è monte excisus absque manibus *Dan.* II. 3. Opus erat sanctificatione, & partis substantiæ B. Virginis ad fœtum hunc destinatæ, & totius fœtus, ut fieret nobis ἁγιασμὸς, 1. *Cor.* 1.30.

V. Hæc omnia opponenda furoribus *Manichæorum*, *Valentinianorum*, *Marcionitarum*, & *Cerdonianorum* veterum, recentium item *Anabaptistarum*, qui eandem cramben recoctam denuò produxerunt in *Colloquiis Francodalensi* & *Embdano*, quamvis ipsi inter se litigent de origine & materiâ naturæ Christi humanæ, & ut error erroris ferax est, & ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τ' ἄλλα ἕπεται secundum *Philosophum*, sic apud ipsos variæ & monstrosæ prorsus, super hâc re, opiniones succreverunt veritate reiectâ. Pro qua tamen militat & Scriptura S. & recta ratio. *Scriptura* quidem, quæ docet Messiam debuisse esse *semen mulieris*, *conceptum Virginis*, *semen Abrahæ*, *participem carnis & sanguinis*, *prodire è visceribus & lumbis Davidis*, esse *fructum ventris vel uteri* B. Virginis, *fieri ex muliere*. *Gen.* III. *Es.* VII. *Heb.* II. *Gal.* IV. Vnde non saltem hîc dicitur de Christo, τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, sed & *Lucæ* 1.35. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ, quod *Beza* probat ex Codicibus veteribus, ex editione *Complutensi*, ex *Epiphanio* & *Athanasio*. ὁ Γαβριὴλ ἀσφαλῶς εὐηγγελίζετο τῇ Μαρίᾳ λέγων, οὐχ ἁπλῶς, τὸ γεννώμενον ἐν σοί, ἵνα μὴ ἔξωθεν ἐπεισαγόμενον αὐτοῦ σῶμα νομισθείη, ἀλλ' ἐκ σοῦ, ἵνα φύσει τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς εἶναι πιστευθείη. Hoc *Syrus* etiam disertè habet דמתילד מנכי, quod nascitur *ex te*. Sic *Ambrosius lib.* II. *de Spir. Sanct. cap.* V. & *Author. Op. Imperf. in Matth.* legunt

Matth. 1.20. *quod enim ex eâ naſcetur.* Idem habet verſio *Æthiopica*, referente *Ludovico de Dieu*, & verſio Hebræa Evangelii Matthæi ex editione *Merceri* מה שיולד ממנה. Accedit his ratio evidens, quod enim non aſſumpſit Chriſtus, illud nec redemit, adeoque ſine aſſumptione carnis ex ſubſtantiâ B. Virginis, nec ſe nobis univiſſet, nec nos ſibi, ac proinde nec incarnationis illius, nec ſatisfactionis fructus ad nos rediret.

VI. Sed *quæri* adhuc poteſt, annon & Pater formaverit humanam Chriſti naturam, & ipſe Chriſtus, cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa? Reſpondendum illa utique indiviſa eſſe, & dici debere 1. Reſpectu principii agentis. 2. Reſpectu ἀποτελέσματος producti, quorum utrumque commune, hoc tamen non obſtare quominus diſtinguantur tum *operandi ordine*, tum *terminis operationis*. Notum enim *ordinem operandi* reſpondere ordini exiſtendi. *Termini* etiam ſunt diverſi, quoties operatio aliqua terminatur ad aliquam ex tribus perſonis. Hûc applicârunt Veteres quidam ſimile de veſte contextâ à tribus puellis, & uni ex illis aptatâ. Spiritui verò ſancto hoc opus peculiariter adſcriptum. 1. Quia eſt opus fœcundationis quale *Geneſ.* 1. 2. Quia ſic & ſanctificatio ſubſtantiæ B. Virginis, & ſanctificatio Chriſti evidentior. 3. Quia ſic eadem generationis Chriſti, quæ regenerationis noſtri cauſa.

DVBIVM XXXI.

Quo ſenſu Ioſephus vocetur δίκαιος? *Matth.* 1. 19. & quomodo cohæreant verba Evangeliſtæ, Ioſephum fuiſſe iuſtum, & tamen noluiſſe Virginem παραδειγματίσαι?

EXAMEN.

Dubii primi ſolutio. Enucleatio vocum δικαίου, δικαιοσύνης, צדיק, צדק, צדקה, תמים, תם, τελείου, τελειότητος. *Dubii ſecundi cauſa. Solutio prima ſecundi Dubii. Ejus confutatio. Vis verbi* παραδειγματίσαι. *Solutio ſecun-*

ſecunda. Ejus confutatio. Solutio tertia Salmeronis. Authoritates & rationes pro eâ. Confutatio ſolutionis tertiæ. Rationes. Ενςάσεις *Salmeronis. Earum confutatio. Reſponſio ad rationes Salmeronis. Errores ejus varii. Ianſenius laudatus. Solutio vera Dubii ſecundi. Quî Ioſephus juſtus Patribus? Maldonatus notatus.* Ενςάσεις *variæ & propoſitæ & diſcuſſæ. Locus Levit.* V. I. *expoſitus & vindicatus.*

I. PRIMUM *Dubium* quod attinet, notandum δίκαιον in *concreto*, & δικαιοσύνην in *abstracto*, eſſe voces πολυσήμους, & variè accipi, 1. *philoſophicè*, 2. *Theologicè Philoſophicè* δικαιοσύνη ſumitur itidem πλεοναχῶς ſecundum *Ariſtotelem lib.* V. *Ethic. vel in univerſali*, pro complexu omnium virtutum, vel in *particulari*, pro virtute quæ tum in diſtributione, tum in commutatione rerum juſtam ſervat æqualitatem, per quam unicuique tribuitur, id quod ei debetur. *Theologicè* etiam, ut varia alia ſignificata prætermittamus, ſumi poteſt, vel *Legaliter*, vel *Evangelicè: Legaliter* pro obedientiâ perfectâ, & ſanctitate omnibus numeris abſolutâ, reſpondente τῷ ἀκριβοδικαίῳ Legis, quod exigit immunitatem ab omni peccato. Hoc ſenſu Chriſtus *antonomaſticè* ὁ δίκαιος vocatur à Stephano *Act.* VII. 52. *Evangelicè* pro integritate, ſinceritate, & obedientiâ inchoatâ.

In *hypotheſi* verò dicendum, hîc nomen δικαίε Ioſepho tribui nec *Philoſophicè*, nec *Theologicè* ſenſu priori, ſed poſteriori ſaltem, & ſic ex Hebraiſmo, צדיק δίκαιος idem eſt quod ἐπιεικὴς ἤθεσι, πιςὸς, ἀληθὴς, εὐσεβὴς, prout redditur ſæpè à LXX. Interpretibus. Sic & abſtractum צדק & צדקה iidem reddunt ſæpe per ἔλεος & ἐλεημοσύνην. Hinc Syris & Chaldæis צדקתא eleemoſynam deſignat, ut quæ non actus ſaltem miſericordiæ, ſed & juſtitiæ eſt. Vnde non vexandæ ſunt hæ voces, nec ex nomine δικαίε tributo Ioſepho, omnimoda inferenda perfectio, ſed ſaltem probitas ejus, vel æquanimitas. Sic *Chryſoſtomus* δίκαιος τῦτ' ἐςι

χρηςὸς & ἐπιεικής. Quod & *Iansenius* fatetur, Iosephum justum vocari inquiens, h.e. *bonum*, quod nollet traducere uxorem: Et paulò post, hoc titulo mansuetudinem & lenitatem ejus designari. Et ineptiunt prorsus *Pontificii*, qui elogia ejusmodi promiscuè ad justitiam inhærentem omnibus numeris absolutam trahunt. Sic alibi abutuntur voce τελείε & τελειότητος, cum tamē ex Hebraismo תום abstractum & תמים ac תם concreta sinceritatem saltem plerúnque designent, non verò perfectionem omnimodam. Et sanè vox τελειότητος implicitè includit imperfectionem, si etymologia ejus urgeatur, quod enim τέλειον est, finitum est, quod finitum est, imperfectum est. Tametsi per ἀνθρωποπάθειαν ipse Deus in sacrâ Scripturâ τέλειος vocetur *Matth.* v.48. Respondet ergo Hebræo תם vel תמים quod LXX. vertunt interdum ἄπλαςον, ἀληθινὸν, ὁλόκληρον, etsi etiam aliquando ἄμωμον & ἄμεμπτον. *Author quæst. ad Orthod.* quæ extant in Oper. Iustini in solutione *quæst.* CXLI. egregiè distinguit inter τὸ ἄμεμπτον & τὸ ἀναμάρτητον, ὁ μὲ γὸ ἀναμάρτητος, inquit, ἐκ παντὸς & ἄμεμπτος, ἐκέτι ἢ ὁ ἄμεμπτος ἐξ ἀνάγκης ἢ ἀναμάρτητος ἐςὶν, & concludit unum Christum ἀναμάρτητον dici. Non improbamus ergo laudes varias, quas in Iosephum congerunt Interpretes Pontificii, castitatem, fidem, patientiam, obediētiam, humilitatem, & alias id genus virtutes ejus ex tollendo, modò fateantur, illas probitatem & sinceritatem Iosephi arguere, perfectionem omnimodam & justitiam legalem non item.

II. Vocibus ita explicatis, Quæstio proposita necti potest, quî consistat actio Iosephi cum titulo, qui illi tribuitur à Matthæo: sive enim ei notum, sive ignotum statuamus mysterium conceptus Virginis ex Spiritu Sancto, injustus fuisse videtur Iosephus: si notum, cur cogitat de deserendâ conjuge insonte? cur non potius honori sibi ducit, conversari cum Virgine adeò insigniter κεχαριτωμένῃ? Si ignotum, viri justi erat non deserere conjugem clàm, sed fornicationem imò adulterium admissum ad superiores deferre, ut secundum Legem de reâ statueretur. Sic *Theophylactus*, πῶς ἦν δίκαιος ὁ Ιωσὴφ, ὅπου τε νόμε κελεύοντος τὴν μοιχαλίδα παραδειγματίζεσθαι, τετέςι φανερȣ̃σθαι ἢ κολάζεσθαι, αὐτὸς ἔμελλε συσκιάσαι τὸ ἁμάρτημα, ἢ παραβιῶναι τὸν νόμον. Hunc nodum varii variè incidunt.

Quidam

III. Quidam Versionem vulgatam secuti contendunt, τὸ *traducere* significare domum ducere, & uxoris loco habere, adeoque Iosephum eo ipso justum se ostendisse, quod noluerit mulierem fornicariam, vel adulteram domum ducere. Sed reverâ hoc futile prorsus & ineptum, ex ignorantiâ textus Græci ortum. Notum enim τὸ παραδειγματίσαι alium prorsus sensum habere, & æquipollere τῷ ἐνδείζειν, φανερῶσαι, ἐξαγορεῦσαι, sed in partem sequiorem, quod Doctissimus Interpres *Beza* prolixè exequitur. Et talis est significatio verbi, פרסי quod apud *Syrum* interpretem ei respondet. Sic *Theophylactus* παραδειγματίζεσθαι τουτέστιν φανερoῦσθαι καὶ κολάζεσθαι. Sic *Num.* XXV. 4. τῷ הוקע *suspende* respondet apud LXX. verbum παραδειγμάτισον, posito *consequente* pro *antecedente*. Vnde hîc quoque notat vel prostitutionem ad supplicium & infamiam conjunctim, vel prostitutionem ad infamiam saltem. *Coloss.* II. 15. habetur simplex δειγματίζειν, quod apud Græcos est θεατρίζειν, cujus passivum occurrit *Hebr.* X. 33. Apud LXX. etiam τὸ παραδειγματίζειν in sequiorem partem acceptum respondet verbo הםם, quod aliâs illis est ἀδικεῖν, ἀθετεῖν, ἀσεβεῖν. Vide *Ierem.* XIII. 22. Παραδειγματίζειν ergo est θεατρίζειν, ערה in *Pihel* vel גדף etiam. Proinde molliùs æquo hoc verbum redditur per simplex מסר in Evangelio Hebræo *Munsteri*, utpote quod in bonam partem etiam potest accipi, παραδειγματίζειν non item. Meliùs longè, & significantius alterum à *Mercero* publicatum habet, loco verborum, μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, לא אבה למסור אותה למיתה ולא לגלותה *non voluit tradere eam ad mortem, nec prostituere.* *Hebr.* VI. 6. participium activum παραδειγματίζοντες redditur à *Syro* per futurum *Pahel* verbi צער, quod est, dolore vel contumelia afficere, & reperitur etiam *Luc.* XVIII. 33. ut præteritum ejus. *Matth.* XXII. 6.

IV. *Alii* putârunt, inter quos *Chrysostomus Homil.* IV. in *Matth.* posterioris tantùm membri causâ hîc Iosephum δίκαιον vocari, eò quod nollet cohabitare cum adulterâ, quod nomen sponsæ fornicariæ incumbebat ex Lege, siquidem post desponsationem ab alio constuprata fuerat, imò Iosephum eo ipso justum fuisse, quod cogitârit de eâ deserendâ. Atqui sanè δικαίου elogium Iosepho utroque nomine assignari videtur, & quod nollet eam παραδειγματίσαι, & quod vellet eam ἀπολῦσαι, nec quicquam causæ est, cur hæc discerpamus. Adde quod opponi

adhuc posset, privatas quidem offensas dimitti aliis, & silentio tegi posse, publicas non item, & quæ ad Legis divinæ executionem, & ad exemplum pertinebant. Tale verò erat crimen adulterii: Vnde parum justus videtur Iosephus, qui id tectum & dissimulatum voluerit.

V. *Alii* arbitrantur optimè hæc posse inter se conciliari, siquidem observemus in eo Iosephi justitiam cõsistere, quod cum non ignoraret mysterium conceptionis miraculosæ B. Virginis ex Spir. S. judicârit se indignum illius consuetudine, adeóque cogitârit de eâ deserendâ, ne DEVS offenderetur familiari illius cum virgine conversatione, Iustitiæ enim esse suum cuique tribuere, agnoscere indignitatem suam, & dignitatem aliorum. Hûc trahunt exempla humilitatis similia tum Centurionis *Matth.* VIII. tum Petri *Luc.* V. quorum ille deprecatus fuit Christi accessum, hic recessum precatus, uterque ex agnitione suæ indignitatis. Pro hâc sententiâ militare videntur, & authoritates & rationes variæ, quas congerit *Salmero Tract.* XXX. Authoritates quidem *Origenis*, *Basilii*, *Theophylacti*, *Bernhardi*, *Rhemigii* & aliorum. Rationes adduntur hæ, 1. quod ante cogitationem de dimittendâ Mariâ jam dictum fuerit, illam fuisse gravidam ex Spiritu S. 2. Quod tumor uteri non potuerit esse sufficiens argumentum ad infamandam B. Virginem, ut qui ex variis causis sæpe oriatur. 3. Quod Iosephi, ut viri probi, fuerit inquirere in causam hujus tumoris ex ipsâ B. Virgine, & sic ex ea discere, quæ & anxietati suæ, & honori Virginis cõsuluissent. 4. Quod miracula varia tum in nativitate, tum in præsentatione B. Virginis in Templo sanctitatem ejus satis superque commendarint, quibus addit *Salmero* cõjecturas varias, vitium B. Virgini adferri non potuisse, nec ante salutationem Elisabethæ, nec post, nec definiri posse ubi tantũ facinus patratũ fuerit. 5. Quod Iosepho compertum fuerit votum B. Virginis de perpetua virginitate servanda, idque illa insigni semper vitæ sanctimoniâ testata fuerit. 6. Quod nec viri justi, nec boni sit, judicare re non comperta & explorata, damnare sine expostulatione antecedente, damnatam non punire, nec puniri velle quam lex damnat, sed sacrilegam impunem dimittere. 7. Quod impiè prorsus, ac sine ulla misericordia acturus fuisset Iosephus dimittendo vxorem absque libello repudii, contra

tra Legis mandatum, in quo si voluisset causam exponere, ut Lege tenebatur, & coram testibus, ut mos erat, ne confictus liber posset existimari, quomodo verum, Iosephum illam noluisse traducere? si causam tacuisset, quomodo non se ipsum traducendũ exposuisset, qui sine ratione despõsam sibi puellam deserere in animum induxisset? 8. Quod Angelus non dixerit Iosepho, *noli suspicari*, *sed noli timere*, prius verò dicturum fuisse, non posterius, si suspicio adulterii animo illius insedisset: timorem ergo reverentiæ plenum, non autem adulterii suspicionem causam fuisse dimittendæ uxoris. 9. Quod non ignoraverint Iudæi, adeóque nec Iosephus, ut filius David, & fidelis, vaticinia de Virgine Messiam pariturâ brevi fore complenda. 10. Quod non repugnârit æquitati ullo modo, habitare cum uxore adulterâ, modò id foret ad corrigendum errantem. 11. Quod non videatur verisimile, Mariam celasse hoc mysterium sponso suo, quod tamen Elisabetæ aperuit. 12. Quod Iosephus ab Angelo non fuerit reprehensus, ut Abraham de risu Saræ, Thomas & discipuli de incredulitate, & tarditate fidei. 13. Quod sententia contraria cedat in injuriam B. Virginis, in dedecus Iosephi, & in ignominiam Christi, cum pars gloriæ ejus sit, habere matrem gloriosam, & patrem putativum pium, prudentem & gloriosum.

VI. Sed sine causâ tot fluctus excitat in simpulo *Salmero*: Interpretatio enim hæc coacta prorsus, & aliena à mente Spiritus S. & *Maldonatus* fatetur eam huic loco non convenire. 1. Quia repugnat verbis sequentibus, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι. Excipit *Salmero*, satis Iosephum traducturum fuisse B. Virginem, vel ante tempus rem evulgando, & sic eam ludibrio exponendo, vel manendo cum eâ, ut videretur ex congressu mutuo cognita & corrupta. *Resp.* 1. alienum hoc prorsus à significatione τοῦ παραδειγματίσαι, quod non potest non in sequiorem partem de infamatione, vel prostitutione ad infamiam publicam exponi: evulgatio verò Mysterii hujus non ad infamiam B. Virginis, sed ad honorem & gloriam ejus pertinebat, poterat enim virginitatem suam satis supérque testari, & ad oraculum Esaiæ, simul ac salutationem Angelicam provocare. Sic & alteram suspicionis sinistræ causam facile poterat amoliri, conversationem nimirum cum Iosepho. 2. Siquidem *Salmeronis* sententia locum

habeat, quid opus fuiſſet ſubjectâ Angeli admonitione, id quod in Maria genitũ foret, ex Spiritu Sãcto eſſe? ubi tacita cõnotatur antitheſis, id nõ eſſe ex homine, ut ille ſuſpicabatur. Si verò id jã compertum erat Ioſepho, ſupervacanea fuiſſet hæc monitio: unde evidens, cauſam anxietatis Ioſephi aliam non fuiſſe, præterquam ignorationem hujus myſterii, & ſuſpicionem violati pudoris. Excipit *Salmero*, ſenſum eſſe, ne timeas accipere eam in conjugem tuam ob hanc cauſam, eo quod illud, quod natum eſt in eâ, ex Spiritu S. ſit, ſed cognoſce in hac re neceſſariam eſſe operam tuam, ut ei officia Patris exhibeas. Hanc interpretationem attribuit *Salmero Theophylacto* in *cap.1.Matth.* & inquit, γὰρ illud eſſe aſſerentis, & confirmantis id quod Ioſephus jam conjecerat, & adjici, (*ne metuito*) q.d. vtique ſanè, quod in eâ natum eſt, ex Spiritu S. eſt, ſed ob id noli timere, nec illam relinquere, ſed potius illam aſſume, pariet enim *Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum*, h.e. pater eris in omnibus, præterquam in copulâ conjugali, quam ſuppleuit Spiritus S. per unum enim actum imponẽdi nomen ſignificari integrum officium paternum. Nec durum videri debere, diſiuncta componere, cum non minus durum ſit conjuncta dividere, ut in ſuperioribus verba, *Inventa eſt in utero habẽs, à verbis de Spiritu Sancto.* Sed & hæc exceptio *Salmeronis* ingenioſa quidem, violenta tamen, & detorta, & ſolâ inſpectione Textus græci ſatis ſupérque revincitur, ex quâ evidens eſt, Angeli ſermonem ad Ioſephum bimembrem eſſe, & habere tum *hortationem*, tum *rationem* hortationis. *Hortatio* proponitur his verbis μὴ φοβηθῇς. *Ratio* his, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματος ἐστιν ἁγίου, quæ neceſſariò præſupponunt ſuſpicionem contrarii, quod & *Syrus* optimè expreſſit. 2. Falſum etiam γὰρ eſſe confirmantis, id quod compertum jam erat Ioſepho, quod ſupponitur, non probatur, imò potius eſt indicantis id quod ei erat incompertum. 3. Falſum etiam ſuſpicionem Ioſephi ex eo ortam, quod ipſi permitteretur B. Virginem vxorem accipere, cauſa enim ſuſpicionis *verſu* 18. proponitur clarè, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα. 4. Cæteroquin Angelum Ioſephum hortari concedimus, ne deſerat B. Virginem, eò quod mariti & patris officia, citra copulam conjugalem, & conjugi & ſoboli præſtare deberet, ſed ex eo nihil prorſus accedit ſententiæ *Salmeronis.* 5. *Elenchus* etiam *parium* in exemplo disjunctionis conjuncto-

junctorum admittitur, ex v.18. Adde, ſine disjunctione optimè verba illa intelligi poſſe, Evãgeliſtam nimirum narrare id quod reverâ erat, & quod tale videbatur & Mariæ, & aliis quibus illa myſterium illud revelaverat.

VII. Firmamenta *Salmeronis* ab *authoritate & rationibus* petita, levia ſunt, & parum ſolida. *Authoritates* quod attinet, prætterquam quod humana vox in divinis nec cogit, nec urget, Patribus his alios magno numero opponere poſſemus, ſi id res exigeret, qui hîc in alia omnia eunt. Exempla etiam ex Scriptura S. ἐξαγώνια, quia ibi conſtat ex Textu, illa humilitatis & reverentiæ profeſſionem continere, hîc non item. Ad *Rationes Salmeronis* reſpondemus. *Ad* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, ſupponi enim, non probari, non tumorem ſaltem uteri B. Virginis, ſed & cauſam ejus, conceptum videlicet ex Spiritu S. jam prius Ioſepho innotuiſſe. *Ad* 2. tumorem uteri conjecturæ & ſuſpicioni ſatis gravi, in puellâ maturâ, occaſionem præbere quæ & viri probi animum ſolicitare queat. *Ad* 3. Bonorum virorum ſæpe eſſe de jure ſuo potius remittere, quàm eorum confeſſionem extorquere, quæ ſine pudore dici nequeunt, adeoque maluiſſe in eo Ioſephum & ſibi, & Mariæ parcere. *Ad* 4. Miracula à *Salmerone* indicata, notha eſſe, non nota, ὑποβολιμαῖα, non γνήσια; de tempore etiam ingravidationis fruſtrà diſceptari, nec enim Ioſephum ſemper adfuiſſe Virgini, vel dici poſſe, ſuſpicatum Ioſephum, vitium Virgini allatum fuiſſe ante deſponſationem. *Ad* 5. Sanctimoniam B. Virginis compertam quidem fuiſſe Ioſepho, votum non item, quod eſt πρῶτον ψεῦδος Pontificiorum. Nihil verò obſtare, quominus ſigno ejuſmodi probabili apparente, quale erat tumor uteri in Maria, & probæ puellæ fama ac pudor in ſuſpicionem adduceretur. *Ad* 6. Viros probos etiam pronos eſſe interdum in ſuſpiciones, nec ſemper τὸ ἀκριβοδίκαιον urgere, imò nec Ioſephum hîc ab omni culpâ liberandum, virorum bonorum utique judicia ſæpe eſſe præjudicia, & opiniones anticipatas. Imò hinc etiam inferri debere δικαίου nomen non omnimodam in Ioſepho juſtitiam deſignare. Adde, *Sacrilegam* B. Virginem non magis futuram fuiſſe, ac alias, tametſi ſupponeretur eam vitium paſſam fuiſſe, quod tamē falſiſſimum, & cujus contrarium certiſſimum, & neceſſarium planè, quia hoc nominis ſupponit votum virginitatis nuncupa-

tum,quod commentitium. Imò tum demum ſponſam pœnæ adulterii ex Lege obnoxiam fuiſſe,ſiquidem ſe proſtituiſſet fornicario poſt ſponſalia. *Ad* 7. Maluiſſe Ioſephum clàm deſerere B.Virginem,quam id facere libello repudii dato, ne evulgaretur cauſa deſertionis, adeóque maluiſſe ſibi, quod viri probi, notam adſpergi,quam ſe cum infamiâ Virginis à ſuſpicione omni liberari. Addendum etiam,falli *Salmeronem*, ſtatuentem, in libellis repudiorum cauſas dimiſſarum uxorum exponi ſolitas fuiſſe,quod falſum eſſe & formulæ libellorum repudii à *Vatablo, Munſtero, Buxtorffio*, & aliis, ex Iudæorum ritualibus excerptæ docent,& ipſi Ieſuitæ fatentur. Vide *Lorinum* in *cap.* XXI. *Levit.* qui ibidem inquit, *In quo libello non oportebat, ac etiam non ita ſolebat cauſa exprimi, cum dimiſſam quandoque alius duceret, quod vix expreſsâ causâ faceret.* Imò ſupponitur, non probatur, Libellum repudii vel divortii inter ſponſos locum habuiſſe, cum contra mos ille conjugatorum ſaltem fuiſſe videatur poſt copulationem. *Ad* 8. Angeli verba optimè quadrare,ſive referâtur ad ſtudiũ honeſtatis & famæ integræ, ſive ad ſtudiũ legis divinæ quo ducebatur Ioſephus, meritò eum metuiſſe cohabitare cum uxore vel fornicariâ,vel adulterâ etiam, unde Angelus ad ſcrupulum utrumque ei eximendum ſubjecit, μὴ φοβηθῇς, &c. *Ad* 9. Non ignoraſſe quidem Ioſephum, & pios inter Iudæos, & promiſſionem de Meſſiâ naſcituro ex virgine,& inſtare ejus complementum,ignoraſſe tamen individuum illud,quod ad tantum myſterium à Deo ſelectum & deſtinatum foret. Nec temerè, & ſine revelatione de ullâ virgine præſumi potuiſſe, oraculum in eâ complendum fore. *Ad* 10. Non quidem illicitum fuiſſe cohabitare cum uxore fornicariâ eo fine, id tamen parum honeſtum viſum pleriſque ne viderentur approbaſſe flagitia uxorum, vel parum ſoliciti eſſe de famâ ſuâ, & ſuorum, è quorum numero nihil obſtat Ioſephum etiam fuiſſe. *Ad* 11. Mariam hoc myſterium non indicaſſe Ioſepho,ne minus ſibi fidei adhiberetur in re adeò ſingulari & miraculoſâ,ſed totum negotium Deo commiſiſſe,à quo maluerit ſponſum eâ de re, quam à ſe edoceri. Innuit hoc *Chryſoſtomus Homil.* IV. οὐ γὰρ ἐνόμιζε, inquit, πιστεύεσθαι παρὰ τοῦ μνηστῆρος, πρᾶγμα ἀπαγγέλλουσα ξένον, ἀλλὰ καὶ παροξυνεῖν μᾶλλον αὐτὸν, ὡς ἁμάρτημα γεγενημένον συσκιάζουσα. Dici etiam poteſt,fortè B.Virginem in animo habuiſſe id cum tempore Io-

pore Iosepho aperiẽdi, necdum putasse tumorem uteri sui ei innotuisse, adeoque nondum necessariam esse Apologiam pro pudore suo. *Ad* 12. Iosephum non fuisse reprehensum ab Angelo, eò quod gravis satis causa suspicionis subesset, antequam de hoc mysterio edoceretur, qualis non reperitur in exemplis allatis. *Ad* 13. Tantum abesse ut suspicio Iosephi cedat in dedecus vel Christi, vel B. Virginis, ut contrà providentia divina dubitationis hujus æstu Iosephum agitari passa fuerit, *ut sic angelicæ confirmationi locus fieret, & per dubitationem Iosephi omnis à mentibus nostris dubitatio tolleretur*, ut benè *Iansenius*, qui addit: *Convenienter Evangelistam in confirmationem virginei conceptus inducere Iosephum de conceptu illo prius dubitantem*, & *deinde Angelicâ revelatione confirmatum*, quod pluribus ibidem exequitur. Idem inquit, *non conveniens fuisse, ut ab Angelo ante conceptum edoceretur mysterium virginei conceptus, quandoquidem per illius dubitationem, major facta sit fides novi conceptus.*

Certum ergo, Iosephum dubitasse de castitate B. Virginis, & ideò eam dimittere voluisse, quam opinionem *Salmero Tract.* XXX. fatetur esse communiorem, & in eâ sententiâ fuisse *Iustinum Martyrem in Dial.* cum Tryphone Iudæo, qui inquit expresse *pag.* 236. *Edit. Commelin. de Iosepho*, Ἰωσὴφ δὲ, ὁ τὴν Μαρίαν μεμνηστευμένος, βουληθεὶς πρότερον ἐκβαλεῖν τὴν μνηστὴν αὐτῷ Μαριάμ, νομίζων ἐγκυμονεῖν αὐτὴν ἀπὸ συνουσίας ἀνδρὸς, τουτέστιν ἀπὸ πορνείας. Quæ & *Augustini* sententia fuit *Epist.* LIV. *ad Macedonium* & *Serm.* XIV. *de natali Domini*. Item *Serm.* XVI. *de verbis Domini*. Adde *Chrysostomum Hom.* IV. *in Matth.* Tomo II. *Auct. operis imperfecti in Matth.* Tomo eodem. *Hilarium Can.* I. *in Matthæum* & alios id genus. Dubium verò Iosephi optimè consistere posse cum titulo justi, qui ei attribuitur, fatetur *Maldonatus* inquiens, *hæc verba* (& nollet eam traducere) *apposita videri* ἐξηγητικῶς, *q.d. quia erat vir justus, ideoque nolebat eam traducere, cæpit aliam dimittendi rationem honorabiliorem cogitare*: Legem enim adulteram quidem dimittere permisisse, non jussisse, quod verum, ut nec legem de zelotypiâ imperii fuisse, sed permissionis saltem. *Num.* V. II. Iosephum quidem potuisse illam traducere, sed non debuisse, quia majoris fuerit charitatis occultam dimittere. Vbi etiam *Maldonatus*, *Iustum* vocari inquit Iosephum, h.e. *omni virtutum genere cumulatum* ex *Chrysostomo*, vel *magnâ charitate præditum*, no-

luiſſe ergo eum facere, quod juſtitia una privata virtus permittebat, ſed quod charitas omnium virtutum regina poſtulabat. Idem credibilius arbitratur, Ioſephum voluntarium in aliam regionem ſeceſſum cogitaſſe ut per ſpeciem peregrinationis illam dimitteret, ut non vitio aliquo repudiaſſe, ſed neceſſitate deſeruiſſe videretur. Et hoc inquit ſignificari per τὸ λάθρα, & τὸ ἀπολῦσαι.

Ex his ſatis ſupérque liquet, optimè verba Matthæi inter ſe cohærere, nec juſtitiæ, h.e. probitati Ioſephi obſtare, quod noluerit B. Virginē παραδειγματίσαι, ſed de eâ clam deſerendâ cogitârit, uſque dum de myſterio hoc ſingulari edoceretur ab Angelo. Imò quid obſtabat, quominus de ineundo clàm cum parentibus Mariæ conſilio, & de ea deſerendâ cum illorum conſenſu, cogitaret, oſtenſo vitio quod ſuſpicabatur? Dabantur etiam variæ aliæ cauſæ repudii, poterat leviorem producere, præſertim cum matrimoniū nondum eſſet conſūmatum. Et ſanè, ſiquidem Ioſephus Mariam deſeruiſſet, clàm, nullâ indicatâ causâ, ut vult *Maldonatus*, crimen ſuum feciſſet, & levitatis notam ſibi inuſſiſſet. Non negandum quidem, viros bonos interdum malle ſibi impingi culpam, quam aliis, ſed & hoc non negandum, ubi poteſt ſponſio aliqua reſcindi ſine utriuſque infamiâ, hanc viam eſſe præferendam. Parum ergo credibile, quod *Maldonatus* ſupponit, Ioſephum perpetuum ſibi è patria voluiſſe indicere exilium, ut ſic ſpecie peregrinationis diuturnioris, & abſentiæ involuntariæ, deſertionem Virginis velaret. Quid obſtabat etiam, quominus Ioſephus ſuſpicari poſſet vitium allatum Mariæ ante ſponſalia, adeoque non temerè illam ad Iudices eſſe deferendam æquè, ac ſi poſt fidem datam ſe proſtituiſſet? Imò cum Ioſephus ex eâdem familia oriundus eſſet, noluit παραδειγματίσαι ſponſam ſuam, eò quod adulteræ accuſatio & ſupplicium toti familię probroſum eſſet, quippe quæ ad oſtium domus paternæ adduci, & cum totius familiæ infamiâ ibi lapidibus obrui ſolebat, *Deut*. XXII. cui periculo Mariam, vel ſe, & ſuos probro exponere noluit. Mediam ergo viam, deſertionis videlicet clandeſtinæ, ſibi deligendam putavit, ut probitati ſuæ, & amori, quo ſponſam erat complexus, maximè convenientem & ſic & ſibi conſuleret, ne cum adulterâ cohabitaret, & ſponſæ,

ne illa

ne illa in capitis diſcrimẽ adduceretur, & toti familię ſuæ, ne illa probro exponeretur.

VIII. Poſſet tamen adhuc objici *Lev.* v. 1. eum complicem peccati & reum ſtatui, qui non indicaverit crimen, cujus conſcius eſt. Sic & *Hieronymus* docet in lege præceptum eſſe, non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum, obnoxios eſſe peccato, adeoque quî δίκαιος dicetur Ioſephus, quod noluerit παραδειγματίσαι ſponſam, quam ſuſpicabatur corruptam, cum eo ipſo injuſtus videatur, quod id officij prætermiſerit? *Reſpõderi* poteſt, 1. ſecũdũ *paraphraſin Chaldæam*, ſermonẽ *Lev.* v. eſſe de illo quẽ adjuratur & obteſtatur judex, ut veritati teſtimonium perhibeat, illum tum reum eſſe, niſi vera & comperta profiteatur. Sic enim verba ושמעה קול אלה vertit *Onkelus* וישמע קל מומי, *& audiet vocem adjurantis*, ut habet etiam *Vatablus*. Hanc expoſitionem probat *Abulenſis* in Quæſt. in Leviticum. LXX. Interpretes etſi hoc loco verba generalia habeant καὶ ἀκούσῃ φωνὴν ὁρκισμοῦ, phraſin tamen ſimilem *Proverb.* XXIX. 24. אלה ישמע ולא יגיד reddunt, ἐὰν δὲ ὅρκου προτεθέντος ἀκούσαντες μὴ ἀναγγείλωσι &c. quam interpretationem etiam probant & *Ianſenius*, Interpres eruditus, & *Lorinus* Commentario in Leviticum. Et ſanè hæc interpretatio eo nomine commendari poteſt, quod alioquin reſtringeretur indicium illud ad ſolum perjurium, vel ad execrationẽm temerè effuſam, quaſi peccata hujus generis ſolummodò manifeſtanda forent. Cum vero, argumento *à pari*, ſimilium ſimilis ſit ratio, utique id ad quævis peccata extendi debet, de quibus ex æquo viro bono & legis obſervanti teſtimonium perhibendum eſt. Interpretatio, quam *Vatablus* in notis citat, videtur mederi huic difficultati, qui audierit קול אלה h. e. *qui viderit alterum facere talem iniquitatem, quam audivit in Lege Domini maledictioni & execrationi obnoxiam eſſe, videlicet transferre terminos proximi, aut facere errare cæcum in itinere, aut accipere munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis: hæc inquam ſi quis viderit alterum facere, & conniverit, nec indicaverit, reus eſt iniquitatis, &c.* Sic verò קול אלה *materialiter*, vel *objectivè* ſumeretur, quod durum & longè petitum. 2. Ponamus etiam univerſalem eſſe ſenſum loci *Levit.* v. 1. & de quorumvis peccatorum revelatione intelligendum eſſe, id tamen non officit inſtituto noſtro, debet e-

nim id referri ad peccata notoria, quale perjurium, peieratio, & alia id genus, non ad peccata occulta, quale ſcortatio, & quale adhuc erat, ex opinione, quamvis falsâ, Ioſephi, B. Virginis peccatum. 3. Dici poteſt, hac lege in genere ſaltem obligari fratrem ad corrigendum & increpandum fratrem, ob peccatum admiſſum, unde nihil obſtat τὸ יגיד *annuntiabit* latius eſſe, & referri nō ad judicē ſaltem, ſed ad quemvis etiam fratrem, cui annuntiare debemus peccata ab eo admiſſa. Alioquin pugnaret hoc cum mandato Chriſti *Matth.* XVIII. qui vult ob peccata clandeſtinâ clàm objurgari fratrem, & gradus increpationis diverſos ſervari pro enormitate criminis. Vnde optimè *Auguſtinus, ſi ſolus noſti quia aliquis peccaverit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, ſed proditor. Inſt.* Atqui Ioſephus ne hoc quidem officii genus præſtitiſſe legitur, quod videlicet Mariam monuerit. *Reſp.* Lex loquitur de criminibus apertis, quorum aliquis teſtis eſt, aut oculatus, aut auritus ſaltem, adeoque quæ negari non poſſunt, quale eſt crimen pejerationis, de quo ibidem. At vitium ſponſæ allatum ſuſpicabatur ſaltem Ioſephus, non ſciebat. Tumor uteri indicium poterat eſſe aliquod, ſed non apodicticum. *Inſt.* Si id ad deſertionem ſufficiebat, ſufficiebat etiam ad increpationem. *Reſp.* Fatendum ſanè, ſufficere potuiſſe, & in hac ipsâ cogitatione de deſertione infirmitatem Ioſephi animadverti, & teneram ejus frontem, nec dubium, quin ante deſertionis meditationem debuerit eâ de re conferre cum B. Virgine, & in veritatem inquirere altius, antequam moliretur, quod & ſibi, & illi non poterat non eſſe probroſum.

DVBIVM

DVBIVM XXXII.

Quî dicatur totum hoc factum esse, ut impleretur Prophetia Esaiæ, cum tamen nec de timore aut suspicione Iosephi, nec de missione Angeli, imò nec de conceptu Virginis ex Spiritu S. verbum ullum extet apud Esaïam? quod tamen potissimùm probatum oportebat.

EXAMEN.

Verba Evangelistæ vindicata. Galatini rationes rejectæ. Salmero notatus. Cavillus alius retusus.

1 DVBIO huic occurrendum, dicendo peccari ἐπεξηγήσει, & *fallacia compositionis*, neque enim τὸ ὅλον referri debet ad omnia superiora, sive ad timorem Iosephi, sive ad suspicionem ejus, sive ad missionem Angeli, ut falsò arbitratur *Salmero Tract.* XXXI. sed saltem 1. ad conceptum virginis. 2. ad partum virginis. 3. Ad partum virginis extraordinarium & supranaturalem. 4. Ad impositionem nominis, de quibus omnibus jam olim vaticinatus fuit Esaias. Tametsi enim explicitè & αὐτολεξεὶ de Spiritu S. non sit sermo, designatur tamen ibîdem implicitè eo ipso quo Maria dicitur conceptura & paritura Virgo, quod sine extraordinaria DEI virtute & fœcundatione fieri non poterat. Fœcundationis verò opus (ut *Gen.* I.) est opus Spiritus S. Huc potest etiam referri quod apud Esaiam *cap.* VII. legitur יתן אדוני הוא לכם אות *Et dabit Dominus* ipse *vobis signum*, ubi pronomen emphaticè repetitur, ut constaret DEUM daturum signum & quoad prædictionem, & quoad complementum simul, & utrúmque à solo DEO & virtute ejus pendere. Alias hujus rei probationes adducit Petrus Ga-

latinus *libro* VII. de arcanis Catholicæ veritatis, *capite* XVI. v.g. *Eſa.* VIII. Spiritum S. induci à Prophetâ dicentem, *Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit Filium*, quibus alia id genus addit, quæ ſubtiliora quàm ſolidiora, & quorum pars revincetur *Dubio* XXXIV. Præſtat utique in ſacris, & circa ſacra, vbi problematicæ diſputationes rarò locum habent, paucis niti, iiſque ſolidis, quam adverſarios ejuſmodi rationibus vrgere quæ procacium cavillis pateant, & cauſæ bonitatem proſcribant.

II. Addit *Salmero*, ad complementum Prophetiæ Eſaiæ pertinuiſſe cohabitationem Ioſephi cum Mariâ citrà copulam conjugalem, eò quod Propheta addat, & *vocabunt* nomen ejus Immanuel. Opus ergo fuiſſe interventu Ioſephi æquè ac Mariæ ad illam denominationem: Et Mariam ſolam non potuiſſe dicere עמנואל, ſed id pluralitatem inferre eorum quibus cum peculiariter vixerit Chriſtus. Vt ergo hæc implerentur, debuiſſe Ioſephum παραλαβεῖν Mariam, ut uxorem. Sed vtraque ratio inanis. I[a] Quia ſupponit falſum, cùm in Textu Hebræo ſit וקראת non ויקראו *& vocabunt*. Sic apud *Matth.* καλέσεις vocabis, nō καλέσουσι. Error ergo *Salmeronis* ab errore vulgati Interpretis apud Matthæum, qui & numerum mutat, & perſonam, Syrum fortè ſecutus, qui habet יקרון *vocabunt*, quod & apud *Iuſtinum* & *Epiphanium* & *Chryſoſtomum* occurrit, & in multis Codicibus aliis. Et tametſi admittamus τὸ καλέσουσι, nihil id officit cauſæ noſtræ, cum id ex Hebraiſmo *imperſonaliter* ſumi poſſit, pro יקרא in *Niphal* κληθήσεται *vocabitur*. II[a]. Nec verò altera ratio potior, quandoquidem τὸ עמנואל non ſaltem refertur ad eos, qui circa Chriſtum vixerunt, ſed & ad omnia Chriſti membra, quibus ſe DEVS hoc modo per incarnationem & patefecit & univit, vel imprimis verò ad myſterium illud ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου, quod illum ſit paritura Virgo, qui ſit futurus Θεάνθρωπος.

III. Cavillantur etiam profani quidam, parum conſtare ſibi verba Evangeliſtæ, inquit Angelus ad Ioſephum, *Ne metuito accipere Mariam uxorem tuam*, quia adimplendum oraculum, virginem parituram eſſe. Atqui contrarium videtur inde ſequi, quia virgo debet parere, tuum eſt, illam non accipere in uxorem, cum ad hunc conceptum & partum viro opus non ſit. At

inanes

inanes sunt hæ argutiæ, & nexus horum verborum sibi optimè constat. Scopus Spiritus Sancti fuit, eximere Iosepho suspicionem vitii allati B. Virgini, quæ animum ejus pertentabat, quam primum uterum Mariæ intumescere animadvertit, ratus eam ex fornicatione concepisse. Quod πάθος amolitur Spiritus S. verbis adjectis, tantum abesse, ut sinistram de sponsâ tuâ opinionem concipere debeas, ut potius altius tibi sit assurgendum, & pro certo statuendum, sponsam tuam non adulteram, sed integerrimam illam virginem esse, de quâ Propheta jam pridem ante multa secula vaticinatus fuerat, eam nimirum, quamvis Virginem & *reduplicativè* quà talem, concepturam, simul & parituram esse. Non itaque eam deserere debes, sed assumere potius, & modis omnibus adjutum ire, ita tamen ut mysterii reverentiâ ductus ab eâ tangendâ te abstineas, cum illa tam eximio operi à DEO destinata fuerit, ut sit mater futura Messiæ Salvatoris Mundi.

DVBIVM XXXIII.

Cur dicat Evangelista τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, &c. Totum hoc factum esse, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου, &c. cum tamen alii fines, & potiores videantur dari partus & conceptus Virginei, nimirum Redemptio generis humani, & alia id genus?

EXAMEN.

Solutio Dubii propositi. Sociniani notati. Salmeronis glossema propositum, & discussum. Prævisio & provisio rerum qualis apud Deum. Dependentia omnium à Deo. Rationes. Ἔνστασις *quædam. Ejus solutio. Dictum Thomæ notandum.* Ἔνστασις *a-*

lia. Solutio. Qualis necessitas in causis secundis à primâ. Convenientia necessitatis & libertatis. Thomas & Ferrius laudati. Determinatio ad unum à variis causis. Qualis Dei concursus. Quomodo causa prima se habeat circa mala. Pelagiani & Semipelagiani notati. Salmero confutatus. Beza vindicatus à lepido commento. Salmeronis hallucinatio gemina. Vis τοῦ ἵνα. *Exempla. Commentum Fonsecæ, Vasquezii, Suarezii, & aliorum de scientiâ mediâ, & ejus fundamento. Contradictio Dominicanorum. Lites inter sectas illas. Novatorum* κακοζηλία. *Molinæus & Camero laudati.*

I. RESPONSIO facilis est, peccari *Elencho oppositorum*, subordinata nō opponenda, sed componenda esse, & nihil obstare, quominus unius ejusdémque rei plures possint dari fines, & diversis in locis proponi. Sic Petrus inquit. 1.*Pet*. 11.21. *Christum passum esse pro nobis, relinquendo nobis exemplar, ut insequamur vestigia ejus.* Ex quo ineptè *Sociniani* colligunt, Christum *exemplarem* saltem Servatorem esse, qui doctrinam annuntiatam mortalibus non actionibus solùm, sed & passionibus, & sanguinis sui effusione obsignaverit, adeóque in utroque genere exemplo præiverit. Quasi verò alii fines passionis, & potiores quidem nō inculcētur alibi, ob quos passus legitur, ut haberemus ἱλαστήριον in sanguine ejus. *Rom*.111.25. Vt reconciliaret Deo & Iudæos, & gentes in uno corpore per crucem *Eph*.11.16. *Col*.1.20. ut reconciliaret omnia, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ. Vt se daret ἀντίλυτρον pro quibusvis 1.*Tim*.11.6. ut esset ἱλασμὸς pro peccatis nostris. 1. *Ioh*.11.2. Innumera ejusmodi in Scripturâ S. quæ passim obvia, & infaustas *Socini* argutias solidissimè elidunt. Sic & hoc loco præter adimpletionem Oraculi Prophetici, fines alii, iique varii dari possunt, ob quos supra commemorata à Matthæo evenêre. Quin & finis palmarius satis superque

pérque indicatur, *versu* 21. Filium videlicet illum vocatum fuisse Iesum, eò quod *servaturus esset populum suum à peccatis ipsius.*

II. *Salmeronis* Glossema hîc discutiendum, qui statuit *Tract.* XXXI. ideò verba hæc adhibita esse à Spiritu Sancto, quia conceptus & partus virgineus sint inter ea, quæ non saltem prævisa sint, & causis suis relicta, sed & provisa seu præfinita & præordinata. *In iis,* inquit, *quæ prænuntiantur ut à Deo statuta, & præordinata, ut certo modo fiant, rectè dicuntur ideò facta esse, ut impleretur quod prædictum erat, id est, ut dispositio & consilium* DEI *suum sortiretur effectum. Ac proinde illa conjunctio,* ut, *propriè dicitur per modum causæ, sive efficientiæ, quandoquidem in his intelligitur non solùm* DEI *prævisio, sed etiam provisio, ut sic eveniat. In aliis verò factis quæ prænuntiantur, ut prævisa tantummodò, non etiam ut præordinata, non ita dicendum est, idcircò facta, ut impleretur prævisum, sed potius, quia ita facta sunt, vel futura erant, ideò fuisse prævisa? Atque ita hujuscemodi conjunctio,* ut, *consecutivè, non efficienter accipitur.* Addit, *quæcunque prædixerunt Prophetæ de Iudæis, qui Christum negaturi erant, & in crucem acturi, illa dici impleri in N. Testamento, non quia à Deo præfinita, sed quia tantum prævisa & præcognita. Simili ratione,* inquit, *accipi particulam,* ut, *cum dicitur, Lex subintravit ut abundaret delictum* Rom. v. Psal. LI. v. 19. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis. Quia ergo matrimonium Iosephi non solum præscitum fuerit, sed etiam ante definitum, nec suis causis inferioribus derelictum, sed peculiari* DEI *instinctu, & signis, atque Angelorum suffragiis conciliatum, ideo rectè dici, totum hoc factum, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino, id est, voluntas & consilium* DEI.

III. Glossema verò hoc *Salmeronis* falsum est, & falsò nititur fundamento. 1. Fatemur conceptum & partum Messiæ, ut & reliqua, quæ circa utrunque contigerunt, non saltem fuisse prævisa, sed & provisa ac præordinata. Sed hoc generale est & commune aliis evētibus, cùm omnia à DEO sint & prævisa, & provisa, ac præordinata. Nihil enim prævidet DEVS, quod non decreverit vel efficere, vel permittere. Præscientia ergo DEI, nostro concipiendi modo, nititur Decreto, cùm non pendeat à rebus, sed res ab eâ. Et nihil DEVS videt in suis causis, quod non ante viderit in suo Decreto. Hoc enim discrimen in-

tercedit inter cognitionem humanam, & divinam, quod illa pendeat à rebus, & res sint ejus mensura, ista verò est mensura rerum, & non à rebus, sed res ab eâ pendent. Quod tamen intelligendum, non de *scientiâ simplicis notitiæ*, quam vocant *Scholastici*, quâ DEVS omnia possibilia, futura & non futura, novit, sed de scientiâ *visionis*, quam vocant *Scholastici*, vel *intuitivâ*, quâ Deus intuetur τὰ ἐσόμενα. 2. Et sanè, nisi hoc statuatur, labefactatur providentiæ divinæ fundamentum, DEVS non statuitur causa prima omnium rerum, causæ secundæ redduntur independentes in multis actibus, imò in omnibus, imò in esse suo. Independentia enim unius actus, arguit independentiam virtutis, independentia virtutis, independentiam τοῦ εἶναι. Quî verò causæ secundæ operabuntur, vel operari statuentur sine concursu primæ, quin implicetur contradictio in adiecto? 3. Imò quî DEVS prævidere poterit certò futura illa, quæ supponuntur ab eo prævisa saltem, non item provisa & præordinata? qualis enim est res, talis est rei cognitio, & quod suæ *futuritionis*, ut barbarè loquamur cum barbaris, causas certas non habet, id certò præcognosci non potest. Certò enim præcognoscere, quod certò nõ est futurum, est statuere oppositum in apposito, & habere cognitionem non rei qualis est, sed qualis non est. *Inst.* DEVS prævidet quò omnibus positis voluntas se sit inclinatura. *Resp.* Vel certò se inclinatura est voluntas ad hunc actum, vel non. *Si illud*, debet certa illius flexus & determinata dari causa, qualis non est voluntas, ut quæ habet τὸ ἰσόῤῥοπον, & τὸ ἀμφιῤῥεπὲς, ut proprietatem inseparabilem secundum Adversarios, nec alia ulla dari potest præter DEI decretum: *Si istud*, ineptè statuitur denuò illud certò præsciri, quod certò futurum non est, cùm enim antequam eveniat, non possit in se, sed in causis saltem suis prævideri, & verò causæ incertæ statuantur, & in utrumque oppositorum flexibiles, quî certũ ex incertis, ex *defectibilibus*, ex *impedibilibus*, (ut loquuntur *Scholastici*, barbarè quidem, sed significanter) determinatè inferri poterit? Aufertur ergo DEO omnium rerum certa præscientia, nisi statuantur omnia à DEI decreto pendere. Sic optimè *Thomas* 1ª *qu.* XIV. *art.* 13. *Qui cognoscit effectum contingentem in sua causa tantùm, & non in causa aliqua superiori certò determinante, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem, quoniam*

ex cau-

ex causa indifferente, in quantum indifferens, non erit actus determinatus, & eadem ratione ex antecedente contingente, in quantum contingens, non erit illatio necessaria, ante Decretum divinæ voluntatis. Nec est quod objiciant *Iesuitæ*, aliam esse rationem scientiæ divinæ, quæ infinita, aliam humanæ, quæ finita; cum enim illam, modo cognoscẽdi nostro, velint esse posteriorẽ determinatione libera volũtatis, & ab ea pẽdere in multis actibus: Si in hujus potestate sit, vel aliter se determinare, & in alteram partem, vel suspendere actum, ut retineat libertatem absolutam & plenam tum *contrarietatis* vel *specificationis*, tum *contradictionis* seu *exercitii*, impossibile talia prævideri, antequam fiant. Si enim prævidet Deus, omnibus positis, volũtatem huc potius quam aliò se inclinaturam, id certò futurum est & necessariò, alioquin falli posset præscientia Dei. Si hoc, non poterit voluntas in alterum oppositorum se inclinare, adeoque carebit illa ἀδιαφορίᾳ quam tamen ei essentialem esse volunt, vel implicabitur manifesta contradictio, & idẽ respectu ejusdẽ omitti poterit, & non poterit. 4. Nec inde vel *coactio* vel *necessitas physica* infertur, vel sua eripitur volũtati libertas, sed inducitur saltẽ *necessitas* tum *infallibilitatis*, tum *immutabilitatis*, utraque *hypothetica*, illa respectu præscientiæ divinæ, ista respectu divini decreti, quæ utraque optimè stare potest cum libertate voluntatis. Et hoc præclarè docet *Thomas* 1ª *quæst.* LXXXIII. *Art.* I. *ad tert. Non hoc est de necessitate libertatis quod sit prima causa sui, id quod liberum est: sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Vide de hoc argumento eruditè disputantem inter alios CL. *Ferrium Schol. Orth. cap.* XXXI. & in Vindic. *cap.* V. *Sect.* VI. Annon enim & necessariò nobis bene esse volumus, & liberrimè tamen? an quisquam à se impetrare potest, ut velit sibi male esse? an determinatio ad unum vel libertatem tollit in Deo, vel in angelis, aut animabus beatis? Annon & necessariò & liberrimè in bonum feruntur? Sic vice versâ, annon Diabolus liberrimè, & necessariò tamen, malum & vult, & facit? Vtique sanè *determinatio ad unum* non saltem est ab *imperfectione*

naturæ, ut in inanimatis, ſed & à cauſis aliis 1. *à perfectione naturæ*, in Deo. 2. *à perfectione gratiæ*, in Angelis, & ſanctis beatis. 3. *à corruptione naturæ*, in Diabolis & non regenitis: quanvis fatendum, aliam longè eſſe determinationem illam à determinatione brutâ inanimatorum, ut quæ ſine interventu rationis eſt, & ſine προαιρέσει, ſine electione & libertate omni. At quando Deus in executione ſuorum Decretorum agit cum homine, & per hominem, agit in eo, & per eum, ut per inſtrumentum λογικὸν, interventu rationis, & optionis liberæ, non ſaltem exercitæ ἑκουσίως, ſed & ἐκ προαιρέσεως, ita tamen ut occulto modo flectat creaturam ad hæc potius objecta, quam ad alia, ſed ratione conformi illorum naturæ. Vt enim DEUS concurrendo cum aquis Diluvii, cum igne Sodomam exurente, cum urſis dilacerantibus pueros, naturam illorum non evertit, ſed applicavit ad hæc objecta & effecta; ſic & homine utitur DEUS, voluntatẽ ejus flectendo, & regendo ſecundum ejus naturam, non tamen eam vel cogendo, vel evertendo. Exempla ubiq; obvia in Scripturâ, quæ *Bellarminum* ita torſerunt, ut ille DEUM non flectere ſaltem, ſed & *torquere* humanas voluntates ſtatuerit. *lib.* II. *de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati cap.* XIII. 5. Nec inde mali labes DEO adſpergitur, quia mala cadunt quidem *ſub ordinationem* DEI, ſed non *ſub efficientiam* ejus, ut quæ *permiſſiuè* ſaltem & *directivè* ab eo, non verò *operativè*, vel *effectivè*. Certò tamen Deus ea præſcire poteſt, quia ſolus poteſt impedire ne fiant, & novit quando ea ſit impediturus, & in quibus, quia decrevit illa hîc impedire, non alibi, in his, non in aliis. In homine verò tota mali labes, qui ſibi ſuo jumento & peccatum & perniciem accerſivit, quam Deus ubique & apud omnes non avertit, quia nec avertere vult, nec tenetur, & indebitâ gratiâ pro arbitrio uti poteſt: imò graviſſimas cauſas habet, cur eam peculiarem eſſe velit aliquibus, non communem omnibus. Nec aliâ probatione ejus rei opus eſt, præter œconomiæ temporariæ conſiderationem, quæ index eſt optimus Decreti æterni, & invictè revincit Adverſarios, diſcriminis inter homines cauſam conſtituentes in hominibus, non mali ſaltem, quod ultro largimur, ſed boni, & præcipui boni, nimirum vel determinationis ſui ad bonum, vel recti uſus gratiæ, vel perſeverantiæ in bono, & alia id genus. Nec homines acuti expendunt, quæſtionem ſem-

per

per redire,quî fiat,quod huic Evãgeliũ potius innotuerit quàm alii,quod hic gratiâ bene fuerit usus, quod hic in eâ perseveraverit potius quàm alius,vbi vel ad hominẽ cũ Pelagianis, vel ad Deumcum Scripturâ S.necessariò est ascendendum. 6. Falsum etiam supponit *Salmero*,non probat, imò directè contradicit S. Scripturæ, dum statuit, quæcúnque prædixerunt Prophetæ de Iudæis,qui Christum negaturi erant,& in crucem acturi,illa dici impleri in N.Testamento,non quia à Deo præfinita,sed quia tantum prævisa & præcognita fuerint. Contrarium enim αὐτολεξεὶ legitur *Act.*IV.27.*Coactos fuisse adversus Iesum, Herodem & Pontium Pilatum, ut facerent quæcúnque manus & consilium* Dei προώρισε γενέσθαι. Vbi notanda duo potissimùm. 1. Non dici προεῖδε,vel προέγνω, quæ facilius eludi poterant, sed προώρισε. 2. Non dici illa definita fuisse Dei consilio, quæ Christo erant patienda,sed ea quæ fecerunt Herodes & Pilatus,adeóque & actiones illorum à Dei decreto pendere. Vnde hoc ipsum exemplum contra *Salmeronem* retorqueri debet. Ioculare verò prorsus est, quod quidam aliquando contra nostros Interpretes ursit, inquiens, nos statuere, *necessitate* etiam *coactionis* malos impelli à Deo ad peccatum, eò quod Beza vertat, *Coactos fuisse adversus Iesum,Herodem & Pilatum.* Arcadicum hoc, & suo Authore dignum. 7. Fatemur cæteroquin τὸ ἵνα non semper αἰτιῶδες, vel αἰτιολογικὸν *causale* esse, sed interdum ἐπακολουθητικὸν solùm,& notare nudũ consequens. Et huc referri potest exemplũ quod citat *Salmero ex Rom.*V.20.*Legem subintrasse,ut abundaret delictum.* Locus quem addit ex *Psal.*LI. ille ἀπροσδιόνυσος est, quandoquidem peccatur *fall. compositionis*, neque enim verba למען תצדק *ut justificeris*, cohærent cum immediatè præcedentibus,sed cum iis,quæ v.5. *Defectiones meas ego agnosco, & peccatũ meum obversatur mihi jugiter.* Ita ut interjecta sint reliqua per πάθος: Etsi alii altius assurgant, & ea connectant cum remotioribus *Miserere mei, ablue me,* &c. *ut iustificeris. Luc.*XIV.10. exemplum evidens,ubi Christus jubet,ut cum vocati fuerimus ad nuptias,vadamus discubitum in ultimum locum,ἵνα, *ut*, cum venerit ille qui nos vocavit,dicat nobis, *Amice,ascende superius*, siquidem enim hic τὸ ἵνα *causaliter* accipiamus, evertetur prorsus scopus Christi,qui erat ad humilitatem illos invitare qui atten-

debant τὰς πρωτοκλισίας. Sic *Ioh.* IX. 39. *Ad judicium exercendum ego in hunc mundum veni, ἵνα, ut qui non vident, videant, & qui vident, caeci fiant.* Sic 1. *Corint.* XI. 19. Oportet hæreses esse inter vos, *ut*, qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Hîc verò nihil obstat *τὸ ἵνα causale esse*, nam inter fines rerum adimpletarum, etiam referri possunt prædictiones Propheticæ, etsi non *exclusivè*. Nec tamen absurda erit sententia, si *consecutivè*, prout id accipiunt *Abulensis & Titelmannus*, & nos τὸ ἵνα intelligamus, quasi dicat Spiritus S. totum hoc factum esse secundum id quod prædictum erat ab Esaiâ, vel sic *ex consequenti* adimpletum fuisse Oraculum Propheticum ab Esaiâ prædictum. 8. Ineptum est quod *Salmero* notat, matrimonium Iosephi fuisse Angelorum suffragiis conciliatum, quos ille pararios & proxenetas illius gratis substituit, quippe quod ante apparitionem, & annuntiationem Angelicam jam promissum fuisse legitur. 9. Sine causâ etiam ab eodem dictum, hoc non fuisse causis suis inferioribus derelictum, quasi verò quicquam ita illis relinquatur, ut excludatur definitio, & ordinatio, & regimen causæ primæ. Atqui causæ illæ hoc modo nec inferiores amplius essent, nec secundæ, saltem ratione horum actuum; cur enim tales dicuntur, nisi quia à superiore & priore pendent non saltem in esse, sed & in operari? Notum etiam, saniores *Scholasticos* fateri, cōcurrere causam primam cum secundâ ad omnem ejus actum *immediatione* utrâque *& virtutis, & suppositi*: quî verò concursus ille sine directione? Scilicet hîc *Salmero* implicitè supponit fundamentum scientiæ *conditionatæ* sive *mediæ*, dari nimirum futura quædam contingentia sub conditione, vel actus quosdam liberos voluntatis, qui præcedant Decretum Dei, non præsupponant, per quos voluntas, his vel illis positis, se determinare possit independenter à causâ primâ ad unum oppositorum potius quam ad alterum, ad quod tamē ex æquo quoque se determinare potuisset, positis aliis. Est hoc δόγμα Iesuitarum *Molinæ, Fonsecæ, Vasquezii, Suarezii, Leßii &* aliorum Societatis Patrum, qui Pelagianismum hoc modo incrustare, vires arbitrii humani efferre, creatorem à creaturâ, & causam primam à secunda suspendere studio habuerunt. *Objecto* huic cognoscendo novam scientiæ speciem fabricârunt subtilitatis Magistri, contendentes dari in

Deo

Deo *ſcientiam* quandam *mediam* futurorum ſub conditione, quâ Deus, ut inquit *Becanus* (*cap.* x. de ſcientiâ Dei *quæſt.* v. *ſum. Theol. ſchol.*) ab æterno prævidit, quid homines & Angeli liberè facturi eſſent, ſi in tali, vel tali rerum ordine cum his aut illis circumſtantiis collocarentur. *Conditionatam* illam vocant, quia ſuſpenſa eſt à conditione incertâ, *mediam* item inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, quæ *naturalis* eſt & *indeterminata* Scholaſticis, & inter ſcientiam *viſionis*, vel *intuitivam*, quæ *libera* eſt & *determinata*, & pendens à Decreto. Meritò verò commentum utrumque & ἀδιαφορίας ac independentiæ illius voluntatis, & ſcientiæ illius mediæ, quæ illi innititur, exploſum fuit à *Dominicanis*, ut contrarium planè non ſaltem S. Scripturæ, ſed & doctrinæ *Auguſtini* & *Thomæ*. Quâ de re acriter admodum inter *Ieſuitas & Dominicanos* diſceptatum fuit, & ſerra reciprocata hinc à *Molinâ*, *Leßio*, *Vaſquezio*, *Suarezio*, *Gregorio de Valentiâ*, & *Becano Ieſuitis* ex unâ parte: ex altera, à *Dominicanis*, & eorum fautoribus *Cumel*, *Alvarez*, *Matthiâ de Riſpolis*, & aliis. Nec habent utrique quod de Evangelicorum litibus, & Eccleſiæ Catholicæ unitate pro ambone ad populum ſpecioſè declament, antequam hæc & alia id genus litigia inter ſe componant, quæ non diſputationes umbratiles, vel de rebus levibus, ſed contentiones graves de argumentis ſummi momenti, de jure cauſæ primæ, de conditione ſecundæ, de fundamento primo ſalutis, de Iudice cõtroverſiarum, ut alia multa eiuſdem generis prætermittam. Vtinam verò ſemina illa, & fomenta Pelagianiſmi non fuiſſent hauſta & excepta avidè ex impuris illis Scholaſticorũ lacunis, quin & exculta ab infelicis illius in Belgio ſchiſmatis Authoribus & fautoribus. Vide hac de re ſolidè diſputantem *Ioannem Cameronē* τὸν μακαρίτην, Theologum eximium, cuius amori, & converſationi multùm me debere ingenuè profiteor, qui *Peliden cedere* cæteroquin *neſcium* ejuſmodi argumentis ſuper hoc etiam argumento (*Amic. Collat.* cum *Tileno*) urſit, quæ nec ab illo, nec ab ὁμοσπόνδοις aliis hactenus everſa fuêre. Et ſanè nec *ſcientia* illa *media*, nec fundamentum ejus defendi poſſunt, quin homo αὐτεξούσιος, ἀδέσποτος, & ἀνυπεύθυνος conſtituatur, providentiæ divinæ oculi configantur, & Dei ſcientia æquè ac libertas à voluntate humanâ ſuſpendantur. Concluda-

mus potius cum acutissimo & eruditissimo Theologo *Petro Molinæo Tractatu* I. de omniscientiâ Dei: *Deo veritatem alterius oppositorum in futuris contingentibus determinatam esse, quia res futuras non considerat ut futuras; sed ut præsentes, & quia probè novit suã ipsius voluntatem.* Et paulo post, *quia Deus ut cognoscat res, non respicit res ipsas, sed seipsum aspicit, & in sua mente videt archetypum rerum, & in voluntate sua causas eventuum. Quæ quidem vera causa est, cur futura sint ei præsentia, quia ipse sibi semper præsens est.* Vide ejusdem *Molinæi* Tractatum eruditum de Providentiâ Dei, ubi etiam opinionem de generali influxu Dei, quem solum admittunt turbones quidam, solidè retundit, ut & cõjecturalem præscientiam quam iidem Deo affingunt respectu operum, quæ volunt pendere prorsus ab humanâ volũtate. *Franc. Suarez* in Opusc. de præscientiâ Dei, capitibus prioribus libri primi, prolixè inquirit in causam certam & immutabilem & *existentiæ* infallibilis futurorum contingentium, & eorũdem *præscientiæ*, & disputat, an ejusmodi causa sit, sive existentia aut præsentia rerum omnium in æternitate apud Deum, sive ὑπεροχὴ intellectus divini, qui posito rerum ordine, statim cõcipiat, qui & quales effectus has vel illas causas sint consecuturi, sive essentia divina, ut causa idealis & exemplaris omniũ, sive voluntas diuina, in quâ Deus omnia intuetur. Quæ sentẽtia postrema verissima est, causa enim cur res omnes sint præsentes Deo, vel cur intellectus diuinus illas concipiat ut futuras extra se, alia nulla datur, præterquam voluntas Dei, & decretũ eius, quo decrevit efficere bona, permittere mala, utraq; vero pro summâ sapientiâ suâ, ad executionem siue iustitiæ, sive misericordiæ suæ dirigere. Et *Vorstius* secum ipse confligit, dum *Disp.* IV. *mediam scientiam* etiam in Deo ponit cum *Molina*, & Iesuitis aliis, per quã Deus ex hypothesi novit tales eventus futuros, si tales causæ ponantur, & tamen ipse fatetur in *Notis ad disput.* V. *nihil certò præsciri posse, quod non aliquando est certò futurum, quum veritas mentis in veritate entis necessariò fundetur, vel saltem ambæ inter se perpetuò convertantur.* Et paulo post, *universa futura quæ Deus infallibiliter præscit, ab ipso jam ante, ut fierent, decreta fuisse.* Ergo nec certò nec infallibiliter actus illi, his vel illis positis, ex sententiâ Sophistarũ secuturi, qui tamen actu non sequuntur, à Deo prævideri poterunt secũdum *Vorstium*, quia nec futuri sunt, nec, vt fierent, à Deo sunt decreti, v.g. Davidẽ prodẽdum à civibus Ceilah, & alia id genus.

DVBIVM

DVBIVM XXXIV.

An rectè vel citetur, vel applicetur ab Evangelistâ Oraculum Propheticum. *Esa.* VII. 14. *Ecce virgo uterum feret, & pariet Filium, & vocabis nomen ejus Immanuel. Matth.* I. 23.

EXAMEN.

Iudæorum querelæ. Eorum argutiæ primò *circa* citationem, & verba *Prophetæ.* Secundò *circa* applicationem, & sensum. Ἐναντιοφανῆ *varia inter Prophetam & Evangelistam, in verbis utriusque. Argumenta apagogica contra sensum verborum. Applicatio oraculi Prophetici qualis instituenda ex mente Iudæorum.*

Ἐξήγησις & κατασκευὴ sensus & scopi Prophetæ. *Quæstiones &* ἐνστάσεις *quædam & propositæ, & discussæ. Explicatio & applicatio verborum Prophetæ. Interpretatio quorundam & proposita, & discussa. Interpretatio alia cum suis fundamentis. Confutatio ejus.*

Ἀνασκευὴ & Ἔλεγχος *argutiarum Iudaicarum. Origo & vis vocis* עלמה. *Salmeronis hallucinatio. Baronius notatus. Casaubonus laudatus. Educatio puellarum qualis apud Veteres. Quales* αἱ κατάκλειστοι. *Quid* ἀνακαλυπτήρια, ὀπτήρια, προσφθεγκτήρια *Veteribus. Loci Scripturæ va-*

rij, partim declarati, partim vindicati. Quales sint virgines sequentes Agnum. Apocal. XIV. 4. Ἐξήγησις *prolixa loci Prov.* XXX. 18. 19. *Abstersio cavillorum Iudaicorum. Salmeronis interpretatio coacta, rejecta & confutata. Vis vocis* משא. *An, & quomodo Christus* גבר. *Sensus Sapientis in loco allegato è Proverbiis.* Ἔνστασις *Iudæorum. Solutio eius. Galatini observatio. Rationes validæ pro interpretatione Orthodoxâ vocis* עלמה. *Judæorum conuictio. Quæstio nova. Solutio ejus. Distinctio Galatini inter* בתולה נערה *&* עלמה. *Cabbalistica observatio Rab. Hakadosch. Corruptela Symmachi, Theodotionis & Aquilæ.* Ἔνστασις *Iudæorum. Illius solutio. Calumnia à Cornelio à Lapide impacta Calvino. Vindiciæ pro Calvino. Alcasaris ingenuitas & verba notatu digna. Genebrardi audax assertio.* Ἐνστάσεις *Iudæorum circa verba Prophetæ, & Evangelistæ inter se collata. Vindiciæ pro consensu vtriusque. Mos & libertas Evangelistarum. Collatio nominum Immanuelis & Iesu. Vis verborum* קרא *&* καλεῖν *in Scripturâ. Nomina Christi duplicia* δεικτικὰ *&* περιφραστικά. *Iudæorum impostura circa scriptionem nominis Jesu. Cornelij à Lapide inanis observatio circa nomen Immanuelis. Objectiones reales Judæorum discussæ. Quæ signorum à Deo propositorum ratio. Exempla & causæ. Distin-*

ſtinctio Scholaſticorum de ſignis prognoſticis, & rememorativis. Subtilis interpretatio Sanchezij. Salmeronis interpretatio alia. Vtriuſque rejectio. Vis vocis אות *ſecundum quoſdam. Vera interpretatio verborum Prophetæ*, Butyrum & mel comedet. *Allegoriæ ineptæ Abulenſis, Salmeronis & aliorum.* Ἔνστασις *gravis ex capite* VIII. *Reſponſio quorundam cum Patribus. Rationes. Rejectio reſponſionis allatæ. Rationes rejectionis. Vera ſolutio, & ſenſus Prophetæ. Dubium ex Hebr.* II. 13. *Solutio. Confutatio rationum allatarum. Vis vocis* נאמן. *An ignorantia in Chriſtum cadat? Sētentia Pontificiorum. Sententia orthodoxa. Diſtinctiones aliquot. Fundamenta.* Ἐνστάσεις *Bellarmini diſcuſſæ. Ridicula argumenta pro ſententiâ contrariâ. Confutatio variarum interpretationum & applicationum oraculi Prophetici, quas inſtituunt Iudæi.*

I. EXIMIVM hoc Oraculum mirum in modum vexatur à Iudæis, contendentibus id à Matthęo detortum, & præter intentionem Prophetæ, & rationem omnem ad Ieſum Nazarenum applicatum fuiſſe. Nec deſunt difficultates in ſpeciem graves ſatis, & vindice dignæ, quæ citationem & applicationem loci Prophetici ab Evangeliſtâ inſtitutã proſcribere videntur. Poſſunt verò & argutiæ Iudaicæ, & nodi alij omnes, ſuper hoc loco, ad duas revocari claſſes. 1. Ad examen *Verborum* per collationem textus Hebræi & Græci. 2. Ad examen *ſenſus & ſcopi.* Nam & in *citatione*, & in *applicatione* videtur peccatum fuiſſe à Matthæo, quorum vtrumque Iudæi ei impingunt.

II. *Si verba*, vel *citationem* loci Prophetici respiciamus, dici potest. 1. Prophetam non loqui de Virgine, neque enim occurrere vocē vel בתולה, vel נערה quæ Virginem designent, sed vocem עלמה, quæ significat promiscuè puellam juvenem, sive nuptā, sive innuptam, malè ergo reddi per παρθένον à Matthæo. Interpretationem hanc probant Iudæi ex *Prov.* xxx. 18. 19. *Tria sunt abscondita à me*, inquit Sapiens, *imò quatuor sunt quæ ignoro, vestigium aquilæ in cœlo, vestigium serpentis super petram, vestigium navis in corde maris, & vestigium viri* בעלמה, quod videtur non posse non designare puellam, quæ jam experta est virum. Imò LXX. Interpretes id reddunt per vocem generalem admodum & laxam, νεότητα, *juventutē*, vel *adolescentiam*. 2. Addunt etiam Iudæi, tametsi עלמה ibi designet puellam virginem, sensum tamen esse, illam puellam, quæ vel ante sermonem Prophetæ, vel Propheta loquente, virgo erat, concepturam esse, & parituram Filium. 3. Vrgent & hoc, non עלמה dici simpliciter à Prophetâ, sed העלמה cum הידיעה ה, adeóque id referendum vel ad fœminam aliquam, de qua antè sermo fuerit, vel ad puellā aliquam tum temporis præsentem Prophetæ, & illis, ad quos sermo Propheticus directus fuit. 4. Sic verba reliqua Prophetæ non ingenuè satis videntur referri ab Evāgelistâ. Esaias habet הרה in *præterito*. ילדת in *Benoni*; Matthæus verò verba diversa, & in diversis temporibus, ἐν γαςρὶ ἕξει, τέξεται υἱόν. Sic Esaias inquit, puellam illam vocaturam esse nomen partus sui *Immanuel* וקראת שמו contractè pro קראה scilicet העלמה. Matthæus secundam personam substituit, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ. 5. Partus, de quo Esaias agit, debuit vocari עמנואל *Immanuel*. At Filius Mariæ sortitur nomen aliud, & quoad originem, & quoad significationem, vocatur enim Iesus. Imò eo ipso, sive verba sint Angeli, siue Evangelistæ, videtur implicari manifesta contradictio: adducitur enim locus Esaiæ, & nomen Immanuelis, vt probetur nomen Iesu, vel partum Mariæ vocandum Iesu. Atqui vtriusque nominis diversa origo, diversa significatio.

III. Præter difficultates has, quæ ex *citatione* & collatione *verborum* necti possunt, videntur dari graviores aliæ, quæ ex *applicatione* & scopo Prophetæ petuntur. Stomachantur enim

&

& queruntur hîc Iudæi, præter omnem rationem vaticinium hoc detorqueri ad Iesum Nazarenum, quod probare satagunt argumentis variis *apagogicis*. 1. Agi à Prophetâ de ejusmodi partu, qui potuerit esse signum futuræ liberationis, promissæ Achazo contra duos Reges Rezin & Pekach, dici enim Reges illos duos esse destruendos, vel terram esse deserendam à duobus Regibus suis, priusquam sciat puer ille reprobare malum & eligere bonum versu 16. Absurdè ergo applicari ad puerum, post septem secula demum nasciturum, signum adductum ad confirmandam promissionem beneficij, vel statim, vel brevi post exhibendi, in liberatione populi Iudaici à duobus illis regibus. 2. Imò nativitatem pueri illius debuisse antecedere interitũ duorũ illorũ Regum: illos enim excindẽdos antequam puer annos intelligentiæ fuerit assequutus. Et sanè, cùm paulò post promissio de liberatione populi impleta legatur, quidni & signum quod debebat illam antecedere? quia eo confirmandi erant Iudæi de veritate promissionis, usque dum complementum exhiberetur. Idem patet ex locis aliis parallelis, & signis alibi promissis, & exhibitis, verbi gratiâ, *Gedeoni* in irrigatione velleris, *Ezechiæ* in retrogradatione umbræ in horario. Similium ergo similis ratio. 3. Imò absurdum prorsus videtur, signum de Iesu Nazareno septem post seculis nascituro huc referre, cùm Propheta id ad illa tempora, & homines tum viventes referat, inquiens, *Deus vobis dabit signum*, vobis scilicet qui repudiatis jam oblatam gratiam, & qui tum veritatem, tum potentiam ejus de liberatione vestri in dubium vocatis. Quid verò faciebat ad illorum confirmationem, nasciturum Messiam aliquem multis post illos seculis? 4. Non potest probari, vel Achazum, vel Iudæos vaticinium hoc de Messiâ intellexisse. 5. Complementum circa illa tempora exhibitum fuisse, colligi videtur ex *Esa.* VIII. ubi uxor Prophetæ dicitur concepisse & peperisse ei filium: & post Propheta versu 18. inquit, *Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Dominus in signa & portenta in Israele*, loquens vel inprimis de hoc puero, qui datus erat in signum. 6. Sic sequentia, quæ apud Esaiam leguntur, nullo modo videntur aptari posse Messiæ nostro, quod à natali suo ad annos vsque intelligentiæ butyrum & mel comederit, de ejusmodi enim educatione Iesu Nazareni, ne ver-

bum quidem in Evangelio. 7. Addi poteſt & hoc, ignorantiam non cadere in Chriſtum, ex ſententiâ Chriſtianorum, & tamen de puero, de quo loquitur Propheta, dici, antequam ille cogniturus ſit bonum vel malum, Reges illos perituros.

Ex his & aliis id genus argumentis concludunt Iudæi, oraculum Propheticum referendum eſſe vel ad Ezechiam, filium Achazi, vel ad *Sear-Iaſchub*, Filium Prophetæ, quem adduxerat ille ex mandato DEI *Eſa.* VII. 3. vel ad alium aliquem puerum, quem jam tum vxor illius conceperat, quæ עלמה vocetur, ob ætatem teneram, quaſi dicat Propheta, Ecce adoleſcētula hæc concepit, & pariet filium. Si verò objiciatur Iudæis, hâc ratione nullum ſignum à Deo proponi per Prophetam, reſpondent illi, in eo ſignum conſiſtere, quod ante partum certò prædicere potuerit Propheta, vxorem ſuam parituram maſculum. R. *David Kimchi* in aliam ſententiam pedibus it, & vult hoc vaticinium intelligi de puellâ quâdam, quæ ex ipſo Rege Achaz cōceperit, & pepererit filium. Rationem addit, quod de illo Immanuele capite ſequente ea dicantur, *verſu* 8. quę non poſſint competere, niſi illi, qui è regiâ ſtirpe oriundus foret, *quod nimirum extenſio alarum ejus impletura eſſet latitudinem terræ*, ſic conſilium & verbum ejus dicuntur effectum ſortitura ſupra omnia alia *verſu* 10.

IV. Addunt quinetiam, interpretationem Chriſtianorum ridicula prorſus reddere verba Prophetæ, *antequam puer ille ſciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra à facie duorum regum ſuorum*, hoc eſt, antequam elabantur ſeptem ſecula, vos liberabimini, & Reges illi deſtruentur. Annon abſurdè, inquiunt, dictum fuiſſet Davidi, vel Ezechiæ, illos liberandos, Davidem à Saule, Ezechiam à Sanheribo, antequam ſecundum templum eſſet inſtaurandum, vel priuſquam oritura eſſet Monarchia Romanorum? Æquè ac ſi diceretur alicui, illum liberandum à morbo, antequam excidium mundi ſit adventurum. Cur etiam, inquiunt, non dictum ſimpliciter, antequam puer ille naſcatur, hoc vel illud eventurum? Cùm verò Propheta dicat, terram liberandam, *antequam* (*Immanuel*) *ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, contendunt eum præſupponere, puerum illum jam fuiſſe natum, ſed nondum perveniſſe ad tempus diſcretionis. Melius verò longè fluere o-

mnia aiunt, si hoc referatur ad puerum aliquem tum natum, de quo benè dici possit, antequam hic puer perveniat ad annos discretionis, &c. derelinquent illi terram vestram. Idem ostensum eunt ex voce הנער vbi τὸ ה denuò volunt esse ἀναφορικὸν ad puerum aliquem, de quo prius sermo, vel saltem ad individuum quoddam tum præsens, potius quàm ad puerum multis post seculis nasciturum.

V. Vt satisfiat & cavillis Iudaicis, & menti Prophetæ, & Lectorum scrupulis, duo observanda sunt. 1. ἐξήγησις & κατασκευὴ sensus ac scopi oraculi hujus Prophetici. 2. ἀνασκευὴ & ἔλεγχος illorum, quæ vel actu nobis obiiciuntur à Iudæis, vel objici possunt ab Atheis & profanis aliis id genus.

Vt verò sensus loci Esaiæ plenè eruatur, declaratio ejus paulò altius repetenda, & cum antecedentibus ac consequentibus connectenda est. Horum omnium collatio docet, Achaz Regem Iudæ bello petitum fuisse à Rezin Rege Syriæ, & à Pekach Rege Israelis, à quibus & Hierosolyma obsessa legitur. Cũ verò inde magna animorum consternatio apud Hierosolymitanos oboriretur, & in aulâ regiâ, & in totâ vrbe, Deus Prophetæ imperat, vt unà cum filio suo accedat Regem, & jubeat illũ timore seposito, certum esse de conservatione simul & liberatione sui, addito promisso solenni, nec Syros, nec Israelitas hostes urbe potituros esse. Vt autem eò magis persuaderetur de veritate hujus prophetiæ Achazus, Propheta ei dat optionem signi alicujus petendi, quo & ipse, & populus confirmari possint de veritate promissionis divinæ. Beneficium hoc insigne oblatum respuit Achazus, & simul remedium suæ incredulitatis, æquè ac populi, & renuit petere signum, sive ex hypocrisi, quasi major esset fides sua, quàm ut his egeret fulcris, sive ex odio Dei veri, ne per novum miraculum gloria ejus populo innotesceret, sed potius liberatio subsecutura accepta ferretur vel idolis suis, vel suæ etiam prudentiæ & fortitudini. Hanc impietatem & hypocrisin Achazi graviter reprehendit Propheta, eò quod rejectione hujus signi non saltem in se & alios injurius esset, sed & impius in ipsum DEVM, & hinc diffidentiâ, inde pervicaciâ graviter peccaret, cùm tamen tam benevolè invitaretur ad pœnitentiam, tam insigni promissione tum liberationis futuræ, tum signi vel miraculi præsentis. Interim tamen

quia in populo multæ adhuc ſupererant fidelium reliquiæ, ad horum & confirmationem & conſolationem, ut & ad convictionem Achazi, & impiorum ejus ſequacium, addit Propheta, Devm non obſtante Regis impietate ſignum editurum, idque duplex, futurum, & præſens. *Futurum* in Immanuele, naſcituro ſuo tempore ex virgine, & vero homine futuro, *præſens* ſive in *Sear-Iaſchub* filio ſuo, ſive in aliis quibuſdam pueris tum præſentibus.

VI. Si verò quæratur, quid faciat ſignum de Immanuele, multis poſt ſeculis demum naſcituro, ad promiſſionem oblatam Achazo, notandum eſt, Achazum dubitatione & diffidentiâ ſuâ de conſervatione Hieroſolymæ, & domus Davidicæ, ſimul in dubiũ vocâſſe eximiã illam promiſſionẽ Dei de Meſſiâ aliquando exhibendo ex domo Davidis. Voluit ergo Deus oſtendere, ſe conſervaturum domum Davidis, non ſaltem à duobus his hoſtibus, ſed & ab aliis omnibus, qui familiam Davidicam excindere conaturi eſſent, vſque dum Meſſias ex ea naſciturus foret: quaſi dicat Deus per Prophetam, quàm verè tandem Meſſias, ex Virgine è domo Davidicâ, miraculosè naſciturus eſt, ſuo tempore; tam verè ego conſervabo domum Davidis, ex qua ille oriundus erit, idque in gratiam illius, qui re vera futurus eſt Immanuel, & ratione perſonæ, & ratione officij, ratione perſonæ, Deus & homo in una perſona, ratione officij, homines conjuncturus cum Deo, & Deum cum hominibus.

VII. Hinc patet connexio horum verſuum cum *antecedentibus*, & fundamentum ac cauſa, cur Propheta hoc ſignum proponat, revocat ille nimirum animos Iudæorum ad conſiderationem promiſſionis de exhibitione Meſſiæ, tot & vaticiniis, & miraculis obſignatæ, vt in dubium amplius vocari ſine ſumma pervicacia non poſſet. Hac verò poſitâ, certa erat conſervatio domus Davidicæ, nam cum ex illa deberet prodire Meſſias, non poterat excindi, nec ab illis duobus Regibus, nec ab hoſtibus aliis. Quo ipſo conſtringit Propheta Achazum, ut vel neceſſariò cogatur adhibere fidem promiſſioni de conſervatione ſui, vel in hanc impietatem erumpat, & promiſſionem fundamentalem gentis Iudaicæ, de Meſſia è domo Davidis aliquando naſcituro, labefactet.

Inſt.

Inst. Posset tamen objici, non videri consequentiam firmam inde duci posse ad liberationem præsentem & Achazi, & Hierosolymæ è manu duorum illorum Regum, de quo tamen potissimùm quærebatur, & cujus causâ signum illud de Immanuele offerebatur. Nam inde quidem poterat inferri, domum Davidicam esse conservandam usque ad tempora Messiæ, sed tamen non poterat firmiter concludi, vel Hierosolymam non expugnandam, vel Achazum non tradendum in manus hostium, quia promissio Dei, de Messia ex domo Davidis aliquando exhibendo, poterat esse rata sine hoc beneficio. Poterat enim vel Achazus conservari inter hostes, vel alij ex domo Davidis, æquè ut postmodum inter Assyrios. *Responderi* tamen potest 1. Scopum Dei primarium fuisse, ostendere, domum Davidis conservatum iri, quem scopum utique satis supérque evincit Deus propositione promissionis de Messia. 2. Imò, ex promissione hac generali, poterat duci argumentum satis firmum ad conservationem populi præsentem, è manu hostiũ, q. d. Propheta, si Deus non saltem verax est futurus in exhibitione Messiæ, sed etiam potens satis in conseruatione domus Davidicæ usque ad tempora Messiæ, verax utique & potens satis vobis etiam videri debet, in adimplenda promissione à me promulgata, de conservatione & liberatione vestri è manu duorum illorum Regum. 3. Quod quidem eò magis concludi poterat, & debebat, quia, tametsi *absolutè* loquendo promissio Dei de Messiâ exhibendo poterat impleri sine hoc beneficio, tamen ex *hypothesi* non poterat, quia Deus illud proponebat tanquam medium exequendæ promissionis illius. Qui enim finem certò producere constituit, constituit etiam producere media, quorum interventu pollicetur se finem producturum. 4. Imò idem sequebatur, argumento *à minori ad majus*, hoc sensu, qui & vult & potest dare, & re vera dabit aliquando majus, ille & volet, & poterit & dabit actu id quod minus est. At conservatio domus Davidicæ usque ad Messiam, & exhibitio ejus definito tempore, beneficium est & magis eximium, & magis arduum, quàm conservatio & liberatio vestri in præsens. Si ergo Deus illam promissionem impleturus est, multò magis impleturus est istam. 5. Huc accedit, quod solenne sit Prophetis omnibus ferè, per allegationem promis-

sionis de Messia, omnium aliarum veritatem confirmare, ut quæ unicum illarum fundamentum, & unica basis. Idem occurrit *Esa.* IX. *Ier.* XXIII. & alibi passim. 6. Tandem & hoc adjiciendum, promissioni de Messia additam fuisse aliam *versu* 16. terram videlicet derelinquendam esse à duobus Regibus, adeoque utrumque à Propheta fuisse promissum Iudæis, & exhibitionem Messiæ nasciturі ex Virgine, & liberationem eorum præsentem.

VIII. His in antecessum positis, verba Prophetæ sunt tum *explicanda*, tum *applicanda*. *Explicationem* quod attinet, hæc est mens Prophetæ: Etsi vos repudietis gratiam oblatam, tamen Deus vobis & invitis, & indignis, veritatis & potentiæ suæ gloriam assertiurus est, & ostensurus, se veracissimum simul esse, ac potentissimum, in cōplemento promissionis jam sæpe antehac datę, & à me reiteratæ de Messiâ suo tempore exhibendo, Virginem nimirum prægnantem futuram, & parituram filium. Et quia duplex in eo promittebatur miraculum, unum in *re exhibitâ*, h.e. in missione Messiæ, alterum in *modo exhibitionis*, per Virginem, meritò Propheta Iudæorum animos excitat statim ab initio, per suum הִנֵּה *ecce*, quasi de re magnâ & admirandâ locuturus, & æquè certâ, ac si jam in præsens oculis eorum subjiceretur. *Virgo*, inquit, *prægnans erit*. Quid verò illustrius hoc signo, Virginem concepturam, & parituram, *non antecedenter* saltem, sed & *consequenter* talem, sine labe suæ virginitatis? Hoc tamē implebitur in העלמה illâ cum ה הידיעה quæ peculiari ratione à Deo ad hunc conceptum & partum destinata, concipiet illa, adeóque ex substantiâ suâ, quamvis virtute miraculosâ interveniente. Præsupponit verò Propheta, & tacitè connotat העלמה illam è domo Davidis oriundam esse, tum ob promissiones antecedentes, quibus utique nihil vult detractum, tum quia alloquitur *domum Davidis* versu 14. cui proponit remedium ex illâ ipsâ petendum. Addit quoque Propheta nomen partus illius *Immanuel* ad exprimendam personam ejus simul ac officium, & familiarem ejus cum hominibus conversationem, quod *habitaturus esset inter homines Ioh.* 1.14. cœlo terram conjuncturus, & hominem Deo in gratiâ, prout utrumque conjuncturus erit in personâ.

IX. Addit Propheta versu 15. *Butyrum & mel comedet*, *donec*

nec sciat reprobare malum, & eligere bonum. Quidam per *mel* divinitatem partus illius, per *butyrum* humanitatem designari putarunt, quod innuit *Salmero Tract.* xxxr. sed ineptè & præter mentem Prophetæ, cujus verba clara, & sensus apertus q. d. Immanuel non saltem futurus est verus Deus, sed & verus homo, *butyrum & mel comedet*, h. e. cibis pueris apud vos vsitatis vescetur, adeóque ejus educatio communis & ordinaria erit, cibi enim pingues & dulces solent infantibus exhiberi, & mel vel inprimis apud Orientales. Vnde his verbis *synecdochicè* saltem connotatur, conceptum quidem ejus futurum miraculosum, educationem verò non item. Subjicit Propheta, progressum in illo similem infantibus alijs repertum iri, imbecillitatem nimirum cognitionis, sed finiendam & terminandam, postquam adoleverit, tum enim eum præditum iri judicio eximio, non saltem ad discretionem boni & mali, sed & ad electionem boni, & ad reprobationem mali. Quorum omnium complementum repetitur apud *Luc. cap.* II. 52. qui inquit, *Iesum profecisse sapientiâ, & staturâ, & gratiâ apud Deum & homines.* Quod & indicat Apostolus *Phil.* II. 7. *Christum Iesum fuisse in forma Dei, & non duxisse rapinam parem esse cum Deo*, ex una parte: ex alterâ, *eum se exinanivisse, formâ servi acceptâ, & similem factum hominibus, & habitu compertum ut hominem.* Quæ omnia hîc designata vult Propheta, quamvis verbis obscurioribus pro ratione temporum, & stylo Prophetico. Vnde etiam patet, ineptè prorsus verba Prophetæ ab illis detorqueri, qui τὸ *ut* inserunt, & illud accipiunt τελικῶς, quasi puer ille ideò butyrum & mel comesturus esset, *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*, לדעתו enim in Textu Hebræo hic æquipollet ἕως עד כי vel ἕως עד simpliciter. Addamus etiã, Christum dici comesturum butyrum & mel, hoc est, frugaliter educandum, cibis qui à naturâ exhibentur. Nihil enim communius erat apud Iudæos butyro, quia pecuariam plerique faciebant, sic nec melle quod saltus & sylvæ sufficiebant, quale quid etiam versu 22. *butyrum & mel comedet quicunque remanserit in medio terræ.* Quia verò populus Iudaicus hærebat potissimùm in præsentibus; & videbatur obstare promissioni de Messiâ violentia & potentia hostium, à quibus vexabantur, ob id repetit Propheta promissionem specialem de liberatione Achazi, & Hierosoly-

mitanorum è manu hoſtium, Syrorum & Iſraëlitarum, oſtendendo, non ſaltem Hieroſolymam non ſuccubituram, nec expugnandam à duobus illis Regibus, ſed & eos cogendos ad deſertionem Iudææ, & diſceſſum, ídque brevi, non ſolum antequã Meſſias הנער ille, *antonomaſticè* talis, eſſet exhibẽdus, ſed etiã antequam הנער *puer* ſive *individualiter*, ut *Sear-Iaſchub* filius Prophetæ præſens, ſive *ſpecificè*, *puer*, h.e. quivis in ætate puerili tum conſtitutus ad annos diſcretionis perventurus eſſet. Nihil enim incommodi, ſive verſus 16. referatur ad puerum *Immanuelem* promiſſum, ſive ad *Sear-Iaſchub* filiũ Prophetæ, ſive *ſpecificè* ad quosvis tum temporis in ætate puerili conſtitutos, q. d. Propheta: Antequam ille qui jam puer eſt, ſciat reprobare malum, & eligere bonum, terra derelinquetur à facie duorum illorum Regum. Si ad Immanuelem referatur, fit id per figuram frequentem Scripturæ, & *conſequens* ponitur pro *antecedente*, diſcretio boni & mali, pro ſtatu in quo fit diſcretio boni & mali. Etſi fatendum, minus coactam & longè probabiliorem eſſe illorum ſententiam, qui verſus hos diſtrahunt, & de diverſis ſubjectis intelligunt, ה הידיעה hîc ſumpto non ἐξοχικῶς de Meſſia naſcituro ex העלמה, ſed vel δεικτικῶς, & *individualiter* de *Sear-Iaſchub* filio Prophetæ, vel *ſpecificè* & *diſtributivè* de quibuſvis qui tum ætate pueri erant, cùm non dicat Propheta, הנער הזה quod tamen videtur dicturus fuiſſe, ſiquidem eundem in individuo puerum denuò deſignatum voluiſſet. Nec novum eſſe, τὸ הנער ita ſumi à Propheta, patet ex collatione *cap.* III. 5. ubi eadem locutio eodem ſenſu occurrit, *efferent ſe* הנער בזקן *puer in ſenem*, *ignobilis in nobilem* LXX. προσκόψει τὸ παιδίον πρὸς τὸν πρεσβύτην. Et ſic ſenſus planior erit, cùm enim Reges illi intra paucos annos eſſent excindendi, dúrius videtur, illos dici perituros ante adventum pueri qui poſt ſeptem demũ ſecula naſciturus erat. Et dixiſſet potiùs Spiritus S. id futurum, antequam puer ille concipiatur, & naſcatur, quàm antequam puer ille ſciat diſcernere bonum & malum. Hoc verò modo omnia optimè & fluunt, & cohærent inter ſe, q. d. Propheta: non eſt quod diffidatis DEO de conſervatione urbis veſtræ, & domus Davidicæ, tandem naſcetur ex ea Meſſias, & quidem miraculosè ex virgine. Nec iſti hoſtes quos jam metuitis, nativitatem illius impedire

pote-

poterunt, antequam enim pueri nostri perveniant ad annos judicij & discretionis, peribunt illi, multò magis antequam exhibeatur Messias.

XI. Sunt & alij ex Interpretibus, qui *versum* 14. solum referunt ad Messiam, & *versus* 15. ac 16. conjunctim ad *Sear-Iaschub* filium Prophetæ, q d. Hic puer quem mecum duxi, non tantùm securè, sed & lautè vel frugaliter saltem & commodè, sine ulla egestate vel penuria educabitur, donec perveniat ad annos discretionis: sed antequam illos attigerit, & dum adhuc vescetur alimentis convenientibus ætati puerili, necdum sciet discernere bonum & malum, peribũt Reges illi, ut nullum ab eis sit metuendum periculum. Et sic *symbolicè* confirmatur promissio de liberatione præsenti Iudæorum, non saltem residuum aliquod populi conservatum iri, ob nomen *Sear-Iaschub* impositum filio, sed & conservatum iri sine egestate & penuria: ut enim puer ille, quo DEUS residuum vestri designare voluit, securè & frugaliter educabitur, donec perveniat ad annos discretionis, sic & vos, & liberi vestri. Imò, antequam tempus hoc elabatur, jam actũ erit de duobus illis Regibus. Non ergo est, quod vel trepidetis, vel dubitetis de veritate simul ac potentia DEI, cùm DEUS non saltem de conservatione vestri vos certos esse jubeat, sed & symbolum ejus visibile vobis proponat. In filio verò Esaiæ *Sear-Iaschub* singulare aliquid fuisse observandum inde patet, quod utique DEUS non sine gravi causa jusserit illum adduci ad Regem.

XII. Tametsi autem hæc interpretatio non incommoda videri possit, tamen durior est revera, & videtur versus hic decimus quintus referendus ab subjectum antecedens, & connectendus potius cum versu præcedente, quàm cum consequente 1. quia *prædicatũ* hoc, *Butyrum & mel comedet*, debet referri ad *subjectum*, de quo immediatè ante locutus erat Propheta, cùm non dicat הנער vel *Sear-Iaschub* comedet, sed simpliciter, *Butyrum & mel comedet*, videlicet Immanuel, de quo sermo immediatè antè. Et durum sanè, ac alienũ à phrasi Prophetæ, retrahere vocem נער ex versu sequente in antecedentem. 2. quia *pronomen relativum affixum* in לדעתו præexigit subjectum antecedens, ad quod referatur & de quo ante actũ fuerit. 3. quia causæ nihil est cur discerpantur *versus*

illi 14. & 15. cùm commodè satis fluant relati conjunctim ad Messiam. 4. Nec tamen vel frustra filio Prophetæ nomen *Sear-Iaschub* impositum, vel ille sine causa adductus ad Regem, sed ut illius præsentia admoneretur Achaz de nomine ejus, per nomen, de significatione, adeoque de conservatione residui ex populo: vel etiam ut in puero illo symbolum aliquod exstaret puerorum Iudaicorum coætaneorum frugaliter educandorum, non obstante obsidione & penuria, qua tum incipiebant premi, adeoque ex consequenti concluderent, utramque brevi terminandam esse.

XIII. Non desunt ex Interpretibus, qui ad expugnandam Iudæorum pervicaciam aliter etiam tres illos versus accipiendos contendant, hoc sensu, ut in illis distinctè consideretur & *typus* & *antitypus*: *Typus* quidẽ, promitti à Deo per Prophetam puerum aliquem tum temporis nasciturum ex puella juvencula, etsi per congressum viri, cui imponendum esset nomen Immanuelis, & qui esset tutò & frugaliter educandus, ut sic & nomine illius admonerentur, Deum illis adfuturum contra duos Reges, à quibus vexabantur, & symbolum haberent, ac typum & suæ liberationis in præsens, & futuræ per Messiam. Illi, qui hãc sententiam sequuntur, contendunt, sic rationem commodè reddi posse, cur Propheta utatur ה הידיעה, eum enim per העלמה designasse puellam aliquam è Gynæcéo Achazi, vel è familia aliqua illustri inter Iudæos, tum adstantem, sive jam nuptam, sive paulò post nupturam, eam videlicet vel ex marito cui jam tũ nupserat, vel ex sponso, cui brevi nuptura esset, concepturam, & primo partu parituram masculum, cui nomen *Immanuelis* sit imponendum ad designationem præsentiæ Dei inter illos, æquè ac Propheta nomen *Sear-Iaschub* imposuerat filio, ut doceret reliquias populi conservatum iri: eundem etiam promitti pacatè & frugaliter educandũ, & ad ætatem discretionis boni & mali adducendum. Ne verò promissio hæc videretur dubia, & objicerent Iudæi, obstiturum complemẽto illius duorum Regum furorem, vaticinari Prophetã, illos ante perituros priusquam statum & ætatem promissam puer ille attingeret. Hunc puerum postmodum inquiunt fuisse *typum* Christi, in quo omnia illa modo excellentiore fuerint adimpleta, ita quidem, ut Messias non ex עלמה puella juvene

ne per congressum cum viro, secundum ordinem naturæ consuetum, sed ex עלמה virgine nasceretur, præter & supra naturæ ordinem, qui nomen Immanuelis sortiretur, non indirectè, imperfectè, & symbolicè, sed directè, perfectè, realiter & effectivè, tum ratione personæ, tum ratione officij sui: Immanuelis quidem typici tempore liberãdum populum, sed aliena virtute: Immanuelis verò veri non saltem tempore, sed & merito, virtute & efficacia: ibi ab hostibus externis, & liberatione saltem temporali, hîc ab hostibus internis, peccato & Diabolo, liberatione æterna.

XIV. Hujus interpretationis confirmatio duplex dari potest. 1. *ab authoritate.* 2. *à ratione.* *Authoritas* è locis parallelis Matthæi, ubi pari ratione proponuntur varia ejusmodi oracula typica composita, geminum complementum habentia, unum in typo, alterũ in antitypo. Verbi gratia, *Matth.* II. 15. ex *Ose* 1.2. *Ex Aegypto vocavi Filium meum*, cujus typus in populo Israelitico, antitypus in Christo. Sic *versu* 18. ex *Ierem.* XXXI. 15. *Vox in Ramâ audita est*, &c. cujus etiam gemina datur impletio, una in typo, altera in antitypo. Sic *Matth.* IV. ex *Esa.* IX. *Terra Zabulon & terra Nephthali*, &c. *vidit lucem magnam*, &c. quod impletum & in liberatione populi ex Babylone, & in exhibitione Christi & manifestatione ejus in regionibus illis. Sic quod Esaias *cap.* XXIX. de sui temporis hypocritis proponit, hoc Christus applicat ad Pharisæos. *Matth.* XV. *Rationibus* verò etiam firmari potest hæc interpretatio. 1. sic veritati melius consuli, Iudæis & profanis aliis ansam cavillandi præcidi. 2. sic verba omnia Prophetæ, & versus diversos optimè connecti. 3. non fuisse opus, vt puella illa typica virgo conciperet, virgo pareret, nec ut filius ejus verus esset Immanuel, non enim esse quærendum in typis, ut omnia ad unguem respondeant, *Typum partem indicare non totum*, secũdum *Hieronymum*. *Quod si enim totum præcedat in typo, jam non esse typum, sed Historiæ veritatem.* 4. sic quia virginalis partus, & plena nominis Immanuelis significatio reservanda erant nativitati Christi, meritò dixisse Evangelistam locum hunc Prophetæ in partu Virginis Mariæ fuisse adimpletum. 5. Non posse negari, Deum futuram Filij Oeconomiam non verbis saltem promisisse, sed & figuris ac typis variis adumbrâsse. In hanc senten-

tiam propendet ex nostris *VVolfgangus Musculus* Interpres eruditus, ex Pontificiis, *Salmero*, aliique.

XV. Tametsi verò scopus idem his Interpretibus, nec hæc interpretatio omninò rejicienda videatur ob authoritates & rationes allatas, tamen tutior videtur interpretatio illa, quæ *vers.* 14. & 15. ad solum Immanuelē refert. Rationes sunt. 1. quia ea dicuntur *cap.* VIII. sequenti de hoc puero Immanuele, quæ non possunt referri nisi ad Regem aliquem, vel regni hæredem: statuitur enim Dominus Judææ, hic verò puer non potuit esse filius & successor Achazi, cùm is fuerit Ezechias, jam antè natus, nec alius quidam tum natus ex patre alio, utpote cui dominium illud in Judæam non obtigit. 2. quia peccatur *Elencho parium*, alia enim ratio exemplorum allatorum, alia hujus. Fatendum multa ejusmodi oracula composita dari, geminam impletionem habentia, unam in typo, alteram in antitypo; sed & hoc addendum, in ejusmodi Oraculis historicam impletionem & dari, & narrari, ac restringi disertè ad certa subjecta, quæ nomine tenus designantur, quod ex exemplis allatis evidens est, *de vocatione filij ex Aegypto*, *de voce auditâ in Ramâ, de luce visâ in terrâ Zabulon & Nephtali*, &c. quæ suo loco discutiēda. Vnum etiam ex illis generale est, quod ex *Esa.* XXIX. urgetur. Nihil enim obstat quominus ad quosvis omnium temporum hypocritas promiscuè referatur. Hoc verò vaticinium de virgine conceptura & paritura planè speciale est, & miraculosum, cum in signum peculiare proponatur; nec ullo modo describitur puella alia conceptura & paritura Immanuelem illum typicum. Hîc ergo nulla historia proponitur, sed merum vaticinium, cujus sensus etiam satis cōstat, tametsi non recurratur ad typum. 3. Addamus & hoc, supponi multa precariò, non probari, nec in textu Prophetæ reperiri, adstitisse sive gynecéum, sive puellam aliquam Esaiæ loquenti cum Achazo, quam digito quasi designârit, non expresso ejus nomine. Imò si matrem Immanuelis typici designârit Propheta, quidni & patrem designaturus fuisset? an is futurus esset Achazus, vel alius aliquis, vt de complemēto vaticinij eò melius constaret. 4. Et quid in eo miraculosi, vel extraordinarij populo proponi poterat, puellam ex viro concepturam & parituram? *Instant* in eo miraculum consistere, quod & prævidere, & prædicere

certò

certò potuerit Propheta, partum masculum edendum, non fœmineum. Atqui elumbe prorsùs, & frigidum, addo & authoritati Propheticæ parum conveniens miraculum in eo constituere, quod à sagacioribus obstetricibus per conjecturas naturales investigari, vel divinando etiam attingi potest. Vnde quando ejusmodi prædictiones adimplentur, nemo illas pro oraculis habet, minus pro signis vel miraculis extraordinariis, sed ex vel arti, vel sagacitati vel casui adscribũtur. 5. Accedit & hoc, tantam Achazi impietatem fuisse, ut siquidem puellam aliquam in individuo designasset Propheta, omnibus modis operam daturus fuisset, ne cum ullo congrederetur, multò magis ne ex se conciperet, vel saltem ne fœtus ejus molliter educaretur, ne sua oraculo Prophetico constaret veritas. 6. Imò, sic nullum prorsus remedium vel incredulitati Iudæorum, vel Achazi allatum fuisset. Nam incertum esse poterat æquè hoc promissum, ac prius de eorum liberatione, donec eventu ipso comprobaretur 1. partus post aliquot menses, 2. educatio ejus post annorum aliquot decursum, & antequam hoc fieret, animi eorum relinquebantur suspensi & anxij de sui conservatione. Certa verò erat promissio de Messia, de qua dubitare nefas erat, & quam ne ipse quidem Achaz palam in dubium vocare audebat, utpote in qua proram & puppim suæ gloriationis & spei constituebant Iudæi. 7. Adde, sic obscurari non parum eximium illud privilegium Messiæ, illum nimirum solum nasciturum ex עלמה virgine. Quin & applicatio Matthæi hoc modo in dubium vocari posset. Promptũ enim erit excipere Iudæis, in præcipuis saltem debere dari conformitatem inter typum & antitypum. At hoc ex præcipuis esse ex עלמה concipi. Si ergo typus non fuerit natus ex עלמה Virgine, probationem nullam solidam dari posse, Messiam debere nasci ex Virgine. Et sic & scopus & applicatio Matthæi, & singularis Messiæ prærogativa conciderent. 8. Imò, cùm innumeri in Iudæa pueri in lucem tum temporis edi potuerint, pacatè educari, & superstites esse interitui Regum illorum, quid peculiare ad convictionem Achazi, & Iudæorum incredulorum peti poterat ex ejusmodi partu, ubi nihil singularis nec eximij præ aliis. 9. Alienum etiam prorsus, quod de figuris & typis aliis adfertur, nam in illis non individua vaga,

ſed determinata proponuntur, & Scriptura ipſa relationem eorum ad Meſſiam indicat, quale quid hîc fieri ſupponitur, non probatur. 10. Ratio etiam petita à cavendâ Iudæorum offensâ, infirma eſt. Neque enim illa evitanda cum diſpendio veritatis, quod tamen hîc fieret, quin potius, his admiſſis, majus accederet robur perverſis illorum interpretamentis, quibus illi hunc locum corrumpunt.

XVI. Tametſi verò ex ſupra dictis ſatis ſupérque conſtare poſſit, Oraculum propheticum à Matthæo optimo jure ad Chriſtum Dominum noſtrum fuiſſe applicatum, tamen ut impietati Iudaicæ plenè ſatisfiat, objectiones & verbales, & reales, quæ tum ex *citatione*, tum ex *applicatione* à Matthæo inſtitutâ, necti poſſunt, ſunt diſcutiendæ.

1. Iudæi inquiunt, עלמה non ſignificare virginem, ſed puellam teneræ quidem ætatis, nuptam tamen, & id nomen eſſe ætatis, non ſtatus. Notãdum verò, hoc dubium jam ante tempora *Hieronymi* motum fuiſſe ut patet ex *lib. 1. adverſus Iovin. Tom. 11.* & ex *Comment. ejus in cap.* VII. *Eſa. Scio*, inquit, *Iudæos opponere ſolere in Hebr. verbum* עלמה *non virginem ſonare, ſed adoleſcentulam.* Reſpondet tamen ibidẽ Hieronymus עלמה non ſaltem ſignificare virginem, ſed & cum ἐπιτάσει *virginem abſconditam*, cùm non omnis talis ſit. Rebeccã ſic dici עלמה quæ geſſerit typum Eccleſiæ *Gen.* XXIV. Et addit, *Oſtendant mihi, ubi hoc verbo appellentur & nuptæ, & imperitiam confitebor.*

XVII. Ad confutationem plenam hujus ἐνςάσεως Iudæorum duo ſunt notanda. 1. *Origo* & *vis* vocis עלמה. 2. *Vſus* ejus in S. Scriptura. *Originem* & *vim* vocis Hebrææ quod attinet, ludibrium debet Lectori *Salmero Tract.* XXXI. dum inquit, illam dictionem partim Hebræam eſſe, partim Latinam, quod ex *Porcheto* ſine judicio hauſit *Victor. contra Hebræos part. ſec. cap. XIV.* Alia enim prorſus ratio vocis עלמה apud Hebræos, alia vocis *alma* apud Latinos, nec ulla niſi in ſono convenientia: origo enim, & ſignificatio utriuſque diverſiſſima. Notum enim עלמה derivari à verbo עלם inuſitato in *Kal* Hebræis, uſitato Chaldæis, quod in *Niphal.* נעלם latitavit, abſconditum fuit, unde concreta עלם *adoleſcens* qui domi adhuc latet, & עלמה puella domi latitans, nec vel nota in publico, vel nuptum palàm educta, quaſi quæ nullorum adhuc oculis

oculis patet. Sic *Syri* eodem ſenſu utuntur vocibus עלימא *puer*,& עלימתא *puella*. Vnde & communiter virgines dicebantur αἱ κατάκλειστοι apud Paganos, quo ipſo exprimitur egregiè vis nominis עלמה: Eodem ſenſu dicebantur θαλαμηπόλοι, quaſi in thalamis educatæ. Imò malè audiebant apud veteres virgines illæ quæ foras prodire amabant. Et ſcortũ Chaldæis eſt נפקת ברא *prodiens foras* quod notat *Elias Levita* in ſuo מתורגמן in radice נפק & ibidem citat *Targum* in *Gen.* XXXIV.31. ubi *Heb.* זונה reddit Paraphraſtes per נפקת ברא per *egredientem foras*, quod & alijs in locis reperitur. Meritò ergo Hieronymus in *Quæſt. Hebr. in Gen. Tom.* III. עלמה interpretatur *Virginem nimiâ diligentiâ cuſtoditam*, & addit *Abſcondita, quæ virgo eſt*, ἐπίτασιν *virginitatis habet, ut & virgo ſit & abſcondita, & quæ abſcondita eſt, iuxta idioma linguæ Hebrææ, conſequenter & virgo eſt. Quæ autem virgo, non ſtatim ſequitur, ut abſcõdita ſit.* Vnde meritò apud *Caſaubonum* Exerc. I. ad *App. Ann. Num.* LIII. vapulat *Baronius* detorquens κατακλείστους virgines. II. *Macc.* II. ad moniales ſuas, ut ſuprà vidimus, cùm tamen id nominis commune fuerit puellis honeſtis, utpote ex more educationis illarum deſumptum, quod & *Gloſſa* ibidem notat, id ipſum referendo ad puellas, quæ de *domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis.* Et meritò, cũm, ut ibidem notat *Caſaubonus*, puellæ habuerint ſuos παρθενῶνας, in quibus educabantur, ſeorſim à conſpectu virorum, nec prodibant in publicum niſi vel ad cultum divinum, vel ad alia officia neceſſaria obeunda. Ex ſua ergo *origine* עלמה non ſaltem virginem notat, ſed & recluſam, & ſumma diligentia ſeorſim à viris educatam, & dicitur עלמה quaſi עלומה vel נעלמה, abſcondita, ἀπόκρυφος: ut enim *maſculinum* עלם ſignificat adoleſcẽtem privatam & cælibem vitam agentẽ, nec alio ſenſu in Scriptura S. uſurpatur, ſic nec *fœmininum* עלמה. Et ſic egregia antitheſis reperitur inter עלמה virginem abſconditam, *incognitam*, & mulierem *cognitam* à viro, & cujus ערוה ἀσχημοσύνη retecta. Vt ergo vocibus cognitionem, & revelationem deſignantibus, ſtatus oppoſitus ſtatui virgineo declaratur, ſic appoſitè voce contraria virginitas deſignatur. Et mos hic, virgines ſecretò educandi, non ſaltem apud Orientales obtinuit, ut & hodiéque obtinet, ubi ipſę fœminę etiam

rarò prodeũt in publicum, ſed etiam apud Græcos paſſim, unde *ἀνακαλυπτήριον Heſychio* dies, ὅτε τὴν νύμφην πρῶτον ἐξάγουσι. Sic *ἀνακαλυπτήρια* dona quæ offerebantur ſponſæ, quando primùm ſolebat prodire in conſpectum virorum, ut ὀπτήρια quæ ſponſus ſponſæ offerebat, cùm primùm eam videret. *Iul. Poll. lib.* I I. *Onom.* ὀπτήρια εἴρηται τὰ δῶρα, τὰ παρὰ τοῦ πρῶτον ἰδόντος νυμφίου τὴν νύμφην διδόμενα. Vnde eadem & προσφθεγκτήρια à prima allocutione.]

XVIII. Si reſpiciamus etiã *uſum* vocis עלמה in Scriptura, idem facile contra Iudæos obtinebimus. Septies verò occurrit vox illa apud Sacros Scriptores. I. *Gen.* XXIV. 43. ubi ſervus Abrahami dicit *En ego ſto iuxta fontem aquæ, ſit ergo ut virgo quæ egredietur ad hauriendam aquã,* &c. ubi העלמה LXX. παρθένον reddunt. Et ſanè nõ poteſt nõ ibi deſignare virginẽ, ſive puellam innuptam, nam alioquin non potuiſſet voveri in conjugem Iſaaco, & *verſu* 16. dicitur expreſsè, *quod vir non cognouerit eam.* II. Hæc vox etiam reperitur *Exod.* II. 8. de ſorore Moſis alloquente filiam Pharaonis, & mandatum ejus excipiente ותלך העלמה, ubi redditur à LXX. ἡ νεᾶνις, & pari ratione deſignat puellam innuptam in ædibus paternis adhuc latentem, vt ex circumſtantiis textus evidens eſt. III. Vox hæc occurrit *Pſal.* LXVIII. 26. in numero plurali עלמות תופפות puellæ tympaniſtriæ, LXX. ἐν μέσῳ νεανίδων τυμπανιστριῶν, ubi plerique ex Iudæis non diffitentur עלמות deſignare puellas innuptas, quarum mos erat inſtrumentis Muſicis Deum celebrare: ſaltem nihil obſtat, quin tales hîc intelligamus. IV. Reperitur etiam vox hæc *Cant.* I. 3. על כן עלמות אהבוך, *idcirco virgines amãt te. Gloſſa Hebræa* hic reddit עלמות per בתולות virgines, LXX. νεάνιδες vertunt. Vbi denuò nihil obſtat quominus id vocis intelligamus de virginibus & puellis innuptis. Imò ſenſus melius conſtat, ſi virgines ibi intelligamus, ut integritas corporis ſymbolicè deſignet integritatem animi & mentis. Ab iis enim magis diligitur Chriſtus ſponſus, qui ſunt puriore animo, & adhuc illibato. Sic pij per virgines eâdem de causâ deſcribuntur *Apoc.* XIV. 4. qui ſequuntur agnum quocunq; iverit, & pertinent ad chorum ſignatorum, ubi ineptè virginitatem monaſticam, & externam urgent Pontificij, ſic enim omnes vxorati Sancti excluderentur à choro illo

illo ſignatorum, & omnes virgines corpore tenus tales cœtum illum conſtituerent, quorum utrumque non ſolùm abſurdum, ſed &, certum, virgines ibi opponi per antitheſin ſcortatoribus, qui cum meretrice magna ſunt ſcortati. v. Legitur etiam עלמות in plurali numero *Cant.* VI. 7. עלמות אין מספר *puellarum non eſt numerus*, LXX. νεανίδες ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός. Vbi virgines potius quàm puellas nuptas deſignari patet ex nexu, & verbis Salomonis. Tres enim ibi ordines diſtinctos conſtituit Salomo, 1. *conjugum* ordinariarum & legitimarum, quas vocat מלכות *Reginas*, 2. *Concubinarum* פילגשים, quæ in conſuetudinem & torum mariti jus habebant, liberi verò eorum in hæreditatem & ſucceſſionem bonorum non item. Vnde Abraham filiis concubinarum ejuſmodi dona quidem dediſſe legitur, Iſaaco verò reſervaſſe hæreditatem, *Gen.* XXV. 3. *puellarum innuptarum*, quæ ibi dicuntur עלמות, diſtinguũtur enim & ab vxoribus, & à concubinis. Imò una ex illis עלמות *verſu ſequente* vocatur תמתי *immaculata integra mea*, dicitur eſſe unica matri ſuæ, electa, vel pura genitrici ſuæ, adeoque alluditur ad puellam, quæ in ſinu & gremio materno adhuc educatur. Imò eo ipſo, quo & reginæ, & concubinæ illam laudaſſe dicuntur ibidem, ab eorum cenſu utique diſtingui debet. VI. *Locus ſextus*, ubi occurrit vox hæc reperitur *Prov.* XXX. 18. 19. ubi inquit Sapiens, *tria ſunt abſcondita à me, imò quatuor ſunt quæ ignoro, viam aquilæ in cælo, viam ſerpentis ſuper petram, viam navis in corde maris & viam viri* בעלמה. Hunc locum vel in primis urgent Iudæi, & volunt עלמה ibi deſignare puellam corruptam, eò quod comparetur *verſu* 20. ſequente cum אשה מנאפת *muliere adulterâ*, & dicat Sapiens, talem etiam eſſe viam mulieris adulteræ, quæ caſtitatem jactat, nec ſervat tamen, etſi abſtergat os ſuum, & dicat, non ſum operata iniquitatem. Sed nec locus ille, etſi favere in ſpeciem videatur cauſæ Iudæorum, quicquam pro illis facit. 1. Quidam reſpõdent, ſecuti interpretationem LXX. Interpretum עלמה hîc ſumi nõ *cõcretiuè, ſed abſtractiuè* pro עלמות vel עלומה *adoleſcentia* νεότητι, vt habẽt LXX. cujus plurale formâ maſculina uſitatum eſt in Scripturâ, quaſi dicat Sapiens, difficilem admodum cognitu eſſe viam viri in adoleſcentia, quia æquè vaga, verſatilis & inconſtans eſt ejus conditio, ob fervorem

ſanguinis & ſpirituum,& tam difficilis exploratu,ut via aquilæ, ſerpentis & navis, quæ nullum poſt ſe relinquunt veſtigium. Notum enim, adoleſcentes in hoc æſtu ætatis in diverſa rapi, in ſingulas horas, diverſis affectibus diſtrahi, ut difficulter admodum vel inveſtigari, vel definiri poſſit quæ ſit eorum דרך *via*, vitæ inſtitutum & ſcopus. Quæ interpretatio facilis eſt & aperta. 2. Duo ſaltem ei obſtare videntur quæ non diſſimulabimus, tum quod עלמה alibi ſemper in Scriptura perſonam notet cum ætate, non ætatem ſaltem, tum quod גבר deſignare videatur virum jam confirmatæ ætatis, non puerum vel adoleſcentem, ſed validum robuſtum à גבר, ut Latinè vir à viribus, vel vires à viro, unde vt plurimum per ἀνδρα redditur à LXX. 3. Non deſunt verò interpretationes aliæ quibus locus hic eripi poteſt Iudæis, *Gaſpar Sanchez* Ieſuita arbitratur, ſenſum eſſe Sapientis, ſe ignorare viam viri בעלמה, hoc eſt, facilius inveniri in aëre viam aquilæ, in mari viam navis, quàm veſtigia virorum ad januam virginis illius, quæ nunquam ſe viris videndam offert, imò eos averſatur & fugit, ideoque eſt עלמה hoc eſt עלומה, id eſt abſcondita, ſed interpretatio hæc coacta videtur, & ſubtilior, quàm ſolidior. *Salmero* hîc myſterium quærit, & inquit, Sapientem hoc loco virginei conceptus, ut & partus Mariæ myſterium reſeraſſe, quod difficilius ſit cognitu viâ vel aquilæ, vel ſerpentis, vel navis, eo quod in illis omnib. ſciſſio aliqua detur & diviſio, in partu verò virgineo nullum prorſus veſtigium tranſitus, vel diviſionis remanſerit, uſque adeò, ut ſi ipſa mater negare voluiſſet ſe peperiſſe, non potuerit mendacij convinci. Interpretationem ſuam Salmero probat *Tract.* XXXI. 1. Salomonem de myſteriis ſimilibus in Proverbiorum libro loqui *cap.* VIII. de Filio Dei nomine Sapiētiæ, & *cap.* IX. de myſterio Euchariſtiæ. 2. Ea, quæ *capite* hoc XXX. pertractantur, vocari *viſionem*, id eſt, prophetiam quam locutus ſit vir cum quo eſt Deus, ut inde colligi poſſit, non tam hominem fudiſſe hoc oraculum, quàm Deum per Salomonem. 3. Iam *verſu* 4. antecedente mentionem fieri Filij Dei, *quod eſt nomen Filij ejus, ſi noſti?* Non mirum ergo videri debere, ſi Salomo hoc loco de admiranda ejus incarnatione loquatur. 4. Salomonis ſapientiam inſignem & eximiam præ aliis omnibus Regibus id ipſum exigere. 5. Sine hac interpreta-
tione

tione contradictionem necti posse inter librum Sapientiæ & Proverbiorum, quia quæ ibi notissima Salomoni videntur, hîc ut abstrusa & occulta proponuntur. 6. Hebraicum etiam cōtextum ostendere, sermonem esse de admirabilibus, sive admiratione dignis, quæ sint ἀδύνατα νοῆσαι, talia ergo intelligi debere, quæ excedant captum humanum, qualia sunt fidei nostræ Sacramenta. 7. Non obstare, quod ad literam non exprimantur à Salomone, satis esse parabolicè in libro Parabolarum indicentur, & re vera hoc mysterium magnum esse & inscrutabile, nosse viam verbi incarnati ex matre intemeratâ & illibatâ prodeuntis. 8. Ideò non dici, viā hominis vel adolescentis, sed viam גבר viri fortis, Christum enim talem fuisse statim à cōceptione. 9. Reliquas etiam vias allegoricè ad Christum posse accommodari. 10. Hoc optimè etiam respondere illi, quod extat *Esa.* LIII. *generationem ejus quis enarrabit?* Huic geminū esse, *& quartum penitus ignoro*, miraculi enim plenam fuisse viam viri in virgine, id est, conceptionem & nativitatem Messiæ absque semine humano, & absque ulla violatione virginei claustri. 11. Hanc interpretationem adhuc firmari posse authoritate Rabbini *Hakadosch*, qui floruit ante adventum Christi, & tamen hunc locum de mysterio Christi interpretandum docuit, teste *Galatino lib.* VII. de *Arc. Cath. ver.* Sed fatendum, sententiam hanc subtiliorem esse, quàm solidiorem, nec ita vexandam esse Scripturam, vel Iudæis eiusmodi interpretationes obtrudendas, quæ facili negotio ab illis possint eludi. Supponitur quin etiam falsum, Christum natum absque aperturâ matricis, contrarium ex *Luc.* II. & sacrificio à Maria oblato evidens est. Nec hæc apertio quicquam detrahit virginitati illius, utpote quam concubitus tollit, non partus. Alia longè ratio loci qui extat *cap.* VIII. ubi necessariò per Sapientiam intelligendus est Christus, ob prædicata, quæ de illa enuntiantur, quæ in nullam rem creatam cadere possunt. Allegorica etiam *capitis* IX. explicatio & applicatio locum habere potest. In citatione *c.* XXX. fallitur *Salmero*, secutus versionē vitiosam, quæ אגור malè reddit per *congregantem*, quod notat *congregatum* potius vel *collectum*, ut habet Caietanus, cum sit *Pahul.* Sic בן יקה reddit *Filium vomentis*, & hoc ineptè. Præter rem enim nomina propria cōvertūtur in appellativa, & ab-

ſurdę interpretationi abſurdiora quęruntur fundamenta. *Quirinus de Salazar*, Interpres cæteroquin non ineruditus, in omnes partes ſe vertit, ut ſalvet verſionem vulgatam, quod & alij multi ex Interpretibus Pontificiis ſatagunt, volunt illi Salomonem dici filium vomentis, id eſt Davidis 1. vel quia tantam Prophetici Spiritus vim hauſerit, ut Prophetias videretur quaſi evomere. 2. vel, ſecundùm *Hugonem* Cardinalem, quod filius fuerit Batſebæ, id eſt, *ſaturæ*, vel *exſaturatæ*, & voluptatibus ſatiatæ. 3. vel quod ſalivæ vomitu inſaniam olim ſimulaverit coram Achis. Hæc produxiſſe ſufficit, vix enim arbitror aliquem reperiri tam patientis ſtomachi, ut contorta hæc & cruda interpretamenta admittat. Nec *Mariana* melius in *ſcholijs, verba collecta* & *vomita*. Melius longè *Chaldæus*, qui nomina illa ut propria retinet.

Textus etiam Hebręus nō viſionem habet, ſed משא, quod latius eſt, quævis enim dicta divina poſſunt vocari משא q. accepta à Deo, etſi ſpecialiter alioquin prophetiæ oneroſæ *στηλιτευτικαὶ* & *ἀπειλητικαὶ* משא vocentur, ut oneroſæ, & Prophetis eas annuntiantibus, & ijs quibus annuntiantur, & משא, ſive *onus effectivè*, quia ſuum pondus habent, nec excuti poſſunt, vel eludi. Sequentia etiam in Textu Hebræo non reperiuntur ſed איתיאל & אכל quæ nomina propria ſunt, unde & in Thargum retinentur, quos ut ſocios, vel diſcipulos compellat Agur interrogatus ab illis, quod ipſum & initium verborum Agur innuere videtur: tametſi non ignorem nomina hæc allegoricè à quibuſdã de Chriſto accipi, quanvis fatendum, id fieri contortè, quoad nomẽ poſterius vel inprimis, prius enim reſpōdere poteſt *τῷ* עמנואל *nobiſcum Deus*, quaſi איתיאל ſit *mecum Deus*. Damus cæteroquin, majori probabilitate ad Chriſtum referri, quod ex *verſu quarto* citatur, ex uno tamen verſu ad alium conjectura ſaltem datur, non argumentum. Nec dubitamus de Salomonis ſapientiâ, fuit ſanè ſapientiſſimus mortalium Salomo, adeoque & gnarus myſterij hujus futuri, quatenus tum temporis illud & ſciri poterat, & neceſſarium erat, nulla tamen inde conſequentia ullis fidiculis duci poteſt, in hoc verſu hujus myſterij mentionem reperiri. Et perperam Salomoni attribuit *Salmero* verba quæ Agur protuliſſe legitur. Nec de *mirabilibus* ibi potius ſermo, quam de *oc-*

cultis

cultis, (*Hieronymus* reddit *difficilia*) verbum enim פלא in *Niphal* promiscuè utrumque designat, multa verò talia in naturâ, quæ ἀδύνατα νοῦνται, tale quid mysterium hoc esse non negamus, hîc de eo agi, negamus saltem. De גבר, h. e. viro maturo sermonem esse concedimus, & Christum talem fuisse postquam adolevit, etsi non statim post egressum ejus ex עלמה secundum humanam naturam, imò contrarium ex Scriptura evidens. Et ineptè Christum virum fuisse ab initio conceptionis suæ inde colligit *Cornelius à Lapide* in *c.* VII. *Esa.* quod perfectus fuerit omnibus potentiis animæ, ac membris corporis: si enim perfectionem illam intelligit, de potentiarum animæ, & membrorum corporis integritate, illa plerisq; infantibus cõmunis est, qui tamen ob id non vocantur גברים, si de exercitio potentiarum omnium, & plena conformatione membrorum corporis, qualis in adultis, falsum supponit, cùm per gradus, & modo consueto Christus adoleverit. Allegoricas reliquarum viarum expositiones, non est quod moremur, cum nihil absurdi ex propriis illarum interpretationibus consequatur, quæ proinde meritò præferendæ. Harmoniam verborum inter hũc locum, & illum qui extat *Esa.* LIII. dari fatemur, sensum eundem negamus, quasi uterque ex æquo ad Christum referatur, quod de loco Prophetico verum, de loco Proverbiorum falsum est, & precarium. Authoritas Rabbini etiam à *Galatino* adducti precaria est, & exigui ponderis. Nequicquam ergo *Salmero* sensum hunc vocat plenum, elegantem, & penè solum dignum, qui à sapientissimo diceretur, & qui à nobis, aliis neglectis, acciperetur, prout & frigidæ prorsus, & elumbes sunt applicationes verborum sequentium, ad *Evam*, vel *Synagogam*, quas ibidem attexit *Salmero*, partem illarum mutuatus à *Galatino*.

XIX. Quamvis verò interpretatio hæc rejiciatur, nõ desunt aliæ, commodæ admodum explicandæ sententiæ Sapientis. 1. Sensus hic esse potest: Difficile esse, nosse, hoc est, detegere congressum viri cum עלמה *Virgine* relatè ad tempus, quando conciliatur, eò quod clàm & nemine cõscio conciliari soleat, æquè ac peccata multa alia, quæ nocte & velo gaudent. Vt ergo & aquilæ, & serpentis & nauis motus vel accessus lenis, & sine strepitu, sic etiam occultę & clandestinę virorum at-

tes in seducenda illâ, quæ vel עלמה est, vel se talem esse profitetur. Etsi enim post congressum desinit esse עלמה, nihil tamen obstat, quominus ob statum antecedentem talis vocari possit. 2. *Vel* dici potest, Sapientem innuere, æquè difficile esse nosse, an illa, quæ domi latet apud parentes, verè sit id quod se esse profitetur, עלמה *Virgo*, nec sui copiam fecerit viro, ac nosse viam vel aquilæ, vel serpentis, vel navis. 3. *Vel*, difficilem admodum esse custodiam virginum, quod absconditæ sint & tectæ artes virorum, quibus illis insidias struant, ut & desideria eorum occulta sunt, quibus feruntur in virgines. Quasi eo ipso perstringat Sapiens lubricitatem sui ævi, & fornicationem regnantem. 4. *Salazar* probat hanc sententiam, æquè velocem esse decursum adolescentiæ, nec illã vel formæ, vel roboris prioris post se vestigium relinquere, prout & velox est trãsitus & imperceptibilis ferè, & aquilæ, & serpentis, & navis. Sed si עלמה *abstractivè* sumamus pro *adolescentiâ* LXX. interpretatio, quã suprà indicauimus, omnibus aliis præferenda est, ut plana magis, & minus intricata. Parum etiam probanda videtur expositio illorum, qui putant Sapientem velle, raram admodum esse conversationem virilem & maturam juvenis in adolescentia, quandoquidem ætas illa abest ordinariè à gravitate & maturitate virili. Quicquid sit, ex expositionibus supradictis evidens est, sine ulla absurditate עלמה loco allegato virginem designare posse. Nec est quod excipiat aliquis, congressum viri cum עלמה non esse *occultum* vel *absconditum*, eò quod cognoscatur & detegatur *à posteriori*, præterquã enim quod vitium sæpe latet, nec semper sequitur fœtus, potest id referri à Sapiente ad actum peccati, & intelligi de iis, quæ externo adspectu dignosci queunt. Et hoc optimè respondet iis quæ sequuntur, difficilem videlicet esse notitiam mulieris jam desponsæ & domum ductæ, an illa fidem marito servet, quando non saltem adultero clàm potitur, sed & frontem perfricat postmodum, & crimen suum strenuè mentitur.

XX. Ἔνςασις Iudæorũ inanis est, comparationem institui עלמה illius cum muliere adulterâ, adeoque & nomine illo fornicariã designari. Nã 1. Tametsi verba illa quæ *v.* 20. per σύ̈ζευξιν accipiãtur, hoc sensu cõparari possũt. Nõ minoris mo-

lis

lis esse, convincere mulierẽ adulterã & impudentem, cùm enim ea crimen suũ omnibus modis tegat,& pro matronâ castâ se venditet, nec deprehendi, nec convinci facile potest. 2. Imò per *βίαιον* hoc ipsum retorqueri potest contra Iudæos: Si enim עלמה ibi designaret meretricem, vel mulierem fornicariã, idem frustra repeteretur, imò collatio nulla daretur. Nec enim idem secũ, sed diversa inter se cõferuntur quà similia sunt, vel cõformitatẽ aliquam habent. 3. Demus etiam, quod non damus, corruptam designari per עלמה *Prov.* xxx. non integram puellam, annon per *κατάχρησιν* vel *εἰρωνικῶς*, vel *δοξαστῶς*, vel *συγχωρητικῶς*, illa talis vocari potest, quatenus se pro tali venditat, prout *justi* & *Dÿ*, & *sapientes* vocantur in Scripturâ, qui nihil minus sunt quàm tales, etsi tales esse videantur. Adde hoc prorsus *ἀνακόλουθον* esse, si *Prov.* xxx. vox עלמה semel designet puellam corruptam: ergo loco citato Esaiæ eandem illius vocis significationem locum habere; imò annon promptum erit instare, quia alibi, ubicunque hæc vox occurrit, virginem designat, ex plurium locorum collatione potius de ejus significatione judicandum esse, quàm ex unius solius sensu. Sic, ut bene observarunt *Porchetus Vict. contra Hebr. part. sec. cap.* xiv. & *Galatinus*, ter saltem scribitur עלמה in Scripturâ cum ה הידיעה *Gen.* xxiv. *Exod.* 11. & *Esa.* vii. ut ergo duobus locis prioribus virgo illibata designatur, sic & tertio. 4. Quin etiam, quàm absurdum, viam viri in potiendo scorto, & prostibulo numerare inter maximè occulta & abscondita, cùm à prostitutione apertâ *prostibula* talia dicantur, sed virgine potiri, quæ talis existimatur, & operosum magis, & magis occultum.

XXI. Ex his omnib. evidens est, quæ sit significatio vocis עלמה alibi passim ubicunque occurrit in totâ Scripturâ S. Opponimus ergo Iudæis præfractè id ipsum negantibus in Oraculi Prophetici expositione *Esa.* vii. 1. Originem vocis. 2. Vsum ejus in S. Scripturâ. 3. Authoritatem Interpretum, qui Iudæis suspecti esse nequeunt Thargumim & *Onkeli* & *Ionathanis* & *Versionem* LXX. 4. Rationem, quia promittitur à Prophetâ signum miraculosum, quale verò miraculum puellam ex congressu viri concipere & edere fœtum, an hoc quæso convenit verbis illis Prophetæ magnificis, *Dominus ipse vo-*

bis dabit signum? 5. Confessionem Iudæorum plerorumque עלמה non significare conjugem, significabit ergo vel virginem, vel scortum, si scortum, quale signum quæso scortum parere? Imò an hoc conveniens Majestati divinæ, partum scorti pro eximio miraculo allegare, & puero è scorto nato tam augustum nomen Immanuelis adscribere? Nec licebit illis excipere puellam virginem quidem designari per עלמה, sed quę *antecedenter* talis fuerit, non *consequenter*. Nã quale hoc signum erit, quod naturale, quod commune, quod ordinarium? Vnde *Chrysostomus Hom.* v. in Matth. ad antecedentia provocat, inquiens præcedere verba, ἰδοὺ δώσει κύριος αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον, & post subjicere Prophetam, ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει. Καίτοι, εἰ μὴ παρθένος ἦν ἡ μέλλουσα κύειν, ἀλλὰ νόμῳ γάμου τοῦτο ἐγίνετο, ποῖον ἂν εἴη σημεῖον τὸ γινόμενον; Τὸ γὰρ σημεῖον ὑπερβαίνειν δεῖ τὴν τῶν πολλῶν ἀκολουθίαν, καὶ ξένον εἶναι, καὶ παρηλλαγμένον, ἐπεὶ πῶς ἂν εἴη σημεῖον; 6. Possunt etiam urgeri Iudæi significatione vocis עלם quæ saltem cælibem in Scripturâ designat. 7. Sic & *Hieronymus* author est, linguâ Punicâ, quæ ab Hebræâ manat, עלמה virginem propriè designare. *Comment.* in Esa. *lib.* III. ad *cap.* VII.

XXII. Quin & tergiversatio & litigatio anxia Iudæorum de significatione vocis עלמה Christianis manifesto documento esse potest, de re illos convictos esse in conscientiis suis, Messiam nostrum natum esse ex virgine, cum adeò perviciter de voce contendant, alioquin cur non potius, prætermissa illa disputatione anxia, Mariæ virginitatem impugnatum eunt? Cur etiam Majores eorum, diligentissimi rimatores omniũ illorum, quę in ignominiam Christi vergere poterant, non hoc objecêre Marię, non Christo, & per Marię latus Christum petiêre? Cur Mariam non peregêre ream adulterij, vel fornicationis, fœminam præsidiis humanis destitutam, præsertim quia desponsa erat, adeoque integrum illis, eam secundum Legem, non saltem ad infamiam, sed & ad pœnam capitalem damnare?

XXIII. Si quæratur etiã, cur Propheta non fuerit usus voce vel בתולה vel נערה, responsio multiplex dari potest. 1. quod arbitrarium fuerit Spiritui S. quacunque voce uti, satis illa designet id, quod ille designatum volebat. 2. quia extraor-

traordinaria virginitas voce minus consueta & extraordinaria etiam designari debebat. 3. quia עלמה significationem habet & pleniorem, & perfectiorem, & multa simul notat, ætatem teneram, educationem secretam, & statum virginitatis, non corpore saltem, sed & oculis quasi intactæ ac illibatæ, adeoque in eo ipso ἐπίζασις quædam notatur virginitatis Mariæ, quod notavimus ex *Hieronymo*, qui etiam ejusmodi virginem vocat ἀπόκρυφον *Sic & Galatinus lib.* VII. *cap.* XV. tria esse Hebreis Synonyma dicit עלמה & בתולה, נערה, quorum unumquodque diversum quid designet: נערה vult solum ætatis respectum habere, & significare tam virginem, quàm corruptam, modò juvenis sit: בתולה saltem referri ad virginitatẽ, sive virgo illa sit adolescentula, sive non: עלמה verò duo illa *simul* complecti, & designare tum ætatem teneram, tum statum virginitatis. Sed tamen *Galatini* distinctio in Scriptura non observatur perpetuò, quia *Deut.* xx. virgo corrupta vocatur בתולה unde *Gen.* XXIV. ad בתולה additur, & *vir non cognoverat eam. Ioel.* 1. 8. fœmina lugens maritum vocatur בתולה. Vnde patet, cur voce עלמה potius quàm בתולה uti voluerit apud Esaiam Spiritus S. 4. Relinquimus Cabbalam *Rabbi Hakadosch*, qui è voce עלמה exsculpit nomen מרים Mariæ. Vixisse dicitur sub Antonino Imperatore, & in magna apud Iudæos authoritate fuisse. 6. Nec malè à quibusdam observatum, Spiritum S. voce עלמה obscuriore potius usum fuisse, quàm voce בתולה, ut Iudæi *viderent & audirent, & non intelligerent*, justo DEI judicio *Esa.* VI. 9.

XXIV. Hinc patet, non sine gravi causa adhibitam fuisse vocem עלמה, & magnam ejus esse emphasin. Vnde per fraudem redditur νεᾶνις *adolescentula*, à *Symmacho & Theodotione*, in favorem Iudæorum, cum hæc sit potius significatio vocis נערה. Sic & *Aquila* perperam ἀπόκρυφον *absconditam* interpretatur, nomine generali nimis. In quos meritò eo nomine invehitur *Irenæus lib.* III. *adv. Hær. Valent. cap.* XXIV. & illis opponit Versionem LXX. qui vixerunt ante tempora adventus Domini nostri, *ut nulla relinquatur*, inquit, *suspicio, ne fortè nobis morem gerentes Iudæi, nũc hæc ita sint interpretati*. Melius longè Syrus Interpres utitur voce בתולתא, etsi enim voce עלימתא uti potuisset, ut tamen ambiguitatem vitaret, &

ostenderet, de quali puellâ sermo esset, clariorẽ subjunxit. Si instent Iudæi, ה præfixũ voci עלמה designare ejusmodi personam, de quâ prius facta fuerit mentio, responderi facilè potest, 1. per *negationem.* 2. per *concessionem.* Per *negationem,* הידיעה ה non esse semper ἀναφορικὸν, sed δεικτικὸν sæpe, & designare ἐξαιρετόν τι in subjecto, cui præfigitur, quod hîc locum habet, q.d. Propheta, hæc est העלמה promissa olim, vel peculiariter κεχαριτωμένη à Deo. Vnde rectè L X X. ἡ παρθένος, *antonomasticè,* tametsi ad absentem, non ad præsentem referatur, nisi quà spiritui prophetico dicentis, & fidei audientium præsens fuisse statuitur. *Per concessionem* etiam responderi potest, omninò prius à Spiritu S. ejus factam mentionem, quando Messias *semen mulieris* vocatur *Genes.* III. non status, sed sexus causâ. Et hęc responsio solidior longè responsione *Porcheti,* qui *part. sec. vict. contra Hebr. cap.* XIV. *nomen articulatum,* העלמה, ut loquitur, refert ad locum citatum ex *Prov.* XXX. quasi jam ibi facta fuerit mentio Virginis illius, & viarum Domini, cujus via fuerit via *aquilæ,* quia descẽderit è cœlo ad peccatores velut cadavera corruptos, *via serpentis,* quia præfiguratus jam olim à serpẽte æneo, *via navis,* quia vita ejus variis tempestatibus velut in navi sẽper agitata & jactata fuit. Sed hæc subtiliora, quã solidiora, nec necesse nobis ad allegorias ejusmodi confugere, ubi solidè responderi potest. Non malè verò observatũ a *Calvino,* nullã fieri mentionẽ Viri ab Esaia: aliquid ergo inusitatum commẽdari à Propheta istic loci; extraordinarium etiam esse, quod denominandi filij jus matri transcribitur, id enim juris paterni potius in generatione ordinaria, & quando id officij à matribus præstabatur, fiebat id intercedente patrum authoritate, & consensu.

XXV. Non possum hîc silentio præterire, *Cornelium à Lapide* atrocem Calvino nostro injuriam facere, dũ illum *Comm. in cap.* VII. *Esa.* fingit negare 1. B. Virginẽ manentem virginem peperisse. 2. Christum post resurrectionem, clausis januis, ad discipulos introiisse. Neutrũ negat *Calvinus,* cũ utrumque clarissimis verbis in Scriptura tradatur, & impostorẽ agit Iesuita, dũ hæc affingit *Calvino,* nec enim in *Comm. Calvini,* sive in Esaiã, sive in *Harmoniam* quicquam ejus extat. Imò virginem per עלמה hîc à Propheta designari solidissimè utrobique Calvi-

nus

nus docet, etsi neget alibi, & meritò, Scripturam ducem secutus, Mariam sine apertione matricis peperisse, sed illâ virginitatem aboleri, falsum, quãdo fit per partum saltem, non verò per congressum viri. Sic, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *januis clausis*, ingressum Christum ad discipulos non negat *Calvinus*, sed negat saltem Christum ingressum διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, quia prius Scriptura docet, posterius fingunt Adversarij. Imponit ergo Lectori sive per fraudem, sive per inscitiam Iesuita, quando pro *Calvini* verbis hîc addit, *non convinci, B. Virginem manentem virginem concepisse, & peperisse Christum, quia hæc verba, Ecce Virgo concipiet, possint accipi in sensu diviso, non composito, q. d. quæ antea fuerat virgo, illa jam post copulam non virgo, sed corrupta concepit.* Opponit *Calvino* Iesuita Patres omnes, & inquit totam Ecclesiam credere firmiter, B. Virginem fuisse virginem tam in partu, & post partum, quàm ante partum. Frustra omnia, nec enim hæc negantur à *Calvino*, imò eruditissimè probãtur illâ ipsâ ratione, quam addit Iesuita, signum aliâs nullum futurum, si statuatur virgo corrupta concipere. Reliqua, quæ ibidem attexit de Eucharistia & penetratione dimensionũ, non attingo, quia aliena ab hoc loco & instituto nostro. Arcanũ verò Iesuiticum nobis prodit *Alcasar* in *Vestigatione* sua *in Apoc. in cap.* XIII. §. 3. inquiens *se Hæreticorum sententiam referre, ut fama & auditione accepit, & se nihil habere præter auditum.* Eadem fortè *Cornelij* gregalis consuetudo. Hæc Iesuitarum disputandi ratio, ex Magistrorum suorum relatione, & fide, de nostrorum Interpretibus & interpretatione judicium ferre, & stylum in nos stringere ex auditis. Si Calvino nostro excidisset, quod *Genebrardus* habet, *Ambianis in Francia contigisse, ut virgo pepererit sub Henrico II. Franciæ Rege*, (quod notat ipse *Cornelius à Lapide*,) næ quantas Iesuitæ tragœdias excitarent, & *Calvinum*, ut hostem mysterij incarnationis, acutissimis telis confoderent!

XXVI. Voce עלמה satis superque discussâ, & contra Iudæos assertâ, reliquæ Iudæorum argutiæ pari ratione sunt examinandæ. *Inquiunt Iudæi*, verba Prophetæ non ingenuè referri à Matthæo. Esaiam habere הרה in *præterito* וילדת in *Benoni*, Matthæum *futuro* uti ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν. Sic Esaiam dicere, puellam vocaturam esse nomen partus sui Immanuelem וקראת שמו & *vocabit*, scilicet העלמה nomen

ejus; Matthæum ſecundam perſonam ſubſtituere, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Sed nodum in ſcirpo nectunt. Nam 1. quid frequentius enallage temporum apud Hebræos, & converſione futurorum, & præteritorum, ac participiorum? 2. Fatemur Evangeliſtas noſtros non ſe adſtringere verbis Prophetarum, & ſæpe verſionem LXX. ſequi in gratiam Iudæorum Helleniſtarum, ſæpe ſatis habere ſenſum exprimere, quod notat *Hieronymus cap.* VII. *lib.* III. in *Eſa.* ſatis verò eſt, genuinam Prophetarum mentem ab illis explicari. Matthæus ergo hîc futuris utitur ex Verſione LXX. quam de verbo ad verbum ſequitur, niſi quod loco τοῦ λήψεται ſubſtituit τὸ ἕξει, quæ promiſcua: quid enim intereſt hoc loco inter ἐν γαστεὶ λήψεται, & ἐν γαστρὶ ἕξει? 3. Tametſi Propheta utatur verbis in *præterito*, & *Benoni*, quod deſignativum eſt temporis præſentis, ut oſtenderet eò magis certitudinem & rei, & cognitionis ac fidei ſuæ, & eandem illis imprimeret, quibuſcum loquitur, tamen revera de re futura agit, & non niſi poſt aliquot ſecula exhibenda. Vnde LXX. optimè verba illa per futura reddidere, & Matthæus cum illis. 4. Sic tametſi קראת hîc ſumi poſſit in *tertia perſona*, pro קראה, tamen nihil obſtat quominus ſumatur etiam in *ſecunda gen. fœm.* ſecundùm formam ordinariam מצאת ut per apoſtrophen referatur ad העלמה & ſic benè reſpondebit τῷ καλέσεις, quamvis eodem res redeat, etſi in tertia perſona ſumatur, & ſubintelligatur ſive Spiritus S. ſive domus David, aut aliud quid ſimile. De eo enim parum laborandum, ut & ſive καλέσεις, ſive καλέσουσι יקראו ex Hebraiſmo legatur. Sic in eo etiam parum ſitum, quod הרה ponitur pro הרתה per enallagen generis, exemplum ſimile habetur חיה pro חיתה *Exod.* I. 16. *& alia* multa paſſim.

XXVII. Vrgent quin etiam Iudæi partum, de quo Eſaias, *Immanuelem* vocari, filium Mariæ verò *Ieſum*. Nomen verò utrumque diverſæ eſſe & originis, & ſignificationis. Vnde non videtur impletum fuiſſe in Chriſto oraculum, imò implicari contradictio in probatione, partum Mariæ vocandum Ieſum, quia partus Virginis Immanuelis nomine debuit inſigniri. Obſervandum verò, nec hîc quicquam patrocinij eſſe impietati Iudaicæ, 1. quia æquipollentia ſunt nomina *Immanuelis*, & *Ieſu, non ſono, ſed ſenſu*, ut egregiè *Tertullianus lib. adverſus Iudæos*

dæos, ubi objectionem hanc & movet in persona Iudæorum, & dissolvit, inquiẽs, *non solùm sonum nominis expectandum, sed & sensum: sonum enim Hebraicum, quod est Emmanuel, suæ gentis esse, sensum autem ejus, quod est Deus nobiscum, ex interpretatione communem esse. Quæro ergo*, addit Tertullianus, *an ista vox Nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quo Christus inluxit, agitetur in Christo, & puto ex toto nõ negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volunt dicere, nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat jam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit, id est, nobiscũ Deus.* Addere possumus, in eo nomina illa solùm differre, quod nomẽ *Iesu* hoc loco συγκριτικῶς principaliter designet officium, secundariò personam: *Immanuel* principaliter personam, secundariò officium. Aliâs, eo ipso quo Christus *Iesus* est, h.e. *Salvator*, eo ipso etiam est *Immanuel* ratione personæ, quia nemo salvare poterat, nisi Deus & homo in persona. Idem talis ratione officij, quia Deum nobis, & nos Deo reconciliat. Tum enim Deus dicitur esse cum aliquo, quando ei propitius est, ut patet ex verbis Gedeonis. Est ergo Christus *Iesus* h.e. Salvator, & *Immanuel* simul, quia Salvator est per reunionem & reconciliationem nostri cum Deo, quod in Christo adimpletum ostendunt Angeli in Cantico suo *Luc.* II. 14. 2. quia τὸ קרא & τὸ καλεῖν in Scriptura non semper referenda sunt ad appellationem externam nominis, sed interdum ad efficientiam, interdum ad applicationem rei per nomen designatæ, & sic, hoc vel illo nomine hic vel ille vocandus dicitur, quia hoc vel illud nomen ipsi optimo jure competit. Sic *Luc.* I. 35. *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, ubi κληθήσεται idem quod יהיה erit. Sic *Esa.* I. 26. Deus de Hierosolyma, *posthac vocabitur* (Hierosolyma) *civitas justitiæ, civitas fidelis*, non utique quod vocanda esset hoc nomine, sed quod talis esset futura, ut meritò ita vocari posset. Sic *Esa.* VIII. 3. *Voca nomen ejus ad festinandum spolium*, &c. *Esa.* IX. 6. *Vocabitur nomen ejus admirabilis.* Ier. III. 17. *in tempore illo vocabunt Hierosolymam, solium Iehovæ.* Sic *Ier.* XXIII. 6. *Hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus justitia nostra. Zach.* VIII. 2. *Vocabitur Hierosolyma urbs veritatis, & mons Iehovæ exercituum, mons sanctus.* In hunc sensum *Chrysostomus* inquit *Hom. V.* in Matth. ἔθος τοῦτο τῇ γραφῇ, τὰ συμβαίνοντα

πράγματα ἀντὶ ὀνομάτων τιθέναι, οὐδὲν ὂν ἄλλο δηλοῖ τὸ καλέσουσιν Ἐμμανουὴλ, ἢ ὅτι ὄψονται θεὸν μετ' ἀνθρώπων. Vrget etiam *Chrysostomus* Iudæos nominibus ταχέως σκύλευσον, ὀξέως προνόμευσον, quæ capite sequenti symbolicè de eventibus sunt accipienda, ὅτι γεννηθέντος αὐτοῦ προνομὴ σκύλων ἐγένετο καὶ διανομὴ, διὰ τοῦτο τὸ ἐπ' αὐτοῦ πρᾶγμα συμβεβηκὸς, ὡς ὄνομα αὐτοῦ τίθησι, &c. Et hoc est quod Veteres opponũt Iudæis, *Author quæst. ad Orth.* & *Tertul. adv. Iudæos*, aliique, Prophetam ostendere voluisse, non quómodo Christus nominandus esset, sed qualis esset futurus, nimirum Immanuel verus, & quoad personam, & quoad officium, & quoad executionem ejusdem in familiari conversatione cum hominibus: Evangelistam verò utrunque conjungere voluisse, & quomodo vocandus esset Mariæ Filius, & quis esset futurus. Vide *Tertul.* de hoc nomine & ejus impositi causâ disputantem contra *Marcionem*. 3. Nomina ergo Christo imposita duûm generum sunt, quædam propria, διακριτικὰ, & personæ ejus δει-κτικὰ, quædam περιφραστικὰ & descriptiva sive personæ, sive officij Christi, qualia innumera occurrunt in Scriptura Sacra, v. g. *David, germen, admirabilis, consiliarius, pater futuri seculi, princeps pacis*, &c. Sine ulla ergo absurditate potest vocari Christus & Iesus, & Immanuel, & utrumque nomen *antonomasticè* ei convenit. Notandum verò Iudæos, quando nomen Iesu scribunt, non scribere יהושע nec ישוע, sed ישו simpliciter, idque per summum scelus, ut sic maledictione & anathemate obliquo illum feriant, alludendo ad id quod legitur *Psal.* cix.13. & subintelligendo ימח שמו ἐξαλειφθείη *deleatur* nomen ejus, prout sæpe solent vel apprecationes, vel imprecationes & affectare, & designare per allusiones similes.

Præter rationem verò, *Cornelius à Lapide* inter alias causas, ob quas Christus Immanuel vocari voluerit, etiam hanc adducit, quod jugiter nobiscum esse, & manere & versari voluerit in Eucharistiâ per realem generationem & productionem in altari media transsubstantiatione. Communionem fidelibus cum Immanuele in Eucharistiâ dari fatemur, modum *carnalem & absurdum* qualem somniat Iesuita, negamus, & pernegamus, ut &, hanc esse ex causis impositi Christo nominis.

XXVIII. Ex antedictis patet, meritò Matthæum in confirmatione partus virginei adduxisse locum Esaiæ, nec obstare cavil-

cavillæ Iudaicæ *ex verborum collatione* petitæ, optiméque ſibi reſpondere Ieſu & Immanuelis nomina, & unum per alterum probari. Reſtat examen *objectionum realium* petitarum ex applicatione & ſcopo. Hîc inſtant Iudæi, agi de ejusmodi partu, qui potuerit eſſe ſignum paulò poſt ſecuturæ liberationis Iudæorum à duobus Regibus. Ergo non debere applicari ad puerum poſt multa ſecula demum naſciturum. Imò natiuitatem pueri debuiſſe præcedere & liberationem Iudæorum à manu illorum, & illorum deſtructionem. Sic ſigna *Gedeoni* & *Ezechiæ* data, fuiſſe actu exhibita ante complementum promiſſionum.

Obſervandum verò 1. falsâ hypotheſi peccari à Iudæis, & peti τὸ ἐν ἀρχῇ, quaſi omne ſignum cõfirmativum debeat ſemper præcedere tempore, & complemento executionem actualem promiſſionum, quarum gratiâ ſigna offeruntur. Contrarium enim & *exemplis* Scripturæ, & *ratione* oſtendi poteſt. Exẽpla ſunt *Exod.* III. 12. *Hoc tibi ſignum, quod miſerim te, cum eduxeris populum ex Aegypto, ſervietis Domino in hoc monte.* At hoc ſignum demum impletum poſt eductionem populi. Sic 1. *Sam.*II.34. ſignum irati DEI denuntiatur Eli Sacerdoti à poſtfacto, occiſione videlicet filiorum, *Et hoc tibi ſignum, quod eveniet duobus filiis tuis, die eâdem morientur ambo.* Sic 1. *Sam.*X. 2. Samuel Sauli ſignum ſimile proponit. Sic *Eſa.*XXXVII. 30. Ezechiæ promittitur liberatio paulò poſt ſecutura, & tamen proponitur ſignum remotius, beneficium ſecuturum ipſam liberationem, præſervatio nimirum à fame, cujus poterat eſſe metus ob devaſtatam ab hoſtibus Iudæam. *Hoc tibi erit ſignum, comede anno hoc per ſe germinantia, & anno ſecundo ſponte naſcentia, anno verò tertio ſeminate, metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.* Quæ omnia ſanè non poterant impleri, niſi poſt obſidionem ſolutam demum, nec prius experimento cognoſci, & tamen producuntur לאות, æquè ac ſignum propoſitum Achazo. *Eſa.* VII. Sic 1. *Reg.*XXII. 25. Micheas Zidkijam convincere ſatagit, Deum ſecum locutum, ab eventu poſt ſecuturo, *Ecce videbis die illo quo ingredieris de cubiculo in cubiculum, ut abſcondas te.* Eâdem ratione adoritur Achabum *verſu* 28. *ſi revertendo reverſus fueris in pace, non eſt locutus Iehova per me.* Sic II. *Reg.*VII. 2. *tu id viſurus es oculis tuis, ſed ex eo non come-*

des, ubi pari ratione Elisæus Propheta fidem facit oraculo præsenti ex post facto. Tale signum etiam proponit Ieremias *cap.* XLIV. 29. *Et hoc vobis signum, ait Iehova, quod visitaturus sum vos in loco isto, ut sciatis* &c. *Ecce ego trado Pharaonem in manum hostium ejus.* Sic, annon in genere eventa jubentur esse signa διακριτικὰ Prophetarum verorum à Iehovâ missorum. *Deut.* XVIII. 21. 22. Sic mos Scripturæ frequens, à consequentibus fidem facere antecedentibus, unde Paulus *Act.* XXVII. ex eo quod sistendus esset Cæsari, concludit se in naufragio non periturum. *Ratio* etiam solida addi potest, cur id fiat? quia extremæ tum impietatis, tum pervicaciæ est, non credere Deo nisi visis signis *Matth.* XII. Et sanè hoc est Deum in censum hominum redigere, & vel veritatem, vel potentiam ejus in dubium vocare, siquidem diffidamus verbo ipsius, nisi signo præsenti fidem nobis fecerit eorum, quæ à nobis vult & credi, & expectari. Vt ergo ostendant reipsa Filij Dei, se plus Deo quàm hominibus fidere, S. Scriptura signorum futurorum promissione fidem illorum vult & confirmare simul, & simul exercere. Eandem ob causam in Scripturâ S. interdum argumenta ducuntur à præteritis ad futura, quia & hîc Deus discrimen statui vult inter se, & homines, quorum voluntas inconstans, fides lubrica, Dei verò voluntas ἀμετάθετος, fides fallere & falli nescia, beneficia concatenata, & ἀμεταμέλητα.

2. Distinguunt etiam quidam ex *Scholasticis* inter *signa* quæ vocant *prognostica*, & inter signa *rememorativa*, quorum illa antecedunt eventus promissos, ista sequũtur, & inquiunt, partum Virginis hîc proponi à Propheta, non ut signũ *prognosticum*, sed ut *rememorativum* saltem, ut pij inter Iudæos memores essent sub adventum Messiæ, & exhibitionem partus illius, Deum aliquando liberasse majores suos à manu duorum Regum, qui Iudæam invaserant, adeóque promissis suis re vera stetisse: Sed certum, Distinctione hac nodum hunc solvi non posse, quia ad illorum confirmationem Deus per Prophetam respicit, quibus in præsens loquitur, adeoque opus est, ut in signo proposito habuerint illi satis causæ, fidem Deo adhibendi de liberatione sui.

3. *Sanchez* arbitratur, futuram conceptionem & partum Virginis, non proponi in signum liberationis præsentis Iudæorum à

rum à Pekach & Rezin, ſed vice versâ, hanc liberationem proponi in ſignum conceptus & partus Immanuelis, q.d. Propheta, etſi Achaz indignus ſit minori beneficio, dabit tamen Deus & hoc, & majus, & ubi major Regis eſt impietas, ibi magis ſe exaltabit Dei miſericordia, & exhibebit Deus vobis promiſſæ liberationis complementum in ſignum alterius beneficij majoris, nimirum ſalutis ſpiritualis, quam afferet aliquando de virgine natus Immanuel, qui ex poſteris Achazi deſcendet. Locus parallelus *Eſa.* XXVIII.15. *quia dixiſtis, percuſſimus fœdus cum morte*, &c. *propterea ecce ego ponam in Sion lapidem angularem*. Tale quid *Ezech.* XXXVI. Secũdum hanc interpretationem Deus proponit beneficium præſens, ut ſignum majoris ſecuturi, quod ſubdit Propheta, dum inquit, *Ecce virgo concipiet*, &c. ut verba hæc uſque ad *verſum* 16. per genitivum exponantur, hoc modo, Deus hanc veſtri liberationem dabit vobis ſignum Virginis concepturæ, naſcituri Immanuelis &c. Sic *Sanchez* vult, Prophetam hoc ſignum explicare *verſu* 16. quia *antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra*, &c. q.d. ſignum, quod *verſu* 14. promiſi, ſic explico, *quia*, id eſt quod derelinquetur deſolata Syria & Samaria, dum vaſtabitur ab Aſſyriis, hæc enim vaſtatio erit ſignum naſcituri Immanuelis, qui vaſtabit Diabolum & ejus regnum. Interpretatio hæc ſubtilis eſt, ſolida non eſt, quia ex totius contextus collatione evidens eſt, Deum per Prophetam erectos & confirmatos velle Iudæorum animos de liberatione eorum à manu duorum Regum, & hac de cauſâ adducere ſignum conceptus & partus virginei.

4. Exiſtimant alij ad *objectionem* Iudaicam aliter reſpondẽdum eſſe, Achazum nimirũ putaſſe, imminere exitium totale & Iudææ, & domui Davidis, ſecundum comminationes propoſitas, *Deut.* XXIX. & *Ioſ.* XXIII. juberi vero eum à Propheta petere ſignum, quando Deus ita ſubverſurus eſſet Iudæam, illo verò, ut infideli, id ipſum recuſante, Prophetam ſubjicere ſignum, & docere, non vaſtandam vel excindẽdam penitus eſſe Iudæam, donec peperiſſet Virgo, &c. Hoc, inquiunt, inde confirmari, quod in Scriptura ſæpe ex ipſis reſponſionibus judicium ſit faciendum de quæſtionibus, cùm ergo dicat Propheta, non deſtruendam eſſe Iudæam, niſi poſtquam Virgo conceperit &

peperetit, interrogationem etiã eodem modo esse intelligendam. Sed & hæc solutio subtilior, quàm solidior, 1. quia Propheta loquitur non de evertenda Iudæa, nec de tempore illlus eversionis, sed de evertendis duobus illis Regibus, & regnis illorum, Syriâ nimirum & Samariâ. 2. quia tametsi Achaz metuerit sibi, & urbi, causa tamen illius non fuit consideratio minarum divinarũ à Mose vel Iosuâ promulgatarũ, sed saltem potentia hostium, & imbecillitatis suæ conscientia, protervus enim erat hypocrita, qui hærebat saltem in causis secundis. 3. quia totus contextus docet agi de signo liberationis præsentis è periculo imminente.

5. Probabilior est sententia illorum, qui arbitrantur vocem אות non esse urgẽdam, quasi proponeretur partus virgineus, ut signum propriè acceptum liberationis Achazi, tale enim signum nõ amplius polliceri Prophetam, eò quod Achaz id rejecisset, τὸ אות ergo hîc genericè notare rem aliquam novam & stupendam, indeterminatè, effectum aliquem insignem potentiæ & bonitatis divinæ, q.d. Propheta, Deus adeò beneficus futurus est in domum Davidicam, ut non saltem ei præstiturus sit promissionem à me enuntiatam de liberatione præsenti, sed & daturus aliquando beneficium majus, imò ingens & stupendum miraculum, & effecturus, ut virgo inter vos concipiat & pariat Messiam. In hanc sententiam propendet *Blasius Viegas* in *cap.* XII. *Apocal.* & *Barradas Tom.* I. *lib.* VIII. *cap.* 6. Hæc interpretatio nihil absurdi habet, & plana satis est, & facilis.

6. Simplicissima verò sententia est & solidissima, siquidẽ dicamus, Prophetam non petere argumentum confirmationis Iudæorum à signo, sed *ab exemplo simili*, vel potius à *minore ad majus*, si Deus vobis aliquando daturus est, quod majus est, quod difficilius est, quod stupendum prorsus & inauditum, ut virgo concipiat & pariat Immanuelem, de cujus promissionis complemento nemo est ex vobis qui dubitare velit, quanto magis Deus vobis daturus est, quod minus est, quod facilius est, nimirum ut liberemini à manu duorum Regũ, qui jam vos vexant. Quod quidem argumẽtum eò firmius erat, quod Messias debuerit nasci è domo Davidica, utique ergo illa non erat excindenda à duobus illis Regibus, quàm certa enim erat exhibitio Messiæ, tam certa erat conservatio & ordinatio omniũ

illo-

illorum,quæ ad illam requirebantur. Fine ergo posito extra omnem dubitationis aleam,de mediis,quibus Deus finem illum producturus erat, jubet eos certos esse Esaias, inter quæ media erat conservatio domus Davidicæ præsens à potentia & violentia hostiũ. Sic omnia optime fluunt,& cohærent inter se &nihil usitatius in Scriptura ejusmodi συναθροισμα per σύγκρισιν. *Esa.*XLIX.15. *An oblivisci potest mulier fœtus sui,ut non misereatur filij uteri sui,*&c.*tamen ego non oblivisear tui. Ier.*XXIII.25.26. *Si non erit pactum meum cum die & nocte,& si statuta cœli & terræ non posui, etiam semen Iacob & David servi mei abjiciam.* Sic Apostolus in simili collectione exultat, *Rom.*V.10. *Si cùm inimici essemus,reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus. Rom.*VIII.32. *Is qui proprio filio non pepercit,* &c. *quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Inde patet, quomodo partus ille virgineus potuerit fidem facere Achazo liberationis, paulò post secuturæ à duobus Regibus,nimirum,quatenus non solùm majus potentiæ Dei experimentum in eo essent habituri, sed etiam quia allegatio promissionis de Messia erat fundamentum conservationis domus Davidicæ,& certissimum in se,& tale respectu Iudæorum omnium, quæ tamen tum videbatur periclitari, & excindenda esse funditus, siquidem traderetur Hierosolyma in manus duorum illorum Regum infestissimorum. Probabile quin etiam,non sine gravi causa Spiritum Sanctum uti voluisse repetitione promissionis de Messia,ut sic Iudæi, & vel in primis λεῖμμα χάριτος residuum inter Iudæos, confirmaretur, per liberationem paulo post subsecutam, de promissione liberationis spiritualis per Messiã, cujus τύποι & ὑποδείγματα fuerunt liberationes carnales, & quam solam præcipuè inculcare ubique student Prophetæ. Nec novum per prædictiones rerum paulo post futurarum Prophetas sibi fidem fecisse eventuum remotiorum: Exempla sunt, 1. *Sam.* X. ubi Samuel asinarum Saulis repertionem prædicens, fidem sibi facit eorum, quæ de regno Saulis dixerat. Sic Daniel per explicationem somniorum *cap.*II. & V. assurgit ad ea quæ de Monarchiis *cap.*VII & de Messia *cap.*IX. proponit. Sic *Esa.*XI. prædictioni de excindendis Assyriis subjicitur Prophetia eximia, de virga preditura è trunco Isai,&c.

XXIX. Præter rem verò urgent Iudæi, *versu 16.* terram dici deserendam à duobus Regibus, antequam puer ille perveniat ad annos discretionis. Respondent aliqui, qui *versum 16.* ad Messiam etiam referunt, & saltem ad Messiam, per duos illos Reges, à quibus deserẽda sit terra, non tam intelligi Rezin & Pekach, quàm Herodem, & Obodam Regem Damasci, quorum typi fuerint Rezin & Pekach, & ideò Prophetam dicere, terram derelinquendam esse non à Regibus illis, sed *à Regibus suis*, q.d. Propheta, infesti illi erunt Iudæis excindere conabuntur Messiam natum, sed frustra, antequam enim ad annos discretionis pervenerit Messias, peribunt illi. Sed non opus est ut confugiamus ad solutionem illam, quæ & detorta, & aliena à mente & scopo Prophetæ, ostensum enim satis supérque in exegesi antecedente, *versum decimum sextum* distrahendum esse à duobus præcedentibus, nec ad Messiam pertinere, sed novam velut promissionem, vel prioris reiterationem continere, de liberatione Iudæorum è præsenti periculo, antequam vel *Sear-Iaschub*, vel pueri illi coætanei attingant annos discretionis & judicij. Peccatur ergo *Ignoratione Elenchi* à Iudæis, ut & *Elencho parium* in allegatione signorum, & promissorum, & exhibitorum sive Gedeoni, sive Ezechiæ. *Inst. Excipiunt* Iudæi *versum* 16. connecti per particulam αἰτιολογικὴν כי cum duobus antecedentibus. Sed *Responderi* potest, 1. *per negationem*, כי enim sæpe æquipollet particulis, *imò*, *certè*, *quin etiam*, & *asseverativum* sæpè est, non semper *causale*. 2. *per concessionem*, optimè etiam sibi omnia respondent, etsi τὸ כי sumatur in sensu *causali*, Immanuel educabitur frugaliter, nec obstabit hostium horum violentia, *quia* citò peribunt intra paucos annos, antequam etiam pueri nostri annos intelligentiæ fuerint assecuti. Et sic respondet Propheta ad tacitam πρόληψιν per ἀνθυποφορὰν, quid nobis allegas promissionem de Immanuele nasciturо in testimonium liberationis nostræ? Imò Regum illorum, qui nos premunt, furor tantus est, ut sit nobis pereundum, antequam ille exhibeatur. Quin potiùs, inquit Propheta, furor illorum non est futurus diuturnus, & tantum abest, ut periclitetur promissio illa, ut etiam infantes, & pueri nostri securè sint educãdi, &, antequam illi ad annos discretionis perveniant, excindẽdi duo Reges. Vnde causa patet, cur τὸ כי

utatur Propheta. Et ſic etiam ratio dari poteſt, cur Propheta nõ dicat: illi ſtatim vel brevi tempore peribunt, ſed de puerorum educatione ſermonem inſtituat. 1. Quia non paulò poſt, ſed tertio vel quarto demum anno ſequente erant deſtruendi. 2. Quia hoc optimè connectitur cum ſuperioribus, tantum abeſt, ut Reges illi complementum de nativitate & educatione pueri illius eximii prohibere poſſint, ut ne noſtrorum quidẽ infantium jam natorum frugalem educationem prohibere poſſint. 3. Quia ſic propheta obviam it ſolicitudini Iudæorum de liberis ſuis, qui illis potiſſimùm metuebant à rabie hoſtium: Bono animo eſtote, pervenient parvuli veſtri ad annos diſcretionis, & antequã illuc pervenerint, actum erit de Regibus illis, & virtus pueri illius ex העלמה naſcituri ſaluti erit filiis veſtris, quia eſt non ſaltem puer, ſed & אל גבור *Deus fortis*. Quod & re verâ adimpletum fuit, nam & infantes Iudæorum conſervati fuerunt, & Rezin ab Aſſyriis, Pekach ab Oſeâ ſublati tempore condicto leguntur.

XXX. *Inſtant* adhuc *Iudæi*, ſignum conceptus & partus non poſſe referri ad Ieſum Nazarenum, cum dicat Propheta expreſsè, *Deus dabit ſignum* לכם *vobis*, qui jam repudiatis gratiam oblatam, & qui tum veritatem, tum potentiam Dei de liberatione veſtri in dubium vocatis. At Iudæi illi ante ſecula aliquot extincti computruerant, antequam Ieſus Nazarenus exhiberetur, nõ ergo de illo ibi ſermo eſt. *Reſpond.* 1. peccari *falsâ hypotheſi*, proponi ſignum exhibendum illis, quos alloquitur Propheta, cùm ſcopus & ſenſus oraculi prophetici conſiſtat *in argumentatione à minori ad maius*, ut ſuprà oſtenſum, quę proponi poterat Iudæis tum præſentibus Prophetæ, etſi multis poſt ſeculis demum prophetia compleretur. 2. peccari παρερμηνείᾳ vocis לכם quæ non reſtringenda eſt præciſè ad illos, quibus cum loquitur Propheta, ſed ad id quod antecedit, nimirum בית דויד ad *domum Davidis* שמעו בית דויד, *audite domus David*, inquit Propheta. At ſanè, Meſſiâ exhibito, adhuc ſubſiſtebat domus David, ex quâ alii eum externis ſaltem oculis adſpexerunt, alii etiam oculis fidei, & viſione ſalutari. 3. Addi poteſt, Scripturam ſæpe multis ea promittere, quæ in poſteritate illorum demum complentur. *Gen.* XIII. 15. Abrahamo promittitur terra Canaan, quæ tamen promiſſio longo poſt tempore demum legitur ad-

impleta. Sic *Genes.* XXVII. 29. Iacobo promissum, illum futurum Dominum fratrum suorum, & tamen Esavus ipse nunquam subjectus fuit actu Iacobo, sed Idumæi saltem posteri Esavi, quando tempore Davidis subacti fuerunt: Et si personale dominium respiciamus & externum, utique Iacobus potius Esavo, quàm Esavus Iacobo se submisit. Quæ verò promissorum divinorum est ratio, eadem etiam est minarum divinarum. Sic *Gen.* X. 25. Maledictio Canaanis in posteris ejus demum impleta legitur, quando, expugnatâ terrâ sanctâ, Israelitis facti sunt vectigales Cananæi. 4. *Per συγχώρησιν* etiam & βίαιον retorqueri hoc potest contra adversarios, ponamus Prophetam dixisse, illis ipsis Iudæis exhibendum esse signum quod proponit, non tamen inde sequitur, signum illud non posse esse Iesum Nazarenum, tametsi multis post seculis demum exhibitus legatur, quasi verò virtus Messiæ non debuerit se extendere ad omnia secula, æquè ac ad illos, qui multis ante ipsum, quàm ad illos, qui multis post exhibitionem ejus seculis vixerunt. Et sanè exigua Messiæ utilitas foret, si illis saltem datus statueretur, qui sub exhibitionem ejus vixêre: quid enim tot myriadibus hominum fiet, qui felicia illa tempora non usurparunt oculis, sed vel diu ante exstincti fuerunt, vel nondum nati ipsius ætate? Et hoc ipso argumento crassa Iudæorum de Messiâ somnia absurditatis convinci possunt, qui Regẽ externum, & carnales sibi triumphos spondent, quale enim inde beneficium redit ad tot Patriarchas & Reges Sanctos, quibus diem Messiæ videre, & triumphantis currum sequi non contigit? Nobis Christianis res facilis est expeditu, qui cum Scripturâ S. meritum, & beneficium, ac virtutem Messiæ ad omnia secula extendimus, & novimus Christum esse *Agnum mactatum ante jacta mundi fundamenta, esse eundem heri & hodie, & talem futurum in secula*, Hebr. XIII. 8.

Instant Iudęi, illos quibus cum Propheta sermonem nectit, profanos fuisse, non ergo illis Messiam vel promissum, vel datum. *Respond.* בית דויד domum Davidis, nomen *collectivum* esse, *genericum*, *universale*, quod varia & diversa sub se complectitur individua, pios simul & impios, credentes & incredulos: non dubium enim, quin & tum residuum aliquod gratię superstes fuerit, cujus causa potissimùm Deus, & liberationem promisit à duobus

duobus Regibus, & adjecit potioris per Messiam aliquando obtinendę confirmationem. Vtrisque verò, & piis & impiis inter Iudęos, oriundis è domo Davidica, datus Messias, sed diverso respectu. *Piis*, ad illorum confirmationem & consolationem: *Impiis* ad illorum convictionem, ut inculcatione promissionis hujus solennis de Messiâ, vel flecterentur ad fidem & pœnitentiam, vel redderentur prorsus ἀναπολόγητοι, non adhibendo fidem huic revelationi, non magis quàm promissioni de sui liberatione à duobus illis Regibus. Vtrumque docet bonus ille Simeon *Luc.* 11. 34. inquiens, Christum positum esse *in casum & resurrectionem multorum in Israele*, imò in signum cui contradicatur.

XXXI. Inanis etiam & futilis est *instantia* alia, quam nectũt *Iudæi*, nec Achazum, nec Iudęos hoc vaticinium de Messiâ intellexisse. Nam 1. non cõstat ex textu, utrum intellectum fuerit, an secus, eâdem igitur facilitate id affirmari potest, ac negari. 2. *Pecc. fall.* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quasi verò Achazi, & impiorum Iudæorum intellectus mensura foret veritatis Propheticę, & non scopus potius, & verba Prophetæ? 3. Satis etiam, pios inter Iudæos oraculum illud intellexisse, quibus, & in quorum gratiam vel maximè propositum fuit, neque enim ad Achazum verba dirigit Propheta, sed ad domum Davidis, in quâ boni erant permisti malis. Quò etiam referri potest complementum à Zacharia decantatum. *Luc.* 1. 68. 69. *Benedictus Dominus Deus Israel quod inviserit, & redemerit populum suum, & erexerit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, prout locutus est per os sanctorum Prophetarum suorum, &c.*

XXXII. Vrgent quinetiam Iudæi *versum* 15. & inquiunt, puerum, de quo vaticinatur Esaias, debuisse melle & butyro educari, non constare verò an Iesus Nazarenus hoc modo enutritus fuerit. Sed & hæc argumẽtatio inanis est. 1. quia per βίαιον à Iudæis peti potest, unde illis constet vel *Sear-Iaschub* filium Prophetę, vel Ezechiam, vel filium alium Achazi, vel quemcunque demum puerum butyro saltem & melle fuisse educatum, potius quàm Christum. Eadem ergo illis difficultas solvenda. 2. Quia peccant manifesta παρερμηνεία phraseως, ineptè enim vexant verba, & literę adhærent, sensu prętermisso. Atqui descriptio illa Prophetæ revocanda est ad suum genus, nec enim ver-

bis illis aliud quid innuitur, nisi puerũ illum, etsi miraculosè cõceptũ & natum, consueto tamen more educandũ, cibis cõmunibus & ordinariis nutriendũ, quales erant inter Iudęos butyrum & mel, quæ infantibus solebant exhiberi, tum quia cibi dulces & pingues maximè grati esse solent illi ætati, & ab eâ appeti, tum quia abundabat Iudæa & pecore & fauis mellis, quorum copia ubique, ut ex Ionathanis historia evidens est, obvia erat, unde *terra Canaan* adeò frequenter dicitur in Scripturâ *fluere lacte & melle*, quod tamen *synecdochicè* accipiendum, & ad quasvis etiam delicias extendendum.

XXXIII. Explodendæ verò sunt ineptæ & joculares *Scholasticorum* allegoriæ, quas ex verbis Prophetæ, & ex hac educationis puerilis descriptione nectunt. *Salmero* butyrum & mel ad duas Christi naturas refert, & innuit per mel designari Deitatẽ, & ideò mel prohiberi in sacrificiis, quia Divinitas non possit esse hostia, sed id cui ea offertur: sic nos prohiberi de melle multùm comedere, eo quod, qui scrutator est Majestatis, opprimitur à gloriâ. Sic butyrum refert ad humanitatem ejus suavem & innocentem. Dilutum etiam est & jejunum, quod *Abulensis* habet, voluisse hoc ipso indicare Prophetam, Christum, quà hominem, futurum valde prudentem & intelligentem, ad hujus indicium addi esum mellis & butyri, quæ soleant homines facere valde acutos & intelligentes, quod cucurbitis persuadebit homo acutus, tametsi idem commentum lepidum *Ioannes Huartus* Medicus in *Examine ingeniorum* propugnet, quasi verò τὸ לדעתו τελικῶς accipiatur, vel *effectivè*, & non potius *consecutivè* saltem & *eventualiter*, quod expresè habet *Chaldæus*, עד לא ידע *priusquam sciat*, &c. Sic ineptissimum est, quod *alii* ex Interpretibus Pontificiis volunt, verbis illis notari Christum æquè ac alios infantes futurum obnoxium morbis infantilibus, eò quod quando pueri solent dentescere, illis affricentur mel & butyrum. Sic non melior est allegoria illorum, qui volunt his verbis symbolicè alludi ad conditionem B. Virginis, quod nimirum esset futura & virgo, & mater, matris enim symbolum esse lac, ut signum & effectum fœcunditatis, virginis mel, eò quod mel ab apibus confletur, quæ semper sint virgines, & sine conjunctione corporum generent, ideoque etiam de Mariâ dici *Cant.* IV. II. *mel & lac sub lingua ejus esse.* Sunt hæc omnia commenta

mēta hominum otiosorūm, qui in argutationibus ejusmodi subtilitatis laudem, velut laureolam in mustaceis, venantur. Melius paulò illi, qui verbis illis Christi sapientiam, suavitatem & innocentiam designari volunt, eò quod mel sit symbolum sapientiæ. *Prov.* XXIV. 13. 14. lac innocentiæ. Vnde *Homerus* viros innocentes vocat γαλακτοφάγες secundum *Clementem Alexandrinum Pædagog. l.* 1. *c.* VI. Sic alii inferūt, doceri loco illo, quomodo in Ecclesiâ sint alendi infirmi, nimirū lacte & melle 1. *Cor.* III. *Hebr.* V. Solidiùs longè inde duo alia inferri possunt. 1. Messiam educandum non saltem cibis ordinariis, sed & tenuibus, cum enim Iudæa abundaret lacte & melle, vel tenuissimæ sortis homines inter Iudæos cibis ejusmodi poterant nutrire liberos suos: eo ipso ergo quo Christus dicitur comesturus mel & butyrum, innuitur tacitè, cum nasciturum ex matre redactâ in statum tenuem & exilem, à quâ more communi sit alendus & tenui, donec ad maturiorem ætatem perductus nôrit scientiâ quoque acquisitâ & experimentali discernere inter bonum & malum, eligere illud, reprobare istud. 2. Inde etiam colligi potest, ut per nomen Immanuelis divina Messiæ natura significatur, quod Deus sit adfuturus nobis, quia עמנו *nobiscum* futurus, non contra nos, sic per educationem consuetam inter homines designari ejus humanitatem, cum non habiturum corpus aliquod phantasticum, non indigum cibis, quod somniarunt olim *Manichæi*, sed verum, infirmitatibus nostris obnoxium, & nutrimenti consueti indigum.

XXXIV. *Instant Iudæi*, complementum vaticinii Prophetici circa tempora Prophetæ exhibitum fuisse, eò quod Propheta dicat *cap.* VIII. sequente, *versibus* 3. & 4. se congressum esse cum Prophetissâ, eámque concepisse & peperisse filium, & addit, quum *nondum noverit*, vel, *antequam noverit puer hic proferre, pater mi, aut mater mea, auferetur opulentia Damasci & præda Samariæ coram Rege Assyriæ.* Sic *versu* 18. *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Iehova in signa, & in ostenta apud Israelitas. Resp.* Ἔνςασιν hanc, quæ in speciem maximè videtur favere Iudæis, duplici potissimùm modo dissolvunt Christiani Interpretes. 1. Quidā arbitrātur secuti *Irenæum, Epiphaniū, Athanasium, Basilium, Hieronymū, Augustinū, & Ambrosium*, aliosq; complures ex Cōmentatoribus, hunc ipsum locū literaliter, de Messiæ conceptione & partu explicandum esse.

Rationes horum Interpretum potissimæ hæ sunt. 1. Quia optimè hic sensus, respōdet & *antecedentibus*, & *consequentibus*. *Antecedentibus*, Nam cum *cap*. VII. 16. dicatur, *Antequam sciat puer ille reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum suorum:* Hîc aliis verbis idem eodem sensu repeti videtur, *antequam sciat puer vocare, pater mi, & mater mea, tolletur robur Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assur. Consequentibus* etiam respondere videtur, quia *versu* 8. nomen *Immanuelis αὐτολεξεὶ* repetitur, & eidem puero attribuitur. 2. Quia prædicata talia adscribuntur eidem, quæ non possunt convenire filio Prophetæ, nam *versu* 8. vocatur *Immanuel*, & *extensio alarum ejus*, videtur dici *plenitudo latitudinis terræ*. Ille ipse puer *versu* 4. dicitur accepturus *fortitudinem Damasci* & *spolia Samariæ*, secundum textum Hebræum, & versionem LXX. quod sanè non poterat competere filio Esaiæ, sed soli Messiæ. Nec nomina illa *Maher-schalal, & Chasch-Baz* eidem conveniunt, cum effecta designata illis nominibus ei non competant. 3. Quia ratio Chronologica videtur id ipsum exigere; cum enim regnum Samariæ eversum fuerit, anno demum sexto regni Ezechiæ II. *Reg*. XVIII. 10. non constarent sibi verba Prophetæ, quæ asserunt id esse destruendum, antequam puer ille patrem aut matrem compellare possit; at si de filio Esaiæ tum nato hîc sermo foret, attigisset ille ætatem longè provectiorem, decimum sextum ad minimum annum ante destructionem Samarię, cum hęc dicta videantur sub annum tertium vel quartum regni Achazi. 4. Accedit ratio alia Chronologica à nomine Zachariæ filii Barachiæ, qui hîc testis adducitur ab Esaiâ, & tamen ille CLXX. annis posterior fuit Esaïâ, ut qui prophetavit demum post solutam captivitatem Babylonicam, 5. Sic cum Vrias etiam infidelis fuerit, & idolorum cultor, non videtur fuisse adhibendus ad testimonium perhibendum rei adeò sanctæ & eximiæ. 6. Sic absurdum planè, & parum honestum videtur, Esaiam cum uxore testibus aliquot præsentibus congressum fuisse, quod tamen dicendum, si verba illa literaliter, & de filio Esaiæ exponenda sint. 7. Non constat uxorem Esaiæ fuisse Prophetissam.

His rationibus adducti Interpretes multi arbitrantur, hæc omnia in visione contigisse, & immediatè & litteraliter ad Messiam

ſiam referenda eſſe, & per Propheticiſſam intelligendam B.Virginem,quæ Propheticiſſa dicatur,tum quia prædixerit ſe ab omnibus gentibus Beatam deprædicandam, tum quia genuerit ſummum Prophetam Chriſtum, tum quia ſanctam & religioſam prorſus vitam exegerit,ut ſenſus ſit verborum Eſaiæ: in viſione oſtenſa mihi fuit virgo Maria,prophetiſſa eximia,& indicatum mihi,ut ad eam accederem,illam enim mihi explicaturam nomina illa obſcura,*Maher-ſchalal,& Chaſch-Baz.* Adii ergo illam, & vidi per ſingularem Spiritus S. inumbrationem eam concipere,& parere *Immanuelem*,cui nomina illa propriè conveniunt.Et ſanè puer hic alius longè & virtutis, & conditionis videtur ab aliis pueris, antequam enim fari incipiat, jam prædam aget,& extorquebit ab hoſtibus ſuis, Regibus Damaſci & Samariæ. *Alii* hæc ad Deum referunt,non ad Prophetam, quaſi dicat ille Prophetę,adhibebo mihi teſtes fideles,& accedam ad virginem Mariam,& concipiet, & pariet filiũ, &c. qui deſtructurus eſt hoſtes ſuos. Iidem Interpretes huc quoque referunt *verſ.* 18.q.d. Propheta,ſicut ego & diſcipuli mei,quos Dominus mihi adjunxit, habemur jam pro ſignis & portentis, eò quod non ſequamur corruptos populi mores, & ea prophetemus, quæ ingrata ſunt auribus hominum carnalium, ſic Chriſtus, & Apoſtoli ac diſcipuli eius, videbuntur eſſe portenta & monſtra Iudæis,ob novitatem doctrinæ,ſimplicitatem,humilitatem & alia id genus.

XXXV. Tametſi verò ſcopus horum Interpretum pius ſit, & ſenſus ſpecioſus, tamen non poſſum à me impetrare, ut illi ſubſcribam.Rationes ſunt,1.Quod interpretatio hæc contorta ſit,& violenta,ſive in viſione hæc Prophetæ propoſita videatur, ſive ſtatuantur eſſe verba Dei de hoc myſterio loquentis ad Prophetam,& ſic Iudæis ampla cavillandi materia relinquitur: abſurdum enim prorſus, ſtatuere,ſive prophetam in viſione, ſive Deum acceſſiſſe ad B.Virginem,notum enim quid ſit *accedere ad Virginem*, ex Hebraiſmo, cum vel inprimis ſubjiciatur *& concepit,& peperit filium.* 2. Quia cauſæ nihil eſt, cur à literali ſenſu diſcedamus, eo enim ſalvo, ſalva nihilominus res eſt de Meſſiâ, nec quicquam inde pro impietate Iudaicâ inferri poteſt. 3. Quia ſine causâ Zacharias & Vrias teſtes hujus rei producerentur potius, quàm alii, cum iſte vates ſacer non fuerit,

ille vates quidem & sacer, sed non solus vel præcipuus in designandis mysteriis quæ Messiæ conceptionem & nativitatem concernunt. 4. Quia Christus non triumphavit de hostibus suis, antequam sciret loqui, sed postquam ætate maturâ cruci affixus fuit, & in eâ & mortem & Sathanam devicit. 5. Quia hîc sermo specialis de destructione Damasci & Samariæ, quæ duo regna non magis à Christo destructa, quàm quævis alia. 6. Imò destructio hæc non Immanueli, vel puero nato, sed Regi Assyriorum adscribitur sive copiis ejus.

XXXVI. Simplicissimus ergo sensus verborum Prophetæ est, Deum voluisse, *capite octavo*, novo symbolo regnorum Syriæ & Samarię destructionem populo incredulo & pervicaci designare, & puero ex Prophetâ nato nomen symbolicum imponere, quod ante volumini inscribi voluit, ut quemadmodum per nomen *Sear-Iaschub* admonebatur de residui sui conservatione, sic per nomina *Maher-Schalal & Chasch-Baz* persuaderetur de destructione celeri suorum hostium. Historica ergo sunt illa, Prophetam cognovisse conjugem suam, ex eâ suscepisse filium, illi imposuisse nomina illa, æquè ac superiora de volumine, inscriptione & testibus adhibitis. Quod symbolum etiam *versu sequẽte* exponitur *quænam præda* esset diripienda? prędа nimirum Damasci & Samariæ. *à quo?* à Rege Assyriorum. *quando?* priusquam sciat puer ille compellare patrem & matrem. Sic optimè omnia fluunt, & cohærent inter se, & frustra Iudęi nobis hæc opponunt: de alio enim conceptu & partu hîc sermo est, de alio *capite* VII. *versu* 14. utpote cui 1. nomen imponitur diversum, ille vocatur *Immanuel*, iste vocatur *Maher-Schalal, Chasch-Baz*: 2. ille constituitur symbolum conservationis Domus Davidicę, iste symbolum destructionis Damasci & Samariæ: 3. ille dicitur filius העלמה *virginis*, iste filius הנביאה *Prophetissæ*. Vnde etiam *versu* 8. Immanuelis nomen repetitur post minas effusas contra Regnum Iuda, Assyrios videlicet, destructis Damasci & Samarię Regnis, etiam Iudæam invasuros esse, & terram Immanuelis. Si verò Immanuel sit idem cum *Maher-Schalal* vel *Chasch-Baz* ex sententia Iudæorũ, & hic sit filius Esaiæ, quâ ratione terra Iudæ vocatur *terra ejus?* cum nullum in eâ dominium vel imperium obtinuerit, & tamen Dominus legitimus Iudææ constituatur

tuatur à Propheta. Quî etiam idem prędicatum cõpetere poterit alii, pręterquam Meſſiæ? *cujus principatus amplitudini nullus finis. Eſa.* IX. cum tum temporis, ſub devaſtationem Iudeę à Sanheribo, nullius mortalium præter Ezechiam Iudęa fuerit terra: dominium ergo potius ſpirituale & æternum verbis illis Meſſię deſignatur, qui ſpeciali ratione Dominus Iudææ, & populi ſui vocatur, & qui reverâ opem tulit Ezechiæ contra Sanheribum. Diſtinguitur ergo manifeſtè *Immanuel* de quo *verſu* 14. *capitis* VII. & *verſu* 8. *capitis* VIII. à puero nato ex Propheta & Prophetiſsâ ſub initium *capitis octavi.*

Rabbi *David Kimchi*, evidentiâ rei coactus, fatetur Immanuelem eſſe filium Achazi; at ſi Achazi, ergo non Eſaiæ, de cujus tamen filio diſertè agitur initio capitis, adeoque diverſi ſunt filii hi, quamvis ſupponat idem, non probet, Prophetam tantum fuiſſe locutum de filio naſcituro ex Achazo, quod falſum.

XXXVII. *Verſum* 18. quod attinet, nec ille quicquam facit pro Iudæis. Senſus enim evidens eſt, Prophetam, poſtquam hortatus eſſet Iudæos ad conſtantem fiduciam in promiſſionibus Dei reponendam, illis ſuum exemplum proponere, ſe conſtanter expectaturum Dominum, & ſperaturum in eum unà cum filiis ſuis, *Sear-Iaſchub, & Maher-Schalal*, quos Deus ipſi dederat, ut nominibus ſuis portenderét, & deſignarent tum conſervationem piarum reliquiarum inter Iudæos, tum deſtructionem propinquam regnorum Damaſci & Syriæ, adeoque certum eſſe, rem nominibus illis deſignatam eſſe adimplendam. Nec obſtat quod verba illa *Heb.* 11. 13. applicentur ad Chriſtum ab Authore Epiſtolæ, & ad fideles, fit enim id per *typum* vel *accommodationem myſticam*, quia Eſaias & filii typum geſſerunt Chriſti, & diſcipulorum ejus. Præterquam enim quod nomen Hebræum ישעיהו affine eſt nomini Ieſu, diſcipuli Chriſti ſunt reliquię fidelium, qui ſpolia abſtulerunt à mundo & Sathanâ, & habiti fuerunt pro portentis & ſignis in Iſraele, æquè ac Eſaïas & filii ejus, & quemadmodum filii illi à Deo erant dati Prophetæ, ſic & diſcipuli Chriſti illi dati fuerunt à patre. Et ut Eſaias cum filiis ſuis firmâ fiduciâ in ſolum Deum recubuit, ſic & Chriſtus & diſcipuli ejus. Addi poteſt conformitas miniſterii Prophetæ & filiorum, & Chriſti & diſcipulorum in promiſſionibus & minis

Dei inculcandis. Hæc ſufficere poſſunt citationi verborum Propheticorum & declarandæ & vindicandæ, quorum penitior expoſitio aliò pertinet.

XXXVIII. Rationes verò illorum, qui immediatè ad Chriſtum referunt verba Prophetæ, & ea literaliter de eo exponunt, ſpecioſæ ſunt, ſolidæ non ſunt. *In* 1ª. ſuponitur falſum *verſum* 16. *capitis* VII. ad Meſſiam referri debere: contrarium ſuprà oſtenſum. Damus cæteroquin, convenientiam aliquam eſſe in ſenſu. Prius dixerat Propheta, terram eſſe deſerendam à duobus Regibus, antequam illi, qui tum pueri erant inter Iudæos, ad annos diſcretionis pervenirent. Idem hîc iteratur, & per novum ſymbolum filii recens nati confirmatur, futurum, ut puniantur illi intra paucos annos, antequam puer ille *Maher-Schalal* adoleverit. Sic falſum ſupponitur, & petitur τὸ ἐν ἀρχῇ *Maher-Schalal* eundem eſſe cum *Immanuele*, de quo *verſu* 8. *capitis* VIII. Contrarium ſuprà oſtenſum, & rationes negationi adjectæ. Vnde concidit 2ª. ratio, nec enim filii Eſaiæ dicitur eſſe terra, vel ipſe dicitur accepturus fortitudinem Damaſci, tum quia τὸ ישא *imperſonaliter* poteſt ſumi, vel *paſſivè*, auferetur fortitudo Damaſci, tum quia etſi referatur ad filium Prophetæ, abſurdum non eſt, ſigno & ſymbolo id aſcribere cui deſignando adhibebatur. Annon Prophetę ſæpe dicuntur *plantare*, *excæcare*, *aggravare*, quæ illi plantanda, deſtruenda, aggravanda, excæcanda vaticinantur? Sic *Sear-Iaſchub* nomen filio Prophetæ *ſymbolicè* impoſitum. Sic dici poterat, filium illum alterum ablaturum fortitudinem ſive robur Damaſci, quatenus portendebat illud iri ablatum, & id *ſymbolicè* nomine ſuo deſignabat. Nec 3ª. ratio magni momenti, quia paulò poſt natum illum puerum, ſubactâ Damaſco, Tiglath-Pileſer dicitur invaſiſſe regnum Iſraelis, varias urbes & provincias vaſtaſſe & occupaſſe, & abduxiſſe ingentem populi multitudinem in Aſſyriam II. *Reg*. XV. 29. Cum enim hoc vivente adhuc Pekach Rege Iſraelis contigerit, non potuit non ſub tertium annum Achazi accidiſſe, ut qui decimo ſeptimo demum anno regni Pekach regnare cœpit, nec Pekach ultra triennium amplius ſuperſtes fuiſſe legitur. Huc accedit & illud quod etſi tum non fuerit everſum penitus Samariæ regnum, ſufficit illud graviter fuiſſe concuſſum. Neque enim Propheta loco prædicto vaticinatur de totali regni Iſraelitici excidio

cidio, ſed ſaltem inquit, *ſpolia Samariæ diripienda* eſſe, notum verò, Samariam regni Iſraelitici caput eo ipſo ſpoliatam judicari, quo provinciæ & urbes multæ Samariæ metropoli ſubjectæ ſpoliatæ fuerunt. Vide I. *Par*.v.26. ubi quinque ferè tribus è regno Iſraelitico tranſportatæ leguntur. Nec novum in Scriptura id dici fieri; quod incipit fieri, aut quod cæptum eſt fieri. Exempla ſunt *Dan*.IX.2. *Ier*.XXVII. *Zach*.I.12.& alibi. Ad IV^am^. reſponderi poteſt cauſæ nihil eſſe, cur per Zachariam hîc intelgamus Prophetam illum qui vaticinatus fuit demum ſolutâ captivitate, nec enim vel Propheta vocatur, vel ut Propheta deſcribitur, nec ex conformitate ſive nominis proprii, ſive nominis Patris ſolidè concludi poteſt eundem prorſus fuiſſe Zachariam. Nihil enim obſtat, quo minus duo filii cognomines, habeant patres etiam cognomines. Exemplum ſuprà vidimus in duobus Zorobabel filiis duorum Salathiel patrum, qui tamen diſtincti, cum unus à Davide deſcendat per lineam Nathanis, alter per lineam Salomonis. Sic I. *Reg*.XV.2. Mahaca vocatur filia Abſalomi, quæ mater Abijam, & Aſæ mater etiam nominatur Mahaca filia Abſalomi. Imò hîc Zacharias non vocatur filius *Berachiæ*, ſed *Ieberechiæ*, unde probabile fuiſſe ſocerum Achazi, avum maternum Ezechiæ, de quo II. *Par*.XXIX. I. Ad V^am^. reſpondemus, ſupponi non probari, Vriam tum fuiſſe vel infidelem, vel idolorum cultorem, nihil enim tale adhuc ab eo patratum, ſed poſt demum, expugnatâ Damaſco à Rege Aſſyriorum, quando exſtruxit altare altari Damaſci ſimile. Et tametſi hypocrita eſſet, ſummus tamen Sacerdos erat, adeoque in ejuſmodi dignitate conſtitutus, quæ magnum pondus teſtimonio ejus addere poterat. Vnde non mirum, eum fuiſſe delectum à Propheta ad perhibendum teſtimonium vaticiniis ſuis, & actionibus à Deo ipſi imperatis. Et veriſimile Zachariam illum alterum teſtem etiam in authoritate fuiſſe conſtitutum. Et quamvis illi vocari videantur עדים נאמנים *teſtes fideles*, τὸ נאמנים potius ad authoritatem perſonarum quàm ad probitatem earum referendum videtur. Sic נאמן à LXX. interdum per ἀξιόπιϛον verti ſolet. Ad VI^am^. reſpondemus, falſum denuò ſupponi, teſtes illos adhibitos fuiſſe ad congreſſum Prophetæ cum uxore, cum illi ſaltem adhibiti fuerint ut teſtimonium perhiberent deſcriptioni nominum illorum

in volumine illo ingenti, & vaticinio Prophetico de secuturā brevi destructione regnorum & Regum illorum, adeóque & gloriæ Dei, postquam id eventu ipso esset comprobatum. Ad VII^am dici potest non absurdum esse, vxorem Esaiæ vocari הנביאה prophetissam, tum quia uxor Prophetæ fuit, tum quia in partu hoc Prophetico & ominoso edendo, non privatam sustinuit personam, sed publicam.

XXXIX. Vltimus Iudæorum aries, quo approbationem oraculi Prophetici impetunt, hic est, *in puerum de quo loquitur Esaias cadere ignorantiam: At ex sententiâ Christianorum tale quid in Iesum Nazarenum nō cadere, adeoque eum hic non intelligendum esse.* Verùm obiectio hęc nō nos ferit, sed Pontificios, & alios quosdā qui volūt animā Christi inde à primâ sui creatione ita repletam fuisse scientiâ, ut nihil vel nesciverit, vel didicerit post. Vide *Bell. lib.* IV. *de Christo capit.* I. II. III. IV. V. Torquent illi, vt se nodo hoc expediant, miserè verba Prophetæ, & modò τὸ לדעתו interpretantur *quamvis sciat*, contra vim & usum literæ illius ב כלם, modò hoc referunt ad indicium solum ætatis, in quâ pueri solent discernere inter bonum & malum, q. d. Propheta, Christū melle & butyro esse educandum, donec ad illam pervenerit ætatem, in quâ pueri sciant discernere bonum & malum. Sed quia hæc etiam interpretatio violenta est, & repugnat verbis Prophetæ, qui non de ætate puerili loquitur, sed de persona Immanuelis in illâ ætate, לדעתו *donec cognoscat ipse*, scilicet *Immanuel*: Alii hoc referunt ad scientiam *acquisitam* vel *experimentalem* Christi contradistinctam & scientiæ *beatificæ* Christi quam habuerit ex visione Dei, & *infusæ* quam habuerit ex lumine diuinitus infuso, sed id ipsum sine fundamento, si τὸ לדעתו quod indefinitum, ad solam scientiam experimentalem restringant.

Nobis res expeditu facilis est, triplici *Distinctione* & propositâ, & applicatâ. *Prima distinctio* est naturarum in personâ Christi, siue personæ secundum naturas. *Secunda*, *Homonymiæ* latentis in voce *scientiæ*, alia enim infinita est, finita alia; *illa* est proprietas Dei essentialis, quæ, ut aliæ proprietates omnes, *identificatur* cum essentiâ divina, ut barbarè, sed nervosè loquuntur *Scholastici*: ista est effectus prioris, vel donum ab illa productum, quod varios gradus perfectionis habet, tum *intensivé*, tum

exten-

extenſivè, pro perfectione vel eminentiâ maiore aut minore ſubiecti, in quo reperitur. *Tertia, Ignorantiæ* vox etiam πολύσημος eſt, alia *privativa* vel *privationis* eſt, alia *pravæ diſpoſitionis*, alia *negativa*, vel *puræ negationis*. 1ª eſt eorum, quę & ſciri per naturam poſſunt, & ſciri ex officio debent, 2ª eſt eorum, quæ cognoſcuntur cum errore vel circa objectum, vel circa medium, 3ª. eſt eorum, quæ nec ſcire per naturam poſſumus, nec ex officio tenemur.

Applicationem harum diſtinctionum quod attinet, fatemur Chriſto quà Deo, vel ſecundum naturam diuinam omniſcientiam competere, & eandem prorſus quæ competit Patri, ut & eandem eſſentiam, à qua longiſſimè abeſt ignorantia omnis, quæcunque illa ſit. Chriſto verò quà homini, vel potius ſecundum naturam humanam *reduplicativè* tribuimus ſcientiam non infinitam, ſed finitam, ἀόριστον non ἄπειρον, donum ſcientiæ eximium quidem, utpote perfectum partibus, eminens gradibus, donum tamen, adeoque diſtinctum à donatore, quamvis excedat multis modis ſcientiam omnem quæ eſt in rebus creatis & *intenſivè & extenſivè*.

Hæc ſcientia vocatur *Spiritus ſapientiæ & ſcientiæ Eſa*. XI. 2. *theſauri omnes ſapientiæ & cognitionis. Coloſſ*. II.3. Hoc ſenſu Spiritus ei datus dicitur non ad menſuram *Pſalm*. XLV.8. non Spiritus immenſus ἁπλῶς vel *abſolutè*, ſed συγκριτικῶς, talis in ordine ad חבריו ad *conſortes* vel *ſodales eius*. A ſecundâ hac ſcientiæ ſpecie excluditur quidem ignorantia omnis, & *privationis*, & *pravæ diſpoſitionis*, ſed non *ignorantia puræ negationis*, utpote quæ vitioſa non eſt, ſed σύμφυτος creaturæ omni, quà tali, quam repugnat eſſe omniſciam. Talis ignorantia ſine vitio fuit & in Adamo integro, & etiamnum eſt & in Angelis beatis, & in Sanctis glorificatis ſine vitio, ex ſententiâ ipſorum Pontificiorum, qui illis multarum quidem rerum intuitionem in *ſpeculo* imaginario *Trinitatis* concedunt, omnium non item. Vt ergo, ſine ullâ contumeliâ naturæ humanæ Chriſti, negamus illam eſſe vel æternam, vel immenſam, vel ſimplicem, vel ἄϋλον prorſus & immaterialem, ſic ſine ullâ ejuſdem noxâ meritò negamus illam eſſe omniſciam, imò poſſe eſſe talem, quin implicetur multiplex contradictio in adjecto, & ſtatuatur oppoſitum in appoſito, 1. ſubiectum finitum eſſe δεκτικὸν attributi infiniti.

ſine ſui deſtructione. 2. Dari intellectum humanum ſine diſcurſu ullo, & progreſſu ab ignoto ad notius. 3. Dari effectum aliquod infinitum & immenſum.

Sententiæ noſtræ firmamenta clariſſima ſunt in Scripturâ S. Locus unus ſufficere poteſt, qui exſtat *Luc.* II. 52. & apodicticus eſt, ac invictus, ubi dicitur *Ieſus profeciſſe ſapientiâ, & ſtaturâ ac gratiâ apud* DEUM *& homines.* Inſtat *Bellarminus lib.* IV. *de Chriſti animâ cap.* V. id intelligendum 1. *opinativè*, ſecundum opinionem hominum. 2. *effectivè*, quatenus fecit alios proficere. 3. Verba de *profectu in gratiâ* debere ſaltem conjungi cum verbis, *apud* DEUM & *homines.* Sed ἐνστάσεις illæ evanidæ ſunt, & inanes. *Prima* 1. quia ut Chriſtus profecit ἡλικίᾳ, non δοξαστῶς ſaltem, vel φαινομένως, ſed ὄντως, ſic & σοφίᾳ. 2. quia diſertè Spiritus S. ἔνστασιν illam elidit, dum inquit, Chriſtum non ſolùm profeciſſe παρὰ ἀνθρώποις, *apud homines*, quorum oculi ſpecie externâ occupari & deludi poſſunt, ſed & παρὰ Θεῷ, *apud Deum.* 3. quia interpretatio *Bellarmini* fulcit δόκησιν Marcioniticam, & nulla reperiuntur prædicata de Chriſto in Scripturâ quæ hâc ratione eludi non poſſint. *Secunda*, 1. *violenta* eſt προέκοπτε *profecit*, id eſt, *fecit proficere* alios. Et quid cauſæ, cur torqueamus ita verba Scripturæ, cum ſenſus eorum planus ſit ſine abſurditate? 2. *nugatoria*, ſic enim exponenda forent verba Chriſti, ſecundum *Bellarminum*, Chriſtus proficere fecit homines apud DEUM & homines, annon potius manifeſtè diſtinguitur ille qui profecit, ab illis, apud quos profecit? 3. cui bono hîc potiſſimùm prædicatur de Chriſto, quod ἡλικίᾳ fecerit alios proficere? neque enim prædicata illa diſſociari, vel debent, vel poſſunt. 4. Ex inſpectione ſolâ textus patet, proponi loco illo deſcriptionem illorum quæ vel de Chriſto, vel in Chriſto *ſubjectivè*, non verò illorum, quæ ab eo *effectivè*. Inepta ergo exempla de Epiſcopo, & Doctore à *Bellarmino* allata, præterquam enim quod locutiones illæ de ſubjectis illis ſunt *tranſitivæ*, iſta de Chriſto, non item, prædicata allegata de Chriſto minorenni efferuntur, cum nondum munus docendi publicè aggreſſus eſſet. 5. Si Chriſtus dicatur profeciſſe apud homines. h.e. homines feciſſe proficere, ſecundum *Bellarminum*, ſequetur eum etiam profeciſſe apud DEUM, h.e. feciſſe DEUM proficere, quod impium & abſurdum. 6. Vt *verſu* antecedente verba, ἦν ὑποτασσόμενος, *ſubjectivè*,

vè,non *effectivè* intelligenda, quod ipſe ſubjectus fuerit, non quod alios ſubjecerit parentibus ſuis, ſic & hoc loco. *Tertia* ἔνστασις Bellarmini precaria prorſus eſt, & peccat fallaciâ παρὰ διαίρεσιν,ex æquo enim profectus & in ſapientiâ, & in ſtaturâ, & in gratiâ, refertur ad verba,παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις.

Sed & idipſum invicto exemplo demonſtrari poteſt,quod extat *Marc.*XIII.32.*de die illo ac horâ* (iudicii)*neminem ſcire,ne Angelos quidem qui in cælo ſunt,nec ipſum Filium, ſed ſolum Patrem. Exceptiones* , quas producit *Bellarminus*, inanes ſunt. 1ª *Quoſdam ex Veteribus ſuſpicatos fuiſſe, verba*, Neque filius, *addita fuiſſe ab Arianis. Reſp.* Atqui diu ante natum Arium illud in verſione Syrâ extitit, qui diſertè habet ולא ברא *& non*, vel *neque filius*. 2. *Chriſtum dici neſcire diem illum, non in perſona ſua, ſed in perſona Eccleſiæ. Reſp.*1.Fatetur ipſe *Bellarminus* hanc interpretationem, quę *Eulogium* authorem,*Gregorium* approbatorem habet,non ſatisfacere. Et ſanè inſulſa eſt, non tam ob rationem à *Bellarmino* allatam, quàm quia non opus erat affirmari, id quod ſatis erat compertum, videlicet Eccleſiam ignorare diem judicii. Quin potius conſtat ex ſcopo Chriſti , cum voluiſſe verbis illis curioſitatem & quæſtiones temerarias diſcipulorum ſuorum compeſcere,ne ulterius inquirerent in diem judicii, propoſitione *primò generali*, neminem ſcire diem illum, *ſecũdò* inductione *ſpeciali* illorum quorum ſcientiæ nihil videbatur eximẽdum,idque per gradationem, Angelorum nimirum, & ſuimet. 2. Peccatur *Elencho ex particularibus*,ſi paucis in locis alibi,quæ dicũtur de capite,ſint intelligenda de corpore: Ergo idem hoc loco faciendum. 3. Peccatur *falsá* ὑποθέσει. Nomine υἱοῦ vel ſolo, vel contradiſtincto patri, uſpiam Eccleſiam deſignari. 3ª. exceptio eſt,*Chriſtum dici neſcire diem illum, quia non ſciebat illum ut homo humanâ ſcientiâ,ſed divinâ revelatione ſeu infuſione.* Impugnatur illa *à Bellarmino*,eò quod Chriſtus innuere velit, id non à ſe poſſe doceri, quod falſum , ſiquidem id divinâ revelatione compertum habuiſſet.Sed reſponſio,quam impugnat *Bellarminus*,ex parte vera eſt , nimirum Chriſtum quà hominem, vel ſecundum humanam naturam diem illum neſciviſſe. Falſum verò quod ſupponit *Bellarminus* , Chriſtum innuere, illud non poſſe à ſe doceri, cum innuat ſaltem, illud non debere à ſe doceri,nec opus eſſe diſcipulis ſcientiâ illius, quod & Angeli i-

gnorent, & ipse secundum humanam naturam suam. 4ª. *Christum dici nescire diem illum practicè.* Resp. 1. Atqui non loquitur Christus *de modo*, sed *de re*, & inquit se id nescire, videlicet quà hominem, vel secundum humanam naturam. 2. Non opus erat Christum id *practicè* scire, ut de eo edocere posset discipulos, sufficiebat ad hoc id ab eo sciri *theoricè*. 4ª. *Christum dici nescire diem judicii, quia non sciebat ad dicendum aliis, & quia eos nescientes faciebat. Resp.* 1. Annon enim sic & Pater dicendus fuisset nescire diem illum, quia nec ille eum revelat hominibus? 2. Annon etiam inde inferetur, Angelos quidem scire diem illum, sed non eo fine, ut illum reuelent? 3. Absurdum prorsus, statuere, aliquid ignorari ab aliquo quandiu non consultum judicat id aliis revelare, v.g. à Senatoribus senatus consultum ignorari, eò quod nondum tempus sit illius promulgandi. Hoc vel illud à viro docto ignorari, eo quod illud nolit alios docere. His omnibus frustra obluctatur *Bellarminus*, & ipse tandem vi veritatis adactus, in sententiam nostram concedit, dum concludit, illud idem esse, ac si Christus dixisset, *Nemo scit, nisi Deus*. At Christus secundum humanam naturam non est Deus. Ergo secundum humanam naturam illud nescivit, quæ est ipsissima sententia nostra.

XL. Frustra ergò Iudæi nobis extorquere conãtur locũ Esaię, argumento ducto à sententiâ nostrâ de omniscientia Messiæ nostri, omniscientiam enim Christo tribuimus quà Deo, vel secundum naturam divinam saltem, non item secundum humanam naturam: Propheta verò loquitur saltem de progressu Messiæ in scientiâ secundum naturam humanam. Non ergo verba ejus vel nostram de Christo Messiâ sententiam S. Scripturæ, conformem labefactant, vel Christi Deitati aut Majestati quicquam derogant ob limitationes suprà adjectas. Nec verò moramur Pontificiorum argumenta, quibus illi omniscientiam Christo secundum naturam humanam adscribunt, cum pleraque sint ridicula & minus quam topica, qualia quædam *Cornelius à Lapide*, habet in *cap.* VIII. *Esaiæ* v. ſg. Dici *Ierem.* XXXI. 22. *Fœmina circumdabit virum.* Fuisse ergo Christum in utero virum, non mole, sed sapientiâ. *Hebr.* x. 5. *Ingrediens Mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, tum dixi, &c.* E. Christum ab actu incarnationis habuisse actũ & rationis & volũtatis. Hæc quidem allegas-

allegasse, est confutasse, alia speciosiora quę & ibidem inserit, & addunt alii, hîc non attingimus, ubi nobis res directè cum Iudæis, quæ alibi discutienda.

XL. Loco nobilissimo sic satis superque discusso, & vindicato, applicatio nostra ad Messiam nostrum Iesum Nazarenum eò clarior est, quod omnes aliæ, quas comminiscuntur Iudæi & ridiculæ sint, & absurdæ. I. *Quidam ex Iudæis* oraculum hoc trahunt ad *Ezechiam*. At 1. Ezechias jam tum natus erat, agitur verò de puero nascituro. Achaz enim regnasse legitur sedecim saltem annis. II.*Reg*.XVI. 2. Ezechias verò viginti quinque annorum fuisse legitur II.*Reg*.XVIII. 2. cum patri in regno Iudæ successit. At cum hoc oraculum editum fuerit regnante Achaz, utique opus jam tum aliquot annos attigisse Ezechiam. 2. Nativitas Ezechiæ non fuit ex עלמה virgine, sed ex uxore Achazi. 3. Ezechiæ nativitas nec miraculosa fuit, nec in signum peculiare proposita legitur in Scripturâ. II. *Alii* ex *Iudæis* trahunt hoc vaticinium ad filios Prophetæ, sive ad *Sear-Iaschub*, sive ad *Maher-Schalal*, sed itidem sine fundamento. Nec enim *Sear-Iaschub* potuit esse puer ille, ut qui jam natus erat, & adductus à Propheta mandato divino ad Regem. Nec *Sear-Iaschub* nativitas vel miraculosa, vel ex עלמה, sed saltem impositio nominis symbolica, & evidentissimum est puerum illum distingui à *Sear-Iaschub*. Nec hic intelligi potest *Maher-Schalal* ob rationes suprà allatas, quia & nomen diversum obtinet, & diversum typum gessit, & distinguitur ab Immanuele, de quo *versu* 8. & conceptus fuit nō ex העלמה sed ex הנביאה, ubi diversâ voce non sine causâ uti voluit Spiritus S. ne putaretur de eodem partu agi. Et quæso quale אות *signum* concipere uxorem ex viro? Vnde etiam *Esa*.VIII. Vbi de partu ordinario quoad naturam, etsi extraordinario quoad symbolicam significationem agitur, nullius אות *signi* fit mentio. III. Vana etiam est aliorum ex *Iudæis* sententia, contendentium agi *de filio alio* quodam *Achazi*, quem susceperit ex juvenculâ aliquâ è gynęcéo suo eductâ, tum quia precaria est, nec ejus ullum in S.Scripturâ indicium, tum quia conceptus ille & partus nec mirus foret, nec extraordinarius, nec terra Iudæ alius fuit ex filiis Achazi præterquam Ezechiæ, quę tamen Immanuelis fuisse expresè dicitur. *Esa*.VIII. 8. Restat ergo oraculum hoc exi-

mium meritò à Spiritu S. meritò à Matthæo ejus amanuense, meritò à nobis ad *Iesum Nazarenum*, ut verum & unum Immanuelem nostrum applicari, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Faxit *Pater misericordiarũ*, ut κάλυμμα omne ab oculis, πώρωσις omnis, verus Iudaismi character, à cordibus Iudæorum tollatur, & gens illa beata quondam, misera nunc *retecta facie gloriam Domini*, secundæ Domus decus unicum tandem aliquando contueatur, & in illo solo conquiescat, qui solus est *via*, & *veritas* & *vita*.

FINIS.

INDEX



INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ in *Dubiis Evangelicis* vel citantur, vel illuſtrantur, vel vindicantur.

Geneſis.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	1	12
I.	14	255
I.	2	256
I.	2	269
II.	2	49
II.	4	2
III.	15	74
III.	36	169
III.	15	255
III.	15	310
V.	1	2
V.	1	3
V.	1	5
V.	1	12
V.	5	5
VI.	9	4
VIII.	7	230
IX.	27	91
X.	21	12
X.	24	137
X.	24	140
X.	24	174
X.	24	185
X.	24	193
X.	25	322
XI.	12	174
XI.	12	137
XI.	12	140
XI.	12	185
XI.	12	193
XIII.	8	301
XIII.	8	234
XIII.	15	321
XIV.	14	43
XIV.	14	234
XV.	9	9
XX.	7	9
XXIV.	16. 43	300
XXIV.	16	307
XXIV.	16	309
XXIV.	16	298
XXV.	61	301
XXVII.	29	322
XXVII.	32	43
XXVII.	44	230
XXVIII.	15	230
XXIX.	21	228
XXIX		229
XXXVI.	1	5
XXXVII.	2	4
XXXVII.	35	122
XXXVIII.	28.29	46
XXXVIII.	9	130
XXXVIII.	21.24	254
XLVI.	12	17
XLVIII.	16.	98
XLIX.	10	60
XLIX.		61

Cap.	vers.	Pag.
XLIX	10	78
XLIX.	10	131
XLIX.	10.	230

Exodus.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	10	98
II.	22	141
II.	22	145
II.	22	147
II.	8	300
II.	8	307
III.	12	315
IV.	22	233
VI.	23	68
XII.	29	233
XII.	12	236
XII.	15	50
XIII.	12	232
XIII.	13	237
XVIII.	4	147
XXI.	6	111
XXII.	30	232
XXXVIII.	8	227

Levit.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	1	267
XII.	6	232
XXV.	10	111

Num.

Cap.	Vers.	Pag.
I.		67
V.	11	265
X.	29	96
XVIII.	20	70
XXV.	4	259
XXX.	13	238
XXXVI.	8	127
XXXVI.	8.9	67
XXXVI.	1	68
XXXVI.	8	125

Deuteron.

Cap.	Vers.	Pag.
XVIII.	21.22	316
XX.	7	229
XX.	7	248
XXI.	11.12.13	68
XXII.	24	218
XXII.	23	228
XXII.	22.23	248
XXII.	23	249
XXII.	24	266
XXIV	1	3
XXV.	7	58
XXV.	5	98
XXIX.	23	317
XXXIV.	6	230

Iosuæ.

Cap.	vers.	Pag.
II.	13	16
XIII.	14	70
XIV.	11	17
XXI.	36.37	147
XXI.	37	141
XXIII.	15	317

Iudic.

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	14.15	183
XII.	10	15
XVIII.	30	25
XX.	28	18
XXI.	1	68

Ruth.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	5	15
I.	16	211
II.	11	211
III.	10.	16
IV.	20.21	14
IV.	10	59

I. Sam.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	12	237
II.	12	237
II.	34	315
X.	2	315

X. 2

Cap.	vers.	Pag.
X	2	319
XV.	35	230
XVI.	11	17
XVII.	25	68

II. Sam.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	20	234
III.	3	96
III.	3	68
V.	1	108
V.	4	15
VI.	23	230
VII.	12	100
VII.	12.13	101
VII.	16	111
VII.	14	128
VII.	14	133
XI.	27	211

I. Reg.

Cap.	vers.	Pag.
VI.	1	15
XIV.	21	211
XVI.	28.29.30	26
XXI.		21
XXII.	25.28	315

II. Reg.

Cap.	vers.	Pag.
V.	27	111
VII.	2	315
VIII.	16	110
VIII.	24	19
VIII.	25	21
VIII.	18.27	26
VIII.	26	26
IX.	8	25
IX.	27	26
X.	30	25
X.	13	108
XI.	2	112
XI.	1	22
XI.		2

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	2.	22
XI.	10	26
XI.	2	100
XI.	3	237
XIII.	1	22
XV.	1	19
XV.	1.6.7	21
XV.	1	25
XV.	12	26
XV.	30	31
XV.	30.33	31
XV.	30	32
XV.	29	34
XV.	30	34
XV.	13	96
XV.	29	330
XVI.	2	27
XVI.	2.	31
XVI.	9	33
XVI.	20	27
XVI.	20	29
XVII.	1	29
XVII.	1	31
XVII.	3	32
XVII.	3	33
XVII.	5.6	34
XVIII.	1	27
XVIII.	1	29
XVIII.	1	31
XVIII.	2	31
XVIII.	2	28
XVIII.	9	31
XVIII.	10	326
XIX.	26	230
XXIII.	34	40
XXIII.	33	45
ZXIII.	134	125
XXIV.	17	41
XXIV.	1.2	45
XXIV.	47	51
XXV.	11	52
XXV.	27	56

I.Paralip.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	28	140

Cap.	vers.	Pag.
I.	21	151
I.	24	185
I.	24	171
I.	32.11.16,17.21.24.26.29	68
II.	11.12	14
II.	50	154
III.	1	96
III.	15	44
III.	11.12	19
III.	15.16	34
III.	16	38
III.	17	52
III.	17.18.19	56
III.	17.18	114
III.	17	115
III.	19	116
III.	19	57
III.	20	59
III.	19	59
III.	19	97
III.	11	108
III.	19	316
IV.	1	155
IV.	1	16
IV.	1	154
V.	26	331
VI.	7.8.9	16
XXII.	10	131
XXIV.	15	18

II. Paral.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	11	22
VII.	21	183
XVIII.	1	23
XXII.	11	68.237
XXIV.	2	22
XXIV.	21	21
XXVI.	1	19
XXVI.	1	21
XXVI.	1	24
XXIX	1	331
XXXIV.	28	48
XXXV.	24	48
XXXVI.	4	39

Cap.	vers.	Pag.
XXXVI.	2	39
XXXVI.	4	39
XXXVI	4	125
XXXVI.	6	45
XXXVI.	8	37
XXXVI.	10	41
XXXVI.	10	43

Esdræ.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	16
I.	34.35	39
II.	1	52
II.	2	109
II.	59	62
III.	2	58

Nehem.

Cap.	Vers.	Pag.
VIII.	64	63

Iob.

Cap.	vers.	Pag.
XXX.	29	234

Psalm.

Cap.	vers.	Pag.
XLV.	8	333
LI.	5.6	277
LI.	6	273
LXVIII.	26	300
LXXI.	18	230
CIX.	13	314
CX.	1	230
CXXIII.	2	231
CXXXII.	11	133
CXXXII.	17	128

Proverb.

Cap.	vers.	Pag.
VIII.	1	302
VIII.	1	303
IX.	1	302
IX.	1	303
XX.	9	212
XXIV.	13.14	325
XXIX.	24	267

Cap.	*verſ.*	*Pag.*
XXX.	1	30ꝭ
XXX.	4	302
XXX.	18 19	282
XXX.	18.19	284
XXX.	18.19.20	301
XXX.	20	306
XXX.	19	307
XXX.	19	310

Cant.

Cap.	*verſ.*	*Pag.*
I.	3	300
IV.	11	324
VI.	7	301

Eſa.

Cap.	*verſ.*	*Pag.*
I.	26	3.3
III.	5	292
VI.	9	309
VII.	14	9
VII.	14	255
VII.	3	286
VII.	14	269
VII.	8.4	326
VII.	14	281
VII.	14	317
VII.	14.8	328
VI.	14	329
VII.	14 5.16	293
VII.	15	290
VII.	16	285
VII.	16	290
VII.	22.16	291
VII.	14	307
VII.	14	315
VII.	16	317
VI.	16	330
VII.	15	3.0
VII.	16	320
VII.	16	326
VII.	18	327
VIII.	3	270
VIII.	3	283
VIII.	3	283
VIII.	8.10	286
VIII.	3	313
VIII.	3.4.18	326
VIII.	8	329
VIII.	8	330
IX.	1	295
IX.	5	290
IX.	6	3.3
IX.	6	329
XI.	1	78
XI.	1	103
XI.	1	106
XI.	1	127
XI.	1	128
XI.	1	132
XI.	1	319
XI.	2	333
XIV.	12	100
XXVIII.	15	317
XXIX.	13	295
XX X.	13	296
XXXVII.	30	315
XL X.	15	319
LI.	1	10
LIII.	8	4
L II.	8	212
LIII.	8	213
L II.	8	303
LIII.	8	305

Ierem.

Cap.	*verſ.*	*Pag.*
III.	17	313
XIII.	19	52
XIII.	22	259
XXII.	11.12	34
XXII	28	38
XXII.	18.19.	42
XX I.	28	52
XXII.	30	52
XXII.	30	53
XXI.	30	101
XX II.	5	106
XX I.	5	290
XXIII.	6	313

Cap.	verſ.	Pag.
XXIII.	25.26	319
XXVIII.		38
XXIX.	16.20	51
XXXI.	15	295
XXXII.	11	3
XLIV.	29	216
XLVI.	19	51
LII.	31	56

Ezech.

Cap.	verſ.	Pag.
XIX.	9	45
XXI.	31	10
XXI.	32	78
XXXIII.	24	106
XXXVI.	2.3	317
XLIV.	2	223
XLIV.	2	241

Daniel.

I	34	255
II.	36	319
V.	25	319
VII.	17	319
IX.	25	319
IX.	2	331
XXVII.		331

Oſe.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	2	295

Ioel.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	8	309

Amos.

Cap.	verſ.	Pag.
VIII.	14	147
IX.	11	78
IX.	11	106

Mich.

Cap.	verſ.	Pag.
V.	2	106

Cap.	verſ:	Pag.

Soph.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	1	10

Agg.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	1	58
II.	2	109

Zach.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	1	10
I.	12	331
III.	5	78
VIII.	2	313
IX.	9	106

II. Macc.

Cap.	verſ.	Pag.
II.		299

Matth.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	I.	1
I.	1	9
I.	5	13
I.	8	19
I.	8	185
I.	9	27
I.	11.	34
I.	11	43.48
I.	11	51
I.	11.	184
I.	12	16
I.	12	52
I.	12	55
I.	12	56
I.	16	64
I.	17	14
I.	17	36
I.	17	74
I.	17	86
I.	17	87
I.	18.23	8
I.	18	215
I.	18	220

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	18	225
I.	18	251
I.	18	252
I.	18	262
I.	18	263
I.	19	225
I.	19	256
I.	20	225
I.	20	256
I.	20	248
I.	21	273
I.	23	281
I.	25	210
I.	25	211
II.	2	7
II.	13.19	218
II.	15	295
II.	18	295
IV.	15	295
V.	23.24	44
V.	18.26	231
V.	48	258
VII.	3.4.5	44
VIII.	8	260
X.	2	159
X.	3	16
XII.	39	316
XIII.	55	233
XIII.	42	253
XV.	8	295
XVIII.	24	223
XVIII	15	268
XIX	7	3
XIX	9	250
XX.	6	207
XX.	13	187
XXII.	25	99
XXII.	6	259
XXII.	12	107
XXII.	42	11
XXV.	17	229
XXVI.	50	187
XXVII.	9	16
XXVII.	9	20

Cap.	Verſ.	Pag.
XXVII.	9	21
XXVIII.	17	229
XXVIII.	20	231
XXVIII.	20	231

Marc.

Cap.	verſ.	Pag.
II.	26	49
III.	20	229
III.	31	44
X.	2	250
XIII.	32	335
XIV.	3	206
XV.	40	234

Luc.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1	16
I.	1	20
I.	3	16
I.	5	69
I.	35	254
I.	27	131
I.	28	179
I.	30	100
I.	34	223
I.	35	252
I.	35	255
I.	35	313
I.	36	73
I.	36	129
I.	47	74
I.	68.69	329
II.	24	70
II.	4	72
II.	11.31	8
II.	5	225
II.	34	235
II.	5	248
II.	8.5	218
II.	14	313
II.	41	232
II.	23	303
II.	23	237

Cap.	vers.	Pag.
II.	32	237
II.	34	323
II.	45	227
II.	48	227
II.	48.51	105
II.	51	227
II.	52	291
II.	52	334
III.	2	49
III.	3	12
III.	23	108
III.	24	195
III.	27	54
III.	29	200
III.	29	195
III.	32	14
III.	35.36	1
III.	36	137
III.	36	195
III.	37	195
III.	38	1
III.	38	160
XII.	33	228
XIII.	16	20
XIV.	10	277
XVIII.	33	25
XX.	9	79
V.	15	229
V.	8	260

Iohan.

Cap.	vers.	Pag.
I.	14	290
VI.	57	123
VII.	27	244
VII.	41.42	11
VIII.	33.39	20
VIII.	41	254
VIII.	44.47	254
IX.	39	278
XIV.	20	123
XVII.	11.22.23	123
XVII.	18	123

Act.

Cap.	vers.	Pag.
II.	6	229
II.	42	229
IV.	27	277
VII.	16	172
VII.	52	257
XI.	28	49
XIV.	16	87
XV.	15	106
XV.	16	78
XV.	21	87
XXII.	1	234
XXIV.	14	188
XXVII.	24	316

Rom.

Cap.	vers.	Pag.
I.	3	7
I.	3	130
I.	3	135
I.	4	156
I.	4	158
I	32	229
III.	25	272
IV.	19	17
V.	20	273
V.	10	319
V.	20	277
VIII.	29	222
VIII.	32	319
VIII.	33	212
VIII.	28	233
IX.	3	234
IX.	5	7
XI.	36	254
XII.	3	215

1.Corinth.

Cap.	vers.	Pag.
I.	30	255
III.	22.23	123
III.	2	325
III.	17	224
III.	17	246
VII.		229

Cap.	verſ.	Pag.
VII	4	239
VII.	5	240
VII.	26	247
XI.	19	278
XII.	13	229
XV.	4	92
XV.	25	231

II. Cor.

Cap.	verſ.	Pag.
VI.	14.15	162

Gal.

Cap.	Verſ.	Pag.
I	8	7
I.	2	12
I.	4	124
IV.	4	255

Epheſ.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	6	179
II.	16	272
III.	6	91
IV.	15	187

Phil.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	23	247
II	7	291

I. Coloſſ.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	20	272
I.	24	124
II.	3	333
II.	8	253
II.	15	259

I. Timoth.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4	61
I	4	212
I	4	215
II.	6	272
V.	13	231
V.	5	237

II. Timoth.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	8	7
III.	8	183
IV.	13	231
V.	5	237

Tit.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	9	61.89.212.215

Hebr.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	5	128
I.	5	133
II.	13	283.329
II.	16	255
V.	12	325
VI.	6	259
VII.	3	3.212
VII.	3	214
VII.	12	98
VII.	14	133
VIII.	2	242
IX.	24	242
X.	33	259
XI.	31	211
XI.	31	203
XI.	31	204
XIII.	8	322

Iac.

Cap.	verſ.	Pag.
II.	25	204

I. Pet.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	21	272

II. Pet.

Cap.	verſ.	Pag.
I.	21	20

I. Iohan.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	2	272
III.	5	253

Cap.	vers.	Pag.
III.	8.9	254
III.	13	242
III.	16	123

Apoc.

Cap.	vers.	Pag.
I.	4.5	12
VII.		25
VII.		141
VII.		147
XIV.	4	282
XIV.	4	300
XXI.	9	228

INDICIS locorum S. Scripturæ FINIS.

INDEX



INDEX AVCTORVM, QVI IN *Dubiis Evangelicis* citantur, & vel laudantur, vel confutantur.

A

ABen.Esra. 132.147
Ado Viennensis Episcopus 144.152.164
Alcasar 311
Alexius Comnenus 249
Aloysius Episcop.Veronensis 141
Alphonsus Testatus Episc. Abulensis 5.6.12.40.44.46.57,58.80. 90.92.224.239.240.245.267 278.324
Alvarez 279
Ambrosius Catharinus 145.161
Ambrosius 40.67.84.99.119. 194.202.207. 208.209.210. 217.218.219.243.244.249. 254.255.325
Annius 21.22
Anselmus 99
Antonius de Dominis Archiepisc. Spalatensis 120.129 130.131. 133.134.135
Aquila 165.167.309
Arias Montanus 149
Arnobius 193.200
Aristeas 165,166
Aretius 105
Aristides 99
Aristoteles 257
Armachanus 129
Athanasius 130.243.255.325
*Augustin*⁹1.2.6.7.17.37.38.58.59 66.68.69.71.75.83.90.94.95 97.98.99. 100.103.104.117. 119. 140.146.150.152.164. 165.166.171.181. 182.188. 193.194.196.208.227.228. 242.253.265.263.279.325
Augustinus Eugubinus 146.175
Author Seder Olam Rabba 45.46
Author Seder Olam Sutha 56
Author operis imperfecti 12.38. 39.83.209.230.231.255.265
Author Anonymus 173.174.175. 177.181.182.192.193.194.197 198.199.200.201

B

BAillius 226
Baronius 90.235.236.237. 238.299
Seb. Barradas 39.53.99.105.141. 235.242.318

Basilius 216 219. 231. 233. 235. 253. 260. 325
Becanus 279
Beda 99. 120. 145. 164. 174
Bellarminus 135. 140. 149. 165. 166 167. 168. 176. 226. 276
Bernhardus 219. 260
Beroaldus 152. 169
Berosus 169. 174. 190
Beza 49. 51. 136. 169. 170. 175. 177. 187. 238. 243. 244. 248. 250. 255. 258. 277
Bibliander 105
Blasius Viegas 318
Bonfrerius 167
Bucerus 36
Budæus 248
Buxtorfius 132. 150. 264

C

Caietanus 42. 44. 45. 49. 97. 142. 145. 149. 161. 164
Calvinus 127. 128. 177. 210. 224. 310. 311
Calvisius 29. 152
Ioh. Camero 279
Iac. Cappellus 149. 152. 169. 187. 188. 189. 190. 191
Carafa 170
Casaubonus 54. 70. 80. 98. 236. 237. 299
Castrius 149
Celsus Epicureus 2. 8. 64. 65. 69. 92
Centuriatores Magdeburgenses 89
Daniel Chamierus 149. 177
Martinus Chemnitius 36. 205. 115. 125
Christianus Masseus 175
Christophorus à Castro 235
Chrysostomus 11. 37. 38. 66. 67. 72. 76. 77. 79. 207. 208. 209. 210. 248. 249. 250. 252. 257. 259. 264. 265. 270. 308. 313. 314
Clemens Alexandrinus 43. 325
Comestor 51
Concilium Ancyranum 248
Cornelius à Lapide 171. 172. 173. 188. 241. 305. 310. 311. 314.
Cottonus 143. 149. 217
Cumel 279
Cyrillus Alexandrinus 2. 65

D

Damascenus 67. 99. 126. 197
Delrio 141
Iohannes Deodatus 116. 124. 173
Didacus Stella 105
Dionysius Carthusianus 232
Durandus 239

E

Elias Levita 150. 299
Epiphanius 36. 37. 40. 70. 83. 84. 85. 140. 169. 170. 172. 181. 189. 193. 215. 218. 222. 235. 233. 239. 242. 251. 255. 270. 325
Eucherius 99. 119
Evodius 236
Eusebius 18. 41. 63. 99. 103. 119. 120. 121. 140. 149. 152. 165. 169 173. 174. 176. 180. 181. 189. 193. 194. 196. 199. 201
Eustathius 234
Euthymius 84. 210

Iac.

INDEX AVCTORVM.

F

Iac. Faber Stapulensis 24.26
Faustus Manichæus 2.6.7.69. 71 89.94.95.117
Paulus Ferrius 275
Fonseca 278
Franciscus Ximenius 149
Francothalense Colloquium 255
Freculphus 174
Funccius 28 32.152

G

Petrus Galatinus 105.108.122. 125.132.270.303.305.307. 309
Galesinius 165.167
Gaspar Sanchez 302.316.317
Gaulterius 242
Genebrardus 105.145.146.164. 311
Genevenses 115
Franciscus Gomarus 22.35.38.40. 42.50.52.53.104.105.124. 128.153.154.155.156.157.158. 159.182.183.186
Gordonius 141.143.149.176.180. 201
Gratianus 228 239
Gregorius Nazianzenus 71
Gregorius Nyssenus 223.236.237
Gregorius de Valentiâ 279
Gregorius Turonensis 174
Guido Fabritius 178
Guido Perpinianus Carmelita 9. 75

H

Daniel Heinsius 166.176
Helvicus 152
Helvidius 222.226
Hermanus Contractus 156
Hesiodus 234
Hesychius 176.225.300
Hieronymus 6.12.20.23.24.28. 30.37.40.52.53 75.85.95.119. 129.142.144.145.146.165. 166.167.169.172.174.176. 182.188.193.194.201.203. 207.209.210.216.217.222. 228.229.232.233.234.241. 247.253 266.298.299.305. 308.309.312.325
Hilarius 23.24.25.98.231.265
Homerus 228.325
Hottomannus 248
Ioh. Huartus 324
Hugo Cardinalis 304

I.

Iansenius 24.39.58.66.67.79. 99.105.146.258.268. 267
Ignatius 216
Institut. Iuris 28.29
Ioh Isaacus 149
Ioh. Lucidus 156
Ioh. Woverius 166
Ionathan 307
Iosephus Scaliger 12.18.20.28 30. 41.139.146.152.166.176
Iosephus 13.15.45.46.65.169. 170.171.174.175.190. 236
Irenæus 143.193.196.197.198. 226.309.325
Isidorus 145.174
Iulianus 2.7.35.64.65.69.71. 92
Iulianus Toletanus 98
Iulius Africanus 99.100 101 102. 103.104.105.118.120 121 122.

126.127.135.174.180.193.194.
195.196.199.200.201.
Iul. Pollux 300
Iunius 12.15.18.52.216.124.
Iustinus Martyr 119.119.121.
130.135.166.196.258.265.270.
314

K

R. *Kimchi* 132.147

L

L*Actantius* 196
L*avaterus* 105
Leo Castrius 149
Lessius 278.279
Leunclavii Ius Græco-Rom. 239.
248.249
Lindanus 143.149
Lipomanus 140
Lorinus 264.267
Lucianus Martyr. 176
Ludovicus de Dieu 84.85.256
Ludovicus Vives 150
Lutherus 115
Lyranus 6.14.15.49.203.204.
206.207.211

M

M*Aldonatus* 12.24.26.27.
36.39.51.52.80.81.84.
85.92.99.210.211.227.224.
240.242.243.244.245.248.
249.261.265.266
Marcus Marinus 167.168
Masius 16.147.166.205.206
Melch. Canus 105.140
Mercerus 2.132.256.259
Ioh. Mestrezatus 149
Modestinus 250
Molina 278.279.280
Petrus Molinæus 149.280
Mornæus 149
Munsterus 2.259.264
VVolffgangus Musculus 296

N

I*Ac. Naclantus* 145
Nauclerus 156
Nazianzenus 182.194.196.199.
200
Nicephorus 99.223

O

O*Nkelus* 267.307
Origenes 2.65.75.134.
135.140.167.174.176.193.202.
209.216.219.241.260
Paulus Orosius 174

P

P*Agninus* 145.149.204.
205
Pareus 36.37.205
Pererius 141.151.152.153.161.169
170.183.191
Perkinsus 242
Perronius Cardinalis 149.226
Petavius 182.189
Philo. 21.114.125.149.165.
171.236
Piscator 49.52.105.115
Plato 4
Plinius 17.18
Plutarchus 248

Porchetus 149.298.307.310
Porphyrius 8.35.64. 69. 71. 92. 95
Possevinus 135
Procopius Gazæus 172.174

R

RAbanus Maurus 6
Rabbi Bechai 132
Rabbi David 26
Rabbi Haccanas 125
Rabbi Haccados 125. 303. 304. 309
Rabbi Kimchi 203.205.286
Rabbi Levi 26
Rabbi Mardochai Nathan 115
Rabbi Salomo 203.205
Raderus 141.189
Regourtius 143.149
Rhemigius 260
Ribera 141
Matthæus de Rispolis 279
Rupertus Tuitiensis 21

S

SalaZar 242.304.306
Iac. Salianus 140.141.143.149. 152.171.176.180. 181. 182. 188.189.190.201
Salmero 20.23.38.44.48.49.73. 76.80.141.147.218.224.245. 249.260.261.262. 263. 264. 265.269.270.273.277. 278. 291. 296. 298. 302. 303.304. 305.324
Samerius 176
Scultetus 135
Servius Sulpitius 248
Sigonius 140
Sixtus Senensis 4.6.53.141.145. 150.152.161.164
Socinus 123.272
Henr. Stephanus 36
Robertus Stephanus 36.147
Suarezius 278.279.280
Suidas 18
Sulpitius Severus 196
Sylburgius 135
Symmachus 165.167.309
Syrus Interpres 5. 87. 123. 124. 140.158.179. 180. 204. 248. 249.255.309

T

TAcitus 77
Tertullianus 130. 135. 166. 196.312.313.314
Theodoretus 20
Theodotion 53. 165. 167. 309
Theophylactus 46. 51.67.72.77. 83. 119. 196. 209. 210. 244. 258. 259.260.262
Theophilus 169.173
Thomas 6. 105.119.231.239.240. 274.275.279
Thysius 84
Tilenus 279
Titelmanus 278
Toletus 140.142.149
Torniellus 140. 141. 143. 149. 152.169.176.191

Dan. Toſſanus 108.111
Tremellius 49.52.116
Th. Tronchinus 149
Ben. Turrettinus 149

V

V*Aſquezius* 278.279
Vatablus 264.267
Veronius 242
Vincentius Regius 47. 105
Vorſtius 280
VVittackeusr 149

INDICIS Auctorum FINIS.

VOCES

VOCES HEBRÆÆ, CHALDAICÆ & Syriacæ illuſtratæ vel vindicatæ.

אגור 303
אות 318
אח 234
איתיאל 304
אסיר 57.115
ארשאשה 248
איש אשה 228
אשה בעלת בעל 248
אשה זונה 204
אשתותף 229
אתתא פונדקיתא 204.205
ב 49.50
בית דויד 322
בכור 232
בן יקה 30
בנות 122
בנים הקטנים 20
בר 90.158
בתולה 309
בת יורשת 127
גבר 305
גרף 209
גלה 52
גלות גולה 51
גרים 63
דור 4. 41. 87. 213
דרא 87
ההידיעה 310
המס 259
חש-בז 327.328
זון 204
זונה 204.205.299
זניתא 204
זרע 53.87
חכים 243
טעיתא 206
יהויקים 40
יהויכין 40
ישו 314
כי 320
כריתות 3
כתבא דילידותא 5
מהר-שלל 326.328
מולדת 87
מושל 53.106
מחוקק 78
מטעיתא 206
מכירתא 249
מלית טיבותא 179
מכר 248
מן 253
מסורה 150
משא 304
משיחא 106
משפחה 87
נאמן 331
נערה 309
נפקת ברא 206. 299
נצח 111
נשיא 53.106
סות 132
סיג לתורה 150
עד אשר 230
עד כי 230
עולם 111
עיר 132
עלימא עלימתא 299
עלמה 298.299.300 307.308.309
עלמות 237
עמנואל 270
ערה 209
עירי 53
פחה 53
פלא 305
פרסי 259
צובאות 237
צדיק, צדקה, צדקתא 257
צלח 54
צער 209
קול אלה 267
ראש הגולה 53
קרא 313
שבק 250
שיל 131
שילה 131
שרא 250
שרבא 87
תולדה 4
תם, תמים, תום 258



VOCES GRÆCÆ ALIQVOT, vel illustratæ, vel vindicatæ.

Ἀγενεαλόγητος 214
Ἀδελφὸς 234
Αἰχμαλωσία 51
Αἰχμαλωτάρχης 53
Ἄμεμπτος 258
Ανακαλυπτήρια 300
Αναμάρτητος 258
Ανὴρ 227.228.249
Αναύξητος 53
Αόριστος & ἄπειρος 333
Αποικίζειν 52
Απόκρυφος 309
Απολῦσαι 250
Ἄχρι οὗ 230
Βίβλος 2.3.4
Βιβλίον ἀποστασίου 3
Βίβλος γενέσεως 6
Γαλακτοφάγος 325
Γαμεῖν 248
Γαμῆσαι 248
Γάμος 239.248
Γενεὰ 4.87.88. 213
Γένεσις 2.4.5
Γεννᾶν 57
Γέννησις 4
Γινώσκειν 232
Γυνὴ 227.228
Δειγματίζειν 259
Δίκαιος, δικαιοσύνη 257
Εγκλειστος 237
Εκ 253
Εκκήρυκτος 53
Εγγυᾶσθαι 248
Επίκληρος 70
Ἕως οὗ 230
Θαλαμευόμεναι 238. 299
Θυγάτηρ ἀγχιστεύουσα κληρονομίαν 127
Ἵνα 277.278
Καλεῖν 313
Καλὸν κρεῖττον 247
Κατάκλειστοι 237.238. 299
Μετὰ 55
Μετοικεσία 51.55
Μνηστὴ μνηστεία 248
Μνηστεύειν 248
Νεανὶς 300.301
Νυμφίος νύμφη 228. 249
Οἰκερήματα 238
Οπτήρια 300
γυνὴ Πανδοκεύτρια 204 205
Παραδειγματίζειν 259
Παραδειγματίσαι 259. 26.1
Παρθενῶνες 238
Πάροικοι 62
Πατράδελφος 41
Πόρνη 204.205
Προκόπτειν 334
Προσήλυτοι 62
Προσφθεγκτήρια 300
Πρωτότοκος 232.233
Συνελθεῖν 229
Τέλειος τελειοτης 258
υἱοὶ, υἱότης 20
Φωνὴ ὁρκισμοῦ 267
κεχαριτωμένη 179
Ὡς 124

INDEX



INDEX
VERBORVM ET RERVM ALIQVOT.

A

ABIVD genealogia cur prætermissa in V.T.60. unde illam Matthæus 61.63. Ejus sinceritas 64
Abraham an Sacerdos 9. Propheta 9. Ejus vigor senilis 17
Achabi maledictio 25
Actiones hominum non præuisæ solùm sed & præfinitæ 277
Adoptionis exempla 98
Adulterii rea etiam desponsa olim 228.249
Aetas vegeta Mosis, Calebi 17. Iojadæ.18. Afrorum 18. & Nitiobrigis cuiusdam 18
Africani encomium 99. Sententia de genealogiâ Christi 99 100. Diversa ejus explicatio 100.101. Sententiæ Africani confutatio 101.102. Rationes. ἐνστάσεις. Solutio 102.103. Scrupulus non animadversus 103. Causa cur veteres ei subscripserint 103. Africani conclusio timida 103.104. Africani sententia de duobus patribus Iosephi 119.120. Ἐπίκρισις Authoris 120. Africani hallucinatio 120. Africani erroris propagatio 195.196 Africani authoritas quæ 199. Contradicit Lucæ 199
Ἀκμὴ Veterum qualis 186
Alcasaris ingenuitas & verba notatu digna 311
Allegoriæ de Zara & Pharez 46.47. Allegoria Salmeronis inutilis 23. Allegoriæ inanes Abulensis 81. aliæ similes 90. alia 92. Allegoriæ ineptæ 324. Allegorica ratio Augustini 83. Allegoriæ veterum de Thamar, Rachab, Ruth, Bathseba 208.209.210
Anabaptistarum error 253. 254
Anna prophetissa qualis 257
Anni alicuius quales in Scriptura 32
Annii error 21
Ariani confutati 123.124
Antichristus qui secundum Pontificios 25
Antitrinitarii confutati 123.124
Ariani confutatio 123.124
Athalia cujus filia 26.27
Avi sæpe patres 19. Exempla 20
Authoris Anonymi judiciũ de Kainan 173. Authoritates contra Kainan 174. Ejusdem opinio de Matthat & Levi. 192. &c. Rationes 193.194
Authoris ἐπίκρισις 37. Rationes. Confutatio rationum oppositarum 37. Scrupuli novi. Solutio 41.42. Ejus conjectura 53.54. Alia 58. Ejus ἐπίκρισις 108 109. Iudicium de sentẽtiâ Africani 120.

121. De Kainan 175. Conjectura de introductione ejus in vers. græcam 175.176. in Lucam 178. 179. Conjectura alia 211
Author quæst. ad orthod. spurius 135
Authoritates pro Kainan examinatæ 180
Authoritas Patrum qualis 206

B

BAsilii dictum eximium de virginitate Mariæ 235
Bellarmini confessio de versione LXX 168
Bezæ ingenuitas 37. Beza vindicatus 38. Beza laudatus 49. Beza vindicatus à cavillis Iesuitarum 187. calumniam patitur 244. Eius lepida accusatio 277
Biblia Italica laudata 124
Binomines multi 96. Exempla 96. 97. Alia 158.159
Blasphemiæ Cornelii à Lapide & gregalium 241.242
Booz quî Salmonis filius 13 an plures Boozi 114. quid secundum Hebræos 15
Buceri sententia de Genealogia Domini 37
Butyrum & mel quid designent Esa. VII 325

C

CAietanus perstrictus à Catharino & Pererio 161
Calvini opinio de genealogiâ Christi ex Salomone 127.128. Rejicitur à Gomaro. Rationes 128. Calvinus vindicatus à calumnia 223.310.311
Calvisii error 29
Canonici Lemovicensis opinio de Geneal. Lucæ in thesi & hypothesi 192 &c. Conjectura pro sententiâ ejus 195. Authoris ἐπικειμαις 195. Rationes. Examen authoritatum oppositarum 196
Cappelli authoritates contra Kainan 169. Rationes ejusdem vindicatę à Saliani solutionibus 187 &c. Accusatio ejus falsa 188
Casauboni ingenuitas 80
Catonis vigor 18
Causæ secundæ pendent à primâ 274 278
Cellæ circa templum 237
Cellulæ LXX. explosæ ab Hieron. Masio & Bellarmino 166
Celsi objectio 65
Cerinthianorum furor 226
Centuriatorum modestia 89
Chamieri observationes eruditæ de LXX. 177
Chiliastarum error 1;6. Propagatio ejus ibid.
Christus cur filius Davidis & Abrahami 9.10.11. Christus non è genere sacerdotali. Causa 98. Christus Filius Davidis naturalis 103.132.133.136. an debuerit descendere à Salomone 127. 128 Christus cur non filius legalis Iosephi 133. Christus quî ἀγενεαλόγητος? 241. Christus quî primogenitus 232.233. Christus cur debuit concipi à Spiritu S. 25. Christus ex substātia Mariæ 255. Christus an vir à nativitate 305. Christi nomina quotuplicia 314. Christo qualis scientia convenit 333. Christus quomodo profecit 334
Chronologia vitiosa LXX. 176
Chronologica Dubia 13.15. Solutio 16.27.31
Chrysostomi error 66. confutatio ejus 66
Codex vetustus Lucæ 136. Alius in Anglia 174. Codicum corruptio sæpe universalis 185
Collyridianorum hæresis 248

Come-

Comestor notatus 51
Conjugium Iosephi & Mariæ quale 245.249
Cornelii à Lapide authoritates & rationes contra Kainan 171.172.
Exceptio Cornelii inanis 173
Continentiæ donum quale 247
Contingentia quomodo certò præsciri possint 274.275.286
Contradictiones apparentes in Scriptura 31. Solutio 32.33. Solutio falsa. Confutatio ejus 33

D.

DAmasceni error in gradibus quibusdam genealogicis 197. Contradicit Lucæ ibid.
Dan tribus cur prætermissa in Apocalypsi cap. VII. 25.147
David cur præmissus Abrahamo. 11. 12.13
Davidicæ familiæ occasus prædictus 106. Causa 107. regni Davidici perpetuitas quæ 111. Davidis domus quid 322
Determinationis ad unum causæ variæ 276
Deus quî πάλιν 258. Dei actio qualis in Creaturis 276. in homine ibid.
Distinctiones quædam 32. aliæ distinctiones 332.333
Divortii & repudii distinctio 250
Dominicanorum & Franciscanorũ lis 73. Dominicanorum lis cum Iesuitis de scientia media 279
Dominium quale Christi 158. 328. 329
Donati Schisma. Occasio 179
Docitarum delirium 65

E

EBionitarum furor 226
Ecclesiarum lis de versionibus græcis 176
Eleemosyna quid Syris & Chaldæis 257
Emendatio textus Matthæi. Authoritates. Rationes 36
Epiphanii opinio de Iechoniâ 36. ejus error 36. Epiphanii & Patrum aliorum error 83.84. Epiphanius vindicatus ex Epiphanio 181. 182. Epiphanii judicium insigne de legitimo cultu sanctorum & Mariæ 251
Error an admitti possit à sacris Scriptoribus? 160.161. Error Lyrani, Thomæ, Rabani, Mauri 6. Erroris ejusdem propagatio facilis 195. Exempla 196
Ἐναντιοφανῆ inter Evãgelistas 93. Solutiones leves 95.96. &c. Earum confutatio ib. Solutio vera 105. Authoritates. Rationes 106. Objectiones Tossani 108. Examen 111. 112. Solutio Dubii de lineis diversis 113. Solutio Dubii de numero personarum. De ipsis personis 113
Esdræ hypobolimæi error 39
Evangelistarum lites quales 8. conspiratio qualis 8.9. Euangelistarum ingenuitas 213
Evangelium quid 7. Distinguuntur initium ejus & φανέρωσις ejus 7.
Evangelistarum Matthæi & Lucæ consensus 89.90. dissensus 90. Conciliatio 90.91.92
Evangelii Hebræi error 85
Eusebii error 18
Eusebii contradictio 180
Eusebii authoritas quæ 199
Ezechias quî filius Achazi 26.&c.
Exploratores Iosuæ quomodo & cur ad meretricem diverterint 205

F

FAbri Stapulensis pia cõfessio 24

Fabula de B. Virgine 236
Fausti Manichæi hæresis 1. Fausti objectiones 1.2. Confutatio ejus 6.7. Fausti Manichæi obiectio 69. alia 94.95. Augustini pia responsio 95
Filii parentibus dissimiles 96. Filiorum legalium jus 99
Fratres qui 234
Funccii error 28

G

GAlesinii Historia de lxx. Interpr. Ejus judiciũ de iis 67. & de editione Romanâ. Aliorum Pontificiorum sententia 167
Genealogia an Evangelium 1.7
Genealogicæ tabulæ apud Iudæos 61. quarũ tribuum præcipuè & cur? 61. Causæ sacræ & civiles 62. 63
Genealogiæ per viros non fœminas duci solitæ apud Hebræos 67. 122
Genealogiæ apud Lucam gradus quot. An LXXII. duo saltem 198
Genealogia Lucæ cur ad Adamum usque 91.92
Genealogia legalis & naturalis 91. 98.99
Genealogia Christi an describi potuerit vel debuerit? 212. &c. Rationes pro aff. 213
Genealogiæ quæ prohibitæ à Paulo 215
Generationũ ferarum exempla 16. 18. Generatio in ætate tenera. Exempla mira 30. Generatio Christi quomodo inenarrabilis 214.
Gentiles mulieres cur insertæ geneal. Christi 208
Gomar⁹ laudatus 35.42. Gomari erudita observatio. 50. Gomari duę solutiones commodæ 53 Gomari rationes pro Kainan. Earum examen 154. Gomari rationum examen 158.159

H

HArmonia V. & N. Testamenti 61
Hebræorum mos 12
Heinsii conjectura de lxx. Interpr. 166
Heli ætas 13
Hellenistarum stylus qui 177
Helvidianorum Hæresis. Origo 222. Rationes. Adversarii
Helvidianorum confutatio 227
Herodis facinus in abolendis genealogiis. Causa 63
Hieronymi calor 30. Hieronymi judicium de lxx. Interpretibus 166
Historia de lxx. Interpretibus ex Galesinio 165. Confutatur à VVowerio 166
Homonymi ὁμόχρωνοι 331
Humana Christi natura à quo formata 256. Simile veterum

I

IAphet an major natu 12
Iechonia an habuerit fratres 38. Ejus fratrum mentio cur facta 44. 45. Eius maledictio qualis 52.53. Quî Iechonias genuit in Babylone 55. Quî etiam ille Iosiæ filius 35. &c. Solutio 40.41
Iehojakim & Iehojacin quomodo distincti 40
Iesu & Immanuelis nomina 312.313
Ignorantiæ species variæ 333. Ignorantia quædam sine vitio 333
Incarnationis mysterium an Prov. xxx. 18. Rationes affirm. 302.303
Inscriptiones librorum Sacrorum apud Hebræos 6. apud Græcos 6.
Interregnum nullum inter Achazũ & Ezechiam 28.29
Interpretationes ineptæ 291.304
Ioas an è stirpe Salomonis 22
Ioram quî genuit Oziam 19
Flav. Iosephi error 14.15

Iosephi

Iosephi genealogia cur contexta à Matthæo? 65. Scrupulus gravis 65 Solutio 66.67. Ἐνστάσεις variæ 68. 69. Solutio 70.&c. Iosephus quî duos patres Iacobum & Heli 117 Solutio duplex 122.124. Iosephus quî justus 257.258.265
Iudæ mira fœcunditas 17
Iudaicum axioma 67
Iudæorum mos 2.11. Eorum superstitio 149. Religio in Scripturas 149. 150. Iudaici populi status tres 77.78. Cur post XIV. generationes mutatus 79.80. Iudæorũ convictio 308. Eorum obiectiones Esa. VII.14.p.284.&c. Expositio illorum qualis 286. Confutatio objectionum 312. Iudæorũ interpretationes falsæ confutatæ 321. Eorum somnia de Messiâ carnali 322
Iudæ fratres cur dicti Matthæo 48
Iudæorum delirium de Messiâ 61 Effugium ad locum Gen. XLIX. Confutatio ejus 62
Iudicii dies quomodo ignoratus à Christo 336
Judith Author suspectus 72
Iuliani objectio 35. Alia ejusdem objectio 65
Ius Romanum de liberis 20
Iustitiæ species variæ 257
Kainan an genuinus 139.&c. Sẽtentiæ variæ 139. Rationes 140. Authoritates. An Kainan à Mose prætermissus. 141.144. Cur? 141. An expunctus ex Mose 142. Confutatio 148.151. Kainan nothus probatur 146.168.169. Confutatio rationum contrariarum 147. Absurdum Chronologicum 151. Kainan non est gradus intermedius inter Arphaxad & Sale 152.&c. Nec collateralis Sale 155. 156. Nec idẽ cum Sale? Rationes & authoritates pro affirmatiuâ 156.157. Scrupuli contrarii 157 Kainã per corruptelam illatus in Versionẽ LXX. 167. Kainan irrepsit in Lucã 172. quâ ratione 173. Idẽ in Lucæ contextum intrusus 177. Deprauatio illa antiqua 178. Kainanis alia, alia trium Regum omissorum ratio 185. Kainanis expunctio cur necessaria 184.186
Kimchi confessio retusa 329
Levi & Matthat an superflui in Lucâ 192
Leviri quales agnati. 72.99
Lex de adultera dimittenda, lex de zelotypia qualis 261
Liberorum latitudo 20
Libertas & necessitas non se tollunt 275
Librarii, an corruperint Scripturã 150
Lucas an secutus LXX. Interpretes in Kainan 143. Rationes pro sentẽtiâ affirmativa 143.144. Authoritates 144.145. Rationes contrariæ 160. 161.162. Confutatio rationum oppositarum 162.163.164
Lyrani error de Booz 14. Ejusdem opinio de Kainan. Cõfutatur 155. Lyrani judicium de Authoritate patrum 206. Ejusdem rationes oppositæ Patribus. Examen 203. Ejusdem confutatio 207
Μακρόβιοι 18
Maldonati scrupulus. Solutio 26. Maldonati error 39. Maldonati observatio jejuna 80. alia proba 81. quæstio ejusdem & decisio inanes 85. Objectio ejus alia. Solutio 85 86. alia ejusdem observatio inanis 92. Maldonatus alienus à Patribus 211. Confutatio ejus 212 Maldonati ridicula exceptio 244
Manichæorum error 218
Marci Marini dilemma utile 168
Marcionitarum delirium 65
Marcionitarum error 218. alius 255

Maria quomodo συγγενὴς Elizabethæ 71. Maria an ſub peccato Adami comprehenſa 73. Mariæ pater qualis? 125. Maria an Redemptrix? 218. virginitas impugnata ab Helvidianis 222 &c. Sententia Pontificiorum qualis 222 &c. qualis Orthodoxorum 226 Status B. Virginis diverſi 226. Mariæ vultus an fulgidus miraculoſè 232. Maria quî templum Dei 240. Ejus nobilitas qualis ibid.
Maſaniſſæ vigor 17
Maſorethæ 150. Eorum diligentia. Maſora ſeptum legis. Maſorethica nota utilis 151
Mater Chriſti cur deſponſa 216. 217 &c.
Matrimonii & virginiratis comparatio 247
Mattthęi & Lucę συμφωνία & ἀσυμφωνία 88 &c.
Matthat & Levi an ſuperflui in Lucâ 192 &c Authoritates veterum contra eos 193. 194. Authoritates oppoſitæ 196
Mel & butyrum comedere quid apud Eſaiam 291
Melchiſedech non eſſe Sem 181 Ratio Epiphanii
Meretrix quid Chaldæis 206. quid Rabbinis 203. Vocis Hebrææ origo & vera ſignificatio 204. 205
Meſſias quî datur piis & impiis? 323
Minæ conditionatæ 53
Moſes non omiſit Kainan 172. Moſis & Lucæ conciliatio quoad Kainan 183. Moſis omiſſiones quædam. Exempla 183. vindiciæ 186
Montani error 218
Mulieres excubantes in tabernaculo quales 237
NAtivitatum variæ ſpecies 220
Nativitas Chriſti qualis 303
Nazianzeni contradictio 199. 200
Nebucadnezaris dictum de Iechoniâ 46
Neceſſitas rerum qualis 275
Nepotes quid Hebræis 20
Nomina in Scriptura ſæpe ab antea-ctis hærent 206
Nuptias inter συγγενεῖς contrahi ſolitas ordinariè à Iudæis probatur 126
OBſcuritatis cauſa in Scripturâ 42. Temperamentum ejus 43.
ὁμώνυμοι ὁμόχρονοι 110.
Ordo varius in Scriptura 12
Origenis allegoria de teſſaradecadibus 75. Origenis labor in collatione verſionum Biblicarum 167. Notæ ejuſdem
PArallelus inter diſcipulos Prophetæ & Chriſti 329
Paralipomenωn Scriptoris omiſſio vindicata 154. 155
Particularum, antequam, priuſquã uſque dũ, quis ſenſus 229. 230. 231
Patres variant in Kainan, & cur 182. in gradibus aliis 197. Patrum memoria venerãda 199. Patrum interpretatio vindicata à Lyrano 203. Patrum authoritas qualis 206. Patrum quorundam error 216. Confutatio ejus 217
Peccatores an excluſi à Geneal. Chriſti 22. 23. 148
Peccata quomodo indicanda 267. 268. Peccatum quomodo ad Deum referendum 276 Peccati cauſa & culpa in homine 276
Peccatrices mulieres cur in Geneal. Chriſti relatæ 202. Meditationes Patrum 207. 208
Pelagianorum confutatio 276. 277
Pererius confutatus 151. 152. Dilemma ejus contra Kainan 53. Pererii conjecturæ contra Kainan 169. 170. Pererii obſervatio de Paralipomenis 191
Perfectio hominum qualis 258
Perpiniani error 9
Perſecutiones Eccleſiæ 179

Phanta-

Phantastici qui 75
Phares 46.47
Phrases eędem diverso sensu in Scriptura 123.159.160. & quando 159
Piscator laudatus 49
Pontificiorum error circa virginitatem Mariæ 222. Dissensus eorundem 222.223. Authoritates & rationes
Porphyrii objectio 35
Πᾶς Mariæ quale 244
Prædictiones proximorum & minorum arrhæ remotiorum & majorum 329
Præscientia nititur Decreto 273
Prævisio rerum qualis apud Deum 273. Ratio 274
Primogenitus quid Hebræis 232.233. à Leviro suscitatus quale nomen 58. 59. primogenitorum ius 62
Probationes ridiculæ 336
Promissio conditionata 131. Aliarum impletio sera 321.322
Providentiæ divinæ ordo 81
Pseudo-Esdras confutatus 155.
Pseudo-Iustini cõjectura reiecta 121
Pubertas in iure Rom. & Heb. 28.29
Achab qualis apud Matth. 16. Eius ętas. Status 6.204.205. cur πόρνη 206
Reges tres cur omissi 19.24
Regnum multiplex in Scripturâ 32. Messiæ quale 78.79
Repudii libellus qualis 3.264
Rom. Eccles. Doctorum lites 279
Romani populi diversa imperia 77
Ruperti error 21
Ruthæ Histor. ætas 13.14
SAlathiel ut filius Iechoniæ & Neri 114 Falsæ sententiæ. Vera 115. Salathieles duo.
Saliani scomma 171. Saliani exceptio inanis in Epiphanio 181. Saliani cavillum retusum 190. Salianus frustra urget LXX. Interp. 191. confutatur à Pererio 191
Salmon qui secundum Hebręos. 16.
Salomonis & Nathanis lineæ an coaluerint 107. Scrupuli contrarii 107. 108. linea Salomonis an extincta in Ochozia 111
Salmeronis blasphemię 73.75. Confutatio. Observatio eius inanis 80
Samaritanorum error 181
Salathiel ut pater Zorobabelis 56 &c.
Scaligeri judicium de LXX. Interpr. 166
Scientiæ divinæ species 274. Divinæ & humanæ distinctio 274. Scientia media. Origo 278. Adversarii 279. Rejectio 279.280. Scientiæ variæ species 332.333
Scripturæ integritas. Authoritates 149. Rationes 149.150
Scriptores Sacri quando ex sensu aliorum loquuntur 163
Scrupuli graves Kainan γνήσιον esse. 182.183 Examen 183.184
Sectarii qui 187
Septuaginta Interpr. quando sequitur Spiritus S. 21. LXX. Interp. authoritas quæ 164.167. & lis inter Hieron. & August. de eâ 165. LXX. versionis origo probabilis 167. Corruptio ejus 167. Ejus errores Chronologici 176. Ejus corruptio
Signa qualia in Scripturâ 315.316. Signorum distinctio 316
Socini scomma 123. argutię eiusdem confutatæ 124. aliæ Socinianorum strophæ 272. Confutatio.
Sociorum Iesu nomen an conveniens & peculiare quibusdam 187. quorum id in Scripturâ 187
Spalatensis Archiep. sententia de geneal. Christi 129.130. Confutatio 131.132.133.134
Spiritus S. an pater Christi 254.255
Stella Orientis quid 7
Syri Interpretis corruptio probabilis 179. laudatur sæpius

Talmudici de Rachab 206
Templum Dei quî violatur 246
Tessaradecadũ distinctio cur apud Matthæum 77. Obiectio. Solutio 78. cur repetita. 81. An illæ integræ 82. &c. Sententiæ variæ 83. Solutio proba 85. Secunda cur terminata ad captivitatem Babyl. 86.87
Thaddæus binomius 156.158
Thamar an sine culpâ 208.209
Traditores qui in Eccles. veteri 179
Tribuum confusarum exempla 68. Lex contraria an universalis. 69. Resp. ad exempla contraria 70.71
Typica oracula composita. Exempla 100.101.295.296
VAlentinianorum error 255
Versio LXX. Interpretum erronea in Chronologiâ 152. Corruptio ejus & cõtradictio cum Hebr. 152
Versiones unde emendandæ 171
Versio vulgata quî citata à Capello 188.189. Eius error.
Viarum expositio in Prov. XXX. 18. pag. 301. &c. 305. 306. 310.
Virgines moniales an apud Iudæos 236. 237. Confutatio. 238. Virginum educatio apud veteres qualis 299. Virgines quales in Apocal. 300.301
Virginitas Mariæ non in Scripturâ ex sententiâ Adversariorum 226. Virginitas quî præstet coniugio 247
Vnigeniti primogeniti 232.233
Vocare quid in Scripturâ. 313
Voluntas an & quî libera 275
Votum Mariæ commentitium 238. 239
Voti & propositi distinctio 240
ZAra cur apud Matth. 46.47 Allegoria Patrum de eo & Pharez.
Zacharias quis Esa. VIII. 331
Zorobabeles duo 53.109.110. Alterutrius filii quî Abiud & Rhesa 116

F I N I S.

Lectori S.

Operarum παρέργματα emendare per temporis compendium non licuit. Commendantur illa candori & æquitati Lectoris. Paucissima hæc in transcursu notavimus. Indices etiam alieno arbitrio permissi luxuriant sæpe, sæpe deficiunt, nec Authori integrum fuit illos relegere, nedum vel castigare, vel restituere.

Errata.

Pag. 1. & 65. cavilli lege cavilla. pag. 29. undecimo lege duodecimo. pag. 29. adoptatione lege adoptione. p. 34. πανολεθεία lege πανωλεθεία. p. 65. Docitæ lege Docetæ. p. 71. πανολεθεία lege πανωλεθεία. pag. 86 generationem, lege tessaradecadem. p. 151. versum 21. lege 24 p. 152. poneret lege ponere. p. 156. synonimum lege Synonymum. p. 157. distinctum lege distinctam. p. 257. 1. 2. philosophicè lege 1. philosophicè 2. p. 134. prætermissus, lege admissus. pag. 195. intentare, lege intentari p. 208. ἐκλάματει lege ἐκλάματειν. pag. 237. II. Paral. XI. lege II. Paral. XXII.